

ELEMENTA IVRIS GERMANICI

TVM VETERIS, TVM HODIERNI,

TOMVS I.

EX

GENVINIS PRINCIPIIIS ERVIT

ET

COMMODA AVDITORIBVS METHODO

ADORNAVIT

IO. GOTTL. HEINECCIUS, IC.

POTENT. PRVSS. REG. A CONSIL. SANCTIOR. ET IVR.

AC PHILOS. PROF. P. ORD.

EDITIO NOVA AVCTIOR ET EMENDATIOR.



HALAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL,

CIO IOCC XXXVI.

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCEL-
LENTISSIMO
DOMINO
SAMVELI LIB. BAR. DE COCCEII
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS
IN SANCTIORE CONSILIO
ADMINISTRO
SVPREMORVM TRIBVNALIVM ET CONSISTORII
PRAESIDI
RERVVM ECCLESIASTICARVM ET FEVDALIVM
DIRECTORI
ATQVE
ACADEMIARVM CVRATORI

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS.

M Agnoscere peccare mihi viderer in humanitatem TVAM, VIR ILLUSTRIS-
SIME, si TE aegre laturum suspicarer, quod iterum iterumque idem TIBI praestare officium, et illustrissimum nomen TVVM, uti aliis, ita huic etiam, quem nuper adornavi, libello praefigere non dubitem. Quum enim beneficiis TVIS TIBI me iampridem totum obstrinxeris, et etiamnum nihil, quod ad me ornandum tuendumque adversus maleuolorum insultus pertinere

DEDICATIO.

videatur, praetermittas; mei autem ordinis hominibus, praeter chartacea huius generis munuscula, nihil prae manibus sit, quo gratum animum patronis testentur: malo ego et hoc quaecumque meae erga TE venerationis gratique animi exstare monumentum, quam immemoris beneficiorum animi suspicionem turpissimam apud ipsos posteros incurrere. Et munusculi quidem leuitatem facile pensabit insignis animi TUI magnitudo, quae non aliud sibi virtutis praemium, quam ipsam bene actorum conscientiam, magnopere deposcit, et hanc solam omnibus encomiis laudibusque, quae tamen virtuti numquam deesse possunt, longe putat anteponendam. Id vnum autem vereri poteram, VIR ILLUSTRISSEME, ne ipsum hoc meum iuris patrii reliquias colligendi consilium, TIBI parum gratum sit futurum, adeoque
 nec.

DEDICATIO.

*nec libellum accepturus a me sis fronte
 serena, qui totus in isto inutili, uti
 videri poterat, argumento versatur.
 Neque enim ignoro, TE magnopere
 abhorreere ab eorum sententia, qui, ex-
 plosa iurisprudencia Romana, vete-
 rem illam Germanicam in usum reuo-
 candam, id est, pro frugibus repertis
 glandibus iterum vescendum esse, arbi-
 trantur. Enimvero a consilio isto,
 quo vultum capi posset stolidius, si quis-
 quam alius, et ego profecto vel maxi-
 me abhorreo, satis quippe gnarus, iu-
 ra, a maioribus nostris constituta, nec
 legum aequitate, nec auctoritatis pon-
 dere, nec utilitatis ubertate cum Ro-
 manis esse vlla ex parte comparanda.
 Et si quis forte maleuolus, cui ne per-
 specta quidem fuit instituti mei ratio,
 tam male ominatus fuerit de consilio
 meo: nae enim et ipse libellus, et satis
 verbosa, quam illi praemisi, praesfa-*

DEDICATIO.

tio erroris facile conuincant. Regnat omnino in foris nostris Themis Romana, et regnabit, nisi nos fallit augurium, quoad res Germanica steterit. At praeter illa, quae legibus Romanis definiuntur, in foris Germaniae supersunt quaedam iuris patrii reliquiae, quae tantum abest, ut ex iuris Romani principiis possint explicari, ut Romani ne simile quidem quidquam in republica sua habuisse videantur. Et hae vero sunt, quas hoc libello potissimum sum consecutus, quasque ex fontibus suis deriuare pro virili mea parte studui. Quod quum et alii viri docti ante me facere conati sint, et in primis olim in hac academia vir celeberrimus SAMVEL STRYKIVS, quem ego praeceptorem veneror, praestare voluerit in usu digestorum, ceteroquin ad demonstrandam legum Romanarum utilitatem vnice comparato: nec mihi sane

DEDICATIO.

sane ratio quisquam vertet, quod; paulo maiore instructus adparatu, rem eandem adgressus sim, operamque hanc reipublicae litterariae nauarim, nec ulli noxiam, et multis haud iniucundam fortassis futuram. Verum ea excusatione mihi apud TE non opus est, VIR ILLVSTRISIME, qui non soles in his rebus alienis oculis uti, nec ad aliorum sententiam iudicium TVVM attemperare, sed ipse, quid distent aera lupinis, mira ingenii sagacitate, disquirere consueuisti. Itaque et hoc vel maxime me impulit, vt librum hunc TIBI consecrare decernerem, quoniam alterius nullius memineram, qui de eo et accuratius posset, et aequius vellet iudicare. Suscipe ergo tenue manusculum, VIR ILLVSTRISIME, ea humanitate, qua alia, quae a me profecta sunt, olim solebas, TIBIque persuade, me vota pro

DEDICATIO.

*salute TVA quotidie concipere,
Deumque O. M. precari, ut diutissime
TE seruet incolumem, iurisprudentiae
decus, iustitiae statorem, ciuium
TVORVM oraculum, et tutissimum
bonorum omnium, in quibus aliqua
non alieni a litteris animi significatio
est, praesidium. Ita vale, VIR IL-
LUSTRISSIME, et nec in posterum
me gratia TVA indignum iudica.
Halaë Magdeburgicae V. Idus Septem-
bres CIO IO CC XXXV.*

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. GOTTL. HEINECCIUS.

Pars haec sapientiae haud postrema est, rectas de rebus quibuslibet ferre sententias, causas amoris atque odii omnes procul habere, denique iustum cuique rei statuere pretium, et nec laudandam oratione lacerare ac deprimere, nec dignissimam vituperatione laudibus in coelum euehere, id est, ut ipse olim **SERVATOR** optimus praecepit, a) *μη κρῖνεν κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρῖνεν.* Idem vero si in iurisprudencia potissimum necessarium esse dixerō: spero me omnes, qui rei sunt paullo intelligentiores, mihi consentientes habiturum, eosdemque mecum facturos, illud praeceptum maxime hac nostra aetate esse necessarium, quando et ii, qui nondum aere lauantur, de omni iure legibusque, sapientissime scriptis, praecipiti ac paene temerario iudicio ferunt sententiam, nihilque in iis vitio ac naevo aliquo carere, aut venerando illo legis vel iuris nomine dignum esse, profitentur. Antiquissimis temporibus, quum honesta suoapte ingenio peterent mortales, nihil contra ciuitatis suae morem cuperent, nihil in
leges

a) *Ioann. VII, 24.*

leges licere bono ciui, sed huic in obsequio relictam esse gloriam, existimarent: non maior vlla in quemquam cadere videbatur temeritas, nec sacrilegium magis abominandum, quam si quis sibi censuram adrogaret in leges, easque suo arbitrio vel ageret in exilium, vel iam pridem exsules reuocaret, et, veluti inuidia maiorum oppressas, ciuitate donaret. Pausaniam, Plistonactis filium, interrogatum a nescio quo, cur de antiquo iure nihil Lacedaemone liceret conuellere? respondisse prohibet PLVTARCHVS: b) ὅτι τὰς νόμους τῶν ἀνδρῶν, ἢ τὰς ἀνδρῶν τῶν νόμων κυρία εἶναι δεῖ. *Quia legum in viros, non virorum in leges, debeat esse auctoritas.* Et ARISTOTELIS, philosophi rerum ciuiliū, quidquid aliis videatur, peritissimi, praeclara ac prope diuina haec sententia est: c) ὅτι τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τῶν ἑσῶν, ὃ ἐν τοῖς ἐκταναμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται. *Se legibus sapientiozem esse studere, esse id ipsum, quod in laudatissimis legibus vel maxime prohibeatur.* Qua de re et alter philosophorum coryphaeus, PLATO, d) praeclare disseruit, adolescentibusque potissimum, veluti ad peruersa huiusmodi iudicia ipsa natura procliuibus, legem hanc, exemplo Minois Cretensis, fereuissimam dixit, ne disquirerent vnuquam, rectene an perperam latae sint leges, sed recte latas esse omnes,

vno

b) *Lacon, Apophthegm. pag. 230.*c) *Rhetoric. Lib. I. Cap. XV.*d) *de Legibus Lib. I.*

vno consenserent. Hoc nimirum animo
 erant sanctissimi homines, quum adhuc sancta
 esset ipsius patrii auctoritas, omnesque legem,
 ὡς ἰσχυρὰ καὶ δόξου θεῶν, δόγμα δὲ ἀνθρώπων φρονίμων,
 τὰ νόμιμα ἐπινοητῶν ἐτὶ μῦθος Δεῖ, decretumque
 prudentium virorum, quin immo ὡς πάντων βασι-
 λῆα θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων, καὶ προσάτην
 τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα,
 καὶ κατὰ τὸ τοῦ κανόνα δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν Οὐ-
 σέε πολιτικῶν ζῶν, tamquam omnium diuinarum hu-
 manarumque rerum reginam, bonorum malorumque
 praesidem, principem, ducem, ac proinde regulam
 iustorum iniustorumque, immo animalium omnium
 naturae sociabilium, e) cum DEMOSTHENE ET
 CHRYSIPPO, summae stoicae sapientiae phi-
 losopho, venerarentur. At nostra hac aetate
 adeo euiluit legum fere omnium religio, vt
 adolescentes, qui in academiis vix per seme-
 stre spatium primis iurisprudentiae praeceptis
 imbuti sunt, sese vltra dupondios non existi-
 ment sapere, nisi de legibus ipsis censuram
 acerbissimam agant, earumque nullam fere
 sine tristiore aliqua nota dimittant. Quin
 adeo haec iudicandi peruersitas in mores abiit,
 vt quemadmodum olim TACITVS f) *corrumpere et corrumpi saeculum* vocabat, ita hodie de
 legibus figendis refigendisque ambitiosa de-
 creta facere saeculum dicere iure meritoque
 possis. Ceterum quum in Germaniae foris
 duorum generum leges ac consuetudines vi-
 geant,

e) Marcius l. 2. D. de legibus.

f) de morib. Germ. cap. XIX.

geant, quarum aliae Romanae originis sunt, et iam inde a pluribus saeculis veluti iure ciuitatis donatae; aliae, ex iure patrio, tamquam nantes in gurgite vasto tabulae, superstites, ex communi illo naufragio euaserunt: tam diuersa sunt hominum de utroque illo iure iudicia, ut alii tenues istas iuris patrii reliquias ferre non possint, iisque quam primum exsilium sciscendum censeant; alii ius Romanum eiiciendum ex foro, et in posterum omni aditu prohibendum esse, arbitrentur. Illi ergo omnes ingenii vires atque eloquentiae opes consumunt in laudando iure Romano, quod solum iustum, sanctum, et iuris vocabulo dignum iudicant, et prae quo omne ius Germanicum magnopere fordere contendunt. Hi tantumdem ac multo plus diligentiae ad exagitandas Romanorum leges, patriamque iurisprudentiam collaudandam, conferunt, quasi iuris Romani laudem cum Germanici vituperatione coniunctam esse oporteat, nec huic aliter pretium suum constare possit, nisi Romanum omni reprehensione ipsaque proscriptione dignum iudicetur. Quemadmodum olim Roma, iam terrarum orbe superato, *securam se*, teste VELLEIO PATERCVLO, g) *haud fore sperabat, si nomen vsquam stantis maneret Carthaginiis*, et Hannibal contra, Carthaginienſis, patriam nunquam saluam

g) *Lib. I. Cap. XII.*

saluam salutem existimabat, h) *nisi deleffet Romanam*: ita iureconfulti hi, prout alterutro nationi accefferunt, vel Romanae, vel Germanicae iurisprudenciae bellum perpetuum iudicunt, et, alterutri alterius exitio parcendum esse, arbitrantur. Ab horum voto omnium sententiis me iam a multis annis magnopere coepisse abhorrere, fateor, tam etri nationis summorum virorum, qui tum in celebritate versabantur, auctoritate impulsus, paene in eorum partes, qui ius Romanum non solum magni faciunt, secessissem. Expenfis enim, quae huc facere videbantur, omnibus, rationibusque paullo accuratius subductis, facile animaduerti, verissimum esse, quod ex instituto et non sine adparati demonstrarunt viri doctissimi, regnare in foris nostris Romanam iurisprudenciam, sed ita regnare, vt nondum violarit hospitii iura, vel plane in exilium egerit ius patrium, sed vtrunque ius locum suum; et Germanicum quidem tanquam patrium; Romanum tanquam in subsidium receptum, in iudiciis tueatur. Nec minus obseruasse mihi visus sum, vtrosque falli, et qui ius Romanum, tanquam iniquum, insulsam, et Germaniae perniciosum traducunt, et qui praeter illud cum omne ius ciuile, tum et Germanicum, inconditum ac paene ridiculum esse clamitant. Recte profecto ineunt rationes, qui

b

Roma-

h) *Liv. XXI, 30.*

Romanos tanta sapientia fuisse censent in iure constituendo, quanta fuerint in tantis opibus imperii comparandis: sed qui ideo fungos fuisse putant maiores nostros, eosque quidquam, quod praeclarum et reipublicae salutare sit, reperire aut constituere potuisse, negant: nae illi indigni mihi videntur Germano nomine: quemadmodum et ineptire illos existimo patriae amore, qui laudibus ad coelum tollentes ius Germanicum, in Romanorum instituta stilum atrocissimum expediunt, et illud vbique tyrannicas patriciorum artes, et iureconsultorum subtilitatem potius, quam prudentiam, quin et scelestam Triboniani manum redolere, contendunt. Et horum quidem argumenta iam alibi satis nobis videmur profligasse, vel, si quid deesse illi defensionis quisquam putauerit, ei facile, uti spero, satisfiet a CORN. VAN BYNKERSHOECK, IO. PETRO A LVDEWIG, VTRIQUE HVBERO, EV. OTTONE, IO. WYBONE, aliisque viris doctissimis, qui iam ante nos causam hanc paene peroraverunt. Dum vero iam nos aliquid praefari oportet elementis iuris Germanici, quorum nunc pars prior in lucem prodit: agere nihil videbimur, quod sit ab instituto nostro alienum, si, quae aduersus ius Germanicum dici solent, quam fieri potest accuratissime expendemus, simulque explicabimus, quodnam hac in scriptione fuerit consilium nostrum,

strum, et quibus praesidiis vfi, id propositum peregerimus, iustumque systema composuerimus iuris Germanici.

Et ii quidem, qui nihili faciunt ius Germanicum, illudque studium non modo leue atque inutile, verum etiam indignum esse iuriconsultorum personis existimant, tria potissimum sibi demonstranda sumunt: primum, ipsum ius Germanicum prae Romano esse tam frigidum atque inficetum, vt, qui olim, quod infulsim dicere vellent, id i) *ψυχρότερον ἐλάττωτος νόμων*, ipsis Platonis legibus frigidius esse dicebant, ii, si reuiuiscerent, Platonis leges prae Germanicis illis pro oraculis essent habituri: deinde, nullum esse iuris Germanici usum, ac proinde eos omnes, qui in illo illustrando elaborant, non minus male bonas horas perdere, quam illos, qui AMMIANI MARCELLINI aetate, k) *vt altius viderentur iura collere, Auranorum Sicanorumque leges, iam diu ignotas, et cum Euandri matre abhinc saeculis obrutas multis, loquebantur*: denique, si vel maxime, quasdam superesse iuris patrii reliquias, fatendum sit: nullum tamen certum ac stabile esse iuris illius fundamentum, quum inter omnes constet, priscas illas WISIGOTHORVM, FRANCORVM, BOIORVM, ALAMANNORVM, SAXONVM, FRISIORVM, LANGOBARDORVM leges et iam pridem exoleuisse, et plerasque numquam in Germa-

b 2

nia

i) Athen. Lib. XI. *Dipnosf. cap. vlt.*

k) Lib. XX., *Cap. IV.*

nia magna auctoritatem aliquam esse consequutas. Quam absurdae, et frigidae, ac pae-
ne ridiculae sint leges, quibus maiores nostri
vixerint, vel ex eo satis intelligi posse putant,
quod ab hominibus barbaris, et ab omni hu-
manitate vitaeque elegantia alienis, profectae
sint. Quid enim, inquit, praeclarum et
reipublicae salutare exspectes ab hominibus,
quibus ius in manu ac viribus erat positum?
qui, ut ait ENNIVS, l).

*Non ex iure manu confertum, sed magis ferro
Rem repetebant?* qui denique, quum primum
Romanos fasces, et accuratiorẽ ius dicendi ra-
tionem viderent, *solita armis discerni, iure ter-
minari,* m) mirabantur? Et ne vetera tantum
illa confectemur, quam absurda sunt plera-
que, quae nobis HEROLDVS, LINDENBROGIVS,
BALVZIVS, tamquam insignes iuris patrii the-
sauros, obtruserunt? Nullam sane aequitatis
rationem haberi dixeris in iis legibus, quae
caballi furtum capitali poena; nobilissimi viri
caedem pecunia iubent expiari. Quod quum
in LEGE SAXONICA obseruasset LEIBNITIVS: n)
*Eant nunc, inquit, et veteres Germanorum leges
reuocent in usum viri docti, explosis Romanis, hoc
est, a fruge ad glãndes reuertantur.* Praeterea
cae leges omnes pleraque, quae iure termina-
ri oportebat, vel ad singulare certamen, vel
ad

l) Cic. pro Muraena Cap. XIII.

m) Vellei. Lib. II. Cap. CXVIII.

n) Script. rer. Brunsv. Tom. I. pag. 79.

ad aliud superstitiosae purgationis genus, veluti aquam frigidam ferrumue candens, remittunt, vel, si quando causam iureiurando decidi posse statuunt, nesci quidem rem satis certam putant, nisi tres, quinque, septem, pluresue homines societate periurii coniungantur. Quid dicamus de poenis, quae in crimina statuunt, vel absurdis, vel iusto truculentioribus, vel tam lenibus, ut vix quaedam inter eas et delictum aequalitatis ratio possit reperiri? Quid absurdius est supplicio, quo sacrilegos mactandos existimarunt FRISII, o) puta, ut ducerentur ad mare, et in sabulo, quod accessus maris operire solet, eorum aures funderentur, et castrati immolarentur diis, quorum templa violarent? Quid turpius poena illa, quam adultero irrogat LEX BAIUVARIORVM, puta, ut componeret hoc marito eius, cum suo weregeldo, id est CLX. solidis? Ita sane luere non aliter potuit adulter flagitium suum, quam ut maritus, hanc passus iniuriam, in nouum probrum, lenocinium puta, incideret. Quam dirum porro fuerit supplicium, quo maiores nostri in fures animaduenterunt, vel ex eo intelligitur, quod memoriae prodidit ALTFRIDVS episc. Monast. p) furem ob furtum equorum Witi-chindi, Ducis Saxonum, in campo ad stipitem ligatum, iactatis in eum sudibus acutis et lapidibus necatum esse. Et iidem tamen veteres Germa-

b 3

ni

o) Lex Fris. addit. Tit. XII. §. I.

p) acta B. Ludgeri Lib. III. §. 22. apud Leibn. Tom. I. script. rer. Brunsv. p. 97.

ni ipsum parricidium hereditatis iactura; fratris caedem multa expiari iubent, q) vt vere in eorum legislationem cadere videatur, quod dixit poeta:

Dat veniam coruis vexat censura columbas.

Iam quam parum solliciti fuerint Germani de iis, quae ad negotia quotidie obuientia pertinent, vel inde patet, quod nec contractus et conuentiones, nec actiones forenses, eadem cura, ac Romani, distinxerint, et paucissimas leges de illis tulerint, ac ne in his quidem semper aequitatis naturalis habuerint rationem. Sic sane eos vix accurate distinguere animaduertes mutuum et commodatum, depositum et mandatum. Duo enim priora fere eodem *commodati* vocabulo, posteriora itidem communi *commendationis* nomine comprehendunt. Et quod ad actionem attinet, commodanti vel deponenti non dant actionem in rem aduersus tertium possessorem, sed aduersus commodatarium tantum vel depositarium, quibuscum illis negotium fuit. Quod quam a natura dominii, ipsaque aequitate, alienum sit, nemo non intelligit. Et quid aequum, quaeso, aut reipublicae salutare, speres ab hominibus, qui non virorum prudentum suffragiis, vel adhibita in consilium ratione, ferebant leges, sed rem tanti momenti, et in qua totius reip. salus posita erat, arenae gladiatoriae fortunae committebant? Id quod Ottonem

q) *Lex. Fris. tit. XIX.*

nem Principem alioquin prudentissimum,
 fecisse tradunt WITICHINDVS Saxo r) et SIGEB-
 ERGVS s). Accedunt insignis sermonis
 barbaries et sribiligo, quae omnia elegantio-
 ra ingruis a se auerit, vocabula peregrina et
 obsoleta, quibus enodandis ne doctissimorum
 quidem virorum industria adhuc suffecit, tan-
 tae denique tenebrae, vt nescias aliquando,
 Platonis numeros, an leges, vniuerso populo
 legas, legas. Et quid de ordine dicamus, qui
 in vniuerso illo veterum legum Germanica-
 rum corpore plane nullus est? Iam enim de
 damnis differitur, iam aliquid additur de con-
 iugio et dote, hinc ad furta progrediuntur le-
 gislatores, iisque et aliquid de hereditatibus
 et successione admiscet, vt, quod olim
 de rerum natura adfirmabat ANAXAGORAS, t)
 quidlibet in quolibet inesse, quodque hemi-
 stichio hoc expresserat nescio quis, *πάν ἐν παντί*
μικτά, id de illa legum congerie verissime
 dici posse videatur, in qua quippe omnia
 vbitis, et aequae facile in alienissimo, ac in
 suo loco, reperias. Ita comparatum esse a-
 iunt ius Germanicum, qui illud tamquam fri-
 gidum et iniquum explodunt. Quin et id ad-
 dunt, eos omnes naeuos, quos sibi in vetu-
 stis illis legibus deprehendisse videntur, mul-
 to magis specula ista, Saxonicum et Alamanni-
 cum,

b 4

r) *Lib. II. pag. 644.*s) *ad ann. DCCCCXLII.*t) *Aristot. Phys. Lib. I. Cap. IV.*

cum, quibus a saeculo XII. Germani magnopere delectati sint, aliasque eius aevi leges, infecisse, quin haec iura tanto esse illis frigidiora, quanto magis eorum auctores nescio quam πολυμάθειαν adfectent. Hinc praeter illa vitia, quae communia habent cum priscis illis legibus, in utroque speculo innumeras occurrere aiunt naenias, et fabulas plus quam aniles, quibus aegrotus vix quidquam somnare posset stolidius. Et si, inquiunt, leges alias eorum temporum euolueris: bone Deus, quae monstra historiarum, quae sententiarum portenta, maxime de moribus et republica, in iis vbique reperies! Dixerat olim SENECA u) contra Platonem, *legem breuem esse oportere, quo facilius ab imperitis teneatur; eamque velut emissam diuinitus vocem, iubere, non disputare debere, nihil sibi videri frigidius, nihil ineptius, quam legem cum prologo.* Et tamen nihil est, ex MVRETI x) sententia, his Platonis prologis, si verborum pondera rerumque, quas continent, vbertatem consideres, admirabilius, nihil salubrius, quum diuinus ille philosophus homines primum argumentis grauissimis, tamquam igniculis quibusdam, ad honestatis studium inflammare conetur, et tum demum eos, qui rationi non obtemperant, poenis coerceat, atque ita efficiat, quoad eius fieri potest,

Ne vaga profiliat fraenis natura remotis.

At

u) *Epist. XCIV.*

x) *In not. ad Sen. Epist. XCIV.*

At quae rigida sunt, cum his Platonice comparanda omnia, quae boni illi speculatores vel disputant, vel legibus suis tamquam prologos quosdam praemittunt? Quis risum teneat in iure provinciali Saxonico legens, Constantinum M. Saxonibus leges tulisse: y) Deum binos gladios reliquisse in terris, eorumque altero Papam, altero Imperatorem ferire immorigeros, sed hunc illo in gratiam pontificis aduersus istos tantum vti, qui Pontifici Max. dicto minus sint audientes: z) ex Origenis oraculo sex mundos futuros, et vnumquemque perstiturum annos mille, et cum sex illis mundis comparandos esse clypeos militares, et gradus cognationis: a) Saxones iura quaedam sibi retinuisse inuito Carolo M. et maxime in odium Sueuorum, qui vxores eorum constuprassent: b) et quae sunt huius generis alia? Longa enim est illa fabula, ad quam perpoliendam vix iustum volumen sufficeret. Similia et in speculo Alamannico et in aliis plerisque veterum Germanorum legibus plena manu feruntur. Sic in IVRE MVNICIPALI SVSATICO, c) tamquam aliquid hiatu illo dignissimum, praecipitur: *der richter solle sitzen auf dem richter-stuhl, als ein griesgrimmender*

y) Praefat. quae incipit: *Gott, der da ist ein Anfang.*

z) *Lib. I. Art. I.*

a) *Lib. I. Art. III.*

b) *Lib. I. Art. XVIII.*

c) *Gemeine Gerichts-Ordnung Tit. I.*

*der Löwe, vnd solle den rechten Fuß schlagen über den lincken: Et in appendice der vrtheile ins freyen Stohls Gerichte gehörig in eum, qui quidquam, quod in iudicio isto gestum est, enunciarit, haec poena statuitur, es sollen ihn der Frey-greue vnd die scheffen angreifen, vnd verfolgen, vnd binden ihm seine hände zusammen, vnd ihn auf seinen buck werpen, vnd winden ihm seine tungen zum nacken hinauß, vnd stecken dar einen pinn vor, vnd doin ihm dann einen strick an den bals, vnd hangen ihn an einen baum, als man sunst einen armen sündler pflegt zu hencken. Qua non poena, sed carnificina, an dignum sit istud delictum, alii viderint, quibus summam grauitatem aequitatemque vbique redolere videtur ius Germanicum. Sed aliquando ne quidem honestati satis conueniens est poena, quam in certa delicta statuunt: talemque dixeris illam, quam adulteris minatur codex MSC. membranaceus legis vetustissimae Lubecensis, in bibliotheca CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI, quem dum haec scribimus, ex hac rerum humanarum caligine ad meliora emigrasse, non sine incredibili dolore intelligo, superstes. In illo enim adulter ea parte corporis, qua peccauit, trahi retrahique iubetur per plateam, *strate op, strate dal.* Quid, quaeso, in huiusmodi legibus reperias, quod non dicam admiratione, sed excusatione dignum videatur? et quis ob illas repudium dandum putet iuri Romano, quo nullum aliud vel sanctius,*

Etiam prudentius vniquam scriptum est? Et quidem est eorum oratio, quibus ius partium ideo sordet, vt aliud quodcumque, quam illud, ferendum existiment.

His vero priusquam respondeamus, monendus fuerit lector, neminem fortassis vniquam tanto iuris patrii amore flagrasse, vt omnia sine discrimine laudanda, et in vsum revocanda existimarit, ac proinde hanc fere audacitatem pugnam esse, quae, si maius veritatis, quam partium, studium esset, facile et sine pulueris iactu componi posse videretur. Fatebuntur ergo aduersarii, multa esse in iure Germanico, quae censuram aliquam mereantur; sed idem et de omni alio iure humano, quamuis a viris sapientissimis maxima cura constituto, quin et de illo Romano, quod ipsi vnice exosculantur, peraeque dici posse, neque inde statim consequi, vt ius totum reiici oporteat, cuius pars vna vel altera minus ad amissim facta sit. Et nescio sane, an non, si quis Solonis, Lycurgi, Charondae, Zaleuci aliorumque sapientissimorum hominum leges eadem seueritate expendere vellet, is multo plura reperturus sit, quae animaduersione digna videantur, quam in illis maiorum decretis. Iam enim POLYBIVS d) et ARISTOTELES e) cum in aliorum, tum in Lycurgi maxime legibus, plura omnino desi-

d) *Lib. VI.*

e) *Lib. II. Polit. Cap. VII.*

desiderarunt. Et tamen inter omnes constat, leges illas prudentissime scriptas esse, et stetit civitates eorum, quoad his legibus patriis vixerint, easdemque, simul ac ab institutis istis patriis, desciverint, misere periisse. Sic sane VELLEIUS PATERCVLVVS f) obseruat, *Spartam, quamdiu disciplinae Lycurgi continentissimae diligens fuerit, excelsissime floruisse.* Et CICERO g) *fortem eam gentem fuisse, ait, dum Lycurgi leges vigerint.* Denique PLVTARCHVS, h) ex instituto describens Laconum disciplinam, hanc facit cogitationum suarum summam, Lacedaemonios, quamquam et muris carentem urbem incoluerint, et continentibus bellis ad paruum redacti fuerint numerum, multoque imbecilliores oppressaque faciliores redditi, tamen paucas admodum latarum a Lycurgo legum seruantes reliquias, neque Macedonum potentiae succubuisse, neque tributum pependisse, *ἕως ἔτι παντάπασιν ὑπεριδόντες τὴν Λυκῆργου νομοθεσίαν, ὑπὸ τῶν ἰδίων πολιτῶν ἐτυραννέυθησαν, μηδὲν ἔτι σώζοντες τῆς πατρὸς ἀγωγῆς, καὶ παραπλήσιοι τοῖς ἄλλοις γινόμενοι τὴν πρόσθεν εὐκλειαν καὶ παρρησίαν ἀπέθεντο, καὶ εἰς δουλείαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις, καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνας, ἐγένοντο, donec, prorsum posthabitis Lycurgi legibus, tyrannidi suorum ciuium subiecti, nihilque pristinorum institutorum seruantes, pristina gloria et libertate amissis, reliquorum similes sint facti, inque seruitutem redacti, et Romanis, sicut et ceteri Graeci,*

f) Lib. I. Cap. VI.

g) Tuscul. Quaes. I. Cap. XXII.

h) Lacon. Instit. p. 240. Tom. II. Op.

ci, ~~obseruauit~~. Idem et de reliquis rebus publicis obseruauit alij. Nam legum Zaleuci neglecta, periisse Sybaritas, refert SCYMNVS (h) et ipsi Athenienses, k) tum demum male se habuisse fatentur rempublicam, quum porticus litteris implerentur, id est, quum ciues, relictis post tergum Solonis institutis, nouas quotidie leges ferrent. Itaque eae quoque leges bonae ac reipublicae salutare esse possunt, in quibus quaedam sunt, quae vel duriora iusto, vel ab aliorum gentium institutis alieniora videntur. Sed vt ad rem ipsam veniamus; non est profecto, cur solum barbarorum uocabulum, quo maiores nostri a Graecis Romanisque notabantur, eorum legibus fraudi sit. Quo magis ab illa vitae elegancia, qua sibi mirifice placebant Graeci, aberant gentes barbarae, eo virtutis erant studiosiores, sapientiaeque suae praeepta, pauca illa quidem, sed solida, magis uiuendo exprimere, quam uerbis iactare, studebant, vt uere de iis dici possit, quod de Scythis olim praedicauit IUSTINVS: l) *Continentia morum illis quoque iustitiam edidit, nihil alieni concupiscentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido est, ubi et usus. Atque uinam et reliquis mortalibus similis moderatio et abstinentia alieni foret! profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fato-*

rum

h) v. 345. sequi.

k) Isocrat. Areopagit. pag. 292.

l) Lib. II. Cap. II.

rum conditio, raperet. Prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina praeceptisque philosophorum consequi nequeunt, cultosque mores incultae barbariae collatione superari. Tanto plus, in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis. Et sane, si alia sapientiae, qua Germani licet barbari excellebant, argumenta deessent: vel illud esset omni exceptione maius, quod per tot saecula infestis Romanorum armis paene oppressi, non modo libertatem suam feliciter tuerentur, sed et lacertos mouerent, et imperii Romani opes, quibus par nulla potentia videbatur, primi concuterent, quin opulentissimas iis eriperent prouincias, in iisque regna potentissima constituerent. An enim id sine bonis legibus disciplinaque accurata fieri potuisse, credibile est? Et quis ignorat, gentes illas originis Germanicae paulatim adeo cultioribus moribus adsueuisse, ut hac laude prae ipsis Romanis enitescerent, et hos prae se merito despicerent? Quemadmodum enim Anacharfidem, Scytham, barbariem sibi exprobandibus respondisse ferunt: m) Ἐμοὶ δὲ πάντες Ἕλληνες σκυθίζουσι. Mihi vero omnes Graeci Scythae sunt: ita LIVTPRANDVS n) auctor est, Ottonis Augusti aetate Francos, Burgundiones, Sueuos, Langobardos, Saxones, Lotharienses et Boioarios ita Romanos dedignatos fuisse, ut inimicum suum non aliter, quam Romanum, contumeliae causa, irati adpellarent,

m) Clem. Alex. Strom. Lib. I. p. 308.

n) Luitprand. Legat. Constantinop. apud Canis.

rim, et quidquid ignobilitatis, quidquid auaritiae, quidquid libidinis, quidquid mendacii, quidquid denique vitiorum est, hoc vno nomine se complecti arbitrati sunt. Tantum ergo abest, ut barbariei nomen tum meruerint Germani, quum ad leges scribendas animum primum adpellerent, ut ipsi Romani ab iis barbaris petere coeperint honestae cultiorisque vitae exemplum. Desinant ergo demum viri docti eo nomine despiciere leges Germanorum, quod ab hominibus barbaris profectae sint, ne eodem argumento et ipsa Hebraeorum instituta, quae profecto nec ipsa Graeca sunt, despiciere videantur. Sicuti enim bona mens et ingenium rectum vbique, et aliquando crasso sub aëre, nascitur: ita et barbaricum solum, et in primis Germania, semper tulit viros prudentes, rerumque ciuiliū peritissimos,

*Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,
quid non,*

Planius ac melius Chryssippo et Crantore

et perspexerunt ipsi, et ciuibus suis dixerunt. o) At ipsae, inquit, leges gentis stuporem produnt. Quis enim ferat, furtum equi morte; homicidium multa expiari? Quidni vero id ferendum esset in Germanis, quod aequo animo in aliis gentibus, etiam non barbaris, ferimus? Apud ipsos Graecos olim homicidia fortuita exsilio tantum voluntario expiata esse, ipse obseruat CLAVDIVS SATVRNINVS iure-

consul-

o) Horat. Lib. I. Ep. II. v. 3.

consultus. p) At vir doctissimus EVER. FELTHIVS q) luculenter ostendit, etiam voluntaria homicidia exsillo punita esse, idque exsillum redimi potuisse certa pecuniae summa, propinquis exsoluta, quam ὑποφόνιον vocabant. EVSTATHIVS ad HOMERI *Iliad. Lib. XVIII.* Ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος, καὶ ποιήν ἔσθ' ὅτε δίδοσθαι ὑπὲρ φόνου καὶ μὴ ἀνάγκη φεύγειν εἶναι αἰεὶ τὴν πατρίδα τὸν πεφονευκότα. *Mos erat vetustissimus, poenam quamdam dari pro homicidio, ne necessitas imponeretur homicidae, patriam in perpetuum fugiendi.* Et SVIDAS: r) τὰ ἐπὶ τῷ φόνῳ διδόμενα χεῖματα τοῖς οἰκείοις τῷ ἀνακρεθέντος, ὑπὸ τῆ τὴν αἰτίαν ἔχοντος, ὅτι ἀνήρηκεν, ἵνα μὴ ἐπεξίσωσιν, ἐπὶ τῷ μὴ ἐπεξέχεσθαι μήτε γενέσθαι τὴν τῆ φόνου δίκην ὑποφόνια καλεῖται. *Pecunia, quae caedis causa dabatur propinquis defuncti ab eo, qui caedis reus erat, ne eum persequerentur, neu caedis illius iudicium fieret, ὑποφόνια adpellabatur.* Et iidem tamen delicta paullo leuiora multo seuerius coercabant, et adulteros quidem λαθῶ χιτῶνι, vti vocat HOMERVS *Iliad. III. v. 57.* seu *lapidea tunica* induendos, id est, lapidibus obruendos, putabant. Ipsa quoque lex Cornelia non vltrore gladio saeuiebat in ficarios, sed iisdem aqua et igni interdicebat. s) Et quamuis postea mediae conditionis homines capitis damnarentur, infimae in crucem irent, vel bestiis obijcerentur: t) mansit tamen in honestioribus poena depor-

p) l. 16. §. 2. D. de poen.

q) *Antiqu. Homer. Lib. II. Cap. VIII.*

r) voce ὑποφόνια. p. 564. Tom. III. edit. Kasteri.

s) *Pa. ll. Rec. Sent. Lib. V. tit. XXIII.*

t) l. 3. §. 5. D. ad Leg. Corn. de ficari

deprehenfis, neque ideo quisquam barbaros
 Romanos, quamvis iidem in abigeos
 non inuaduertere non dubitarent. u) Eat
 nonnullis, et ideo explodendas putet leges
 Graecorum, quod caedem hominis certa
 poena, sicut furtum equi morte expiari volue-
 rint. quod Graeci, et ipsi, quorum iura
 omnibus aliis anteferenda existimant, Roma-
 nis singulimò omnino iure vfi sint. Nimirum,
 vti recte obseruauit SAM. PVFENDORFFIVS, x)
 non est necessarium, vt eadem semper inter poenas
 haerent, quae est inter obiecta per delictum vio-
 latis, sed singulis delictis sua velut seorsum poena
 potest imponi, prout est ex usu reipublicae, non con-
 siderato, an par, an vero minor poena sit imposta
 vni delicto, quod in se minus aut maius isto videtur.
 Et vti quibusdam interiectis pergit: Saepenu-
 mero delicto, quod in se leuius videtur, in foro hu-
 mano grauior est poena constituta, et vice versa,
 prout usus reipublicae et arbitrium legislatoris tulerit.
 Super quo inaequalitate reus post necquidquam que-
 ritur, quippe quam vtiq; praesciuit. Quod
 deinde ad singularia certamina attinet, qui-
 bus ea, quae alioquin iure terminari sole-
 bant, finiebantur, non tam legislatorum haec
 culpa est, quam eorum, qui tum christianae
 doctrinae lacte imbuebant gentes, antea solis
 armis et latrocinis adsuetas. Horum sane
 erat, nouas gentes auertere ab illa infania, et
 diligentius illis inculcare praeceptum, non

c

tentan-

u) l. 1. pr. et §. 3. D. de abig.

x) Lib. VIII. de iure nat. et gent. Cap. III. §. XXIII.

tentandum esse Deum, y) nec ea, quae supra naturam sunt, ab eo expectanda, nisi quae ipse se facturum, diserte promiserit. Sed tantum abest, vt ei satisfecerint officio, vt oleum animis suffuderint, et ex hac temeritate fructum aliquem voluerint capere, argumentumque inde duxerint ad veritatem Christianae religionis demonstrandam, quin et sacra prius fecerint, et temerarios gladiatores ieiuniis, et confessione peccatorum, nec non percepta sacrosancta eucharistia, ad hanc lanienam praeparari iusserint, z) vt eo auspiciatissimum istud certamen inirent. Et sane leges istae veterum Germanorum, quibus singularia illa certamina et purgationes vulgares stabiliuntur, non sine episcoporum et clericorum suffragiis latae sunt, quum eas ferre non solerent Francorum aliarumque gentium Germanicarum reges, nisi adhibitis in consilium non modo proceribus, veluti ducibus, comitibus et vniuerso populo, verum etiam episcopis, a) qui si fungi officio suo, et moris istius patrii turpitudinem populis, pietatis Christianae studiosissimis, demonstrare voluissent, facile profecto, qua erant auctoritate, impetrassent, vt ei darent repudium. At vti pium honestumque videbatur

y) *Deut. VI, 16. Matth. IV, 7.*

z) *Car. du Fresne gloss. lat. Tom. II. pag. 137.*

a) *Hert. notit. regni Franc. Cap. V. §. IV.*

batur rudibus populis, Deo committere rerum dubiarum iudicium: ita non mirum profecto est, eos deinde mordicus tenuisse consuetudinem, ab ordine ecclesiastico toties probatam, maxime quum ipsos aliquando clericos cum aliis ferro contendere de causis in iudicium deductis, animaduerterent. b) Enimuero hanc barbari moris rubiginem iam pridem, et multo ante, quam ius Romanum cis Alpes innotescere coeperat, deterfit infrequens aetas, ut non sit verendum, ne Germani nostri ius suum sine illa arte gladiatoria aut purgationibus vulgaribus non sint agnitori. Consecramentalium usus non tam absurdus fuit, uti plerisque videtur, neque ad periurii societatem vocabantur tot homines, sed ad veritatem tanto certius eruendam adhibebantur. Plus fidei facere plures existimabant, quam vnum, neque credibile videbatur, viros honestos, et fidei, prout Germanos decebat, studiosissimos, vna cum alio liquido iuratos, nisi vel facti, de quo agebatur, consciis essent, vel illis admodum credibile videretur, eum, cui delatum esset iusiurandum, sancte et ex animi sententia iurare: quamquam, si Romanis licuit, ad probandam solutionem debiti instrumento comprehensi quinque testes requirere, c) non video cur

C 2

non

b) *Speelmann. glossar. in voce iudicium Dei.*

c) *l. 18. C. de fide instr.*

non et Germanis tres, quinque, septem, pluresue, prout causae grauitas exigere videbatur, requirere licuerit. Illud quoque, quod de adulterii et parricidii poena adferunt, (nam Frisorum de sacrilegorum supplicio legem ad tempora, quibus nondum Christo nomen dederant, pertinere, res ipsa docet,) nescio vtrum laudandum potius, quam reprehendum sit. Poenae acriores, demum delictis gliscentibus, statui solent, ac proinde non opus visum est Germanis acriore adulterorum et parricidarum supplicio, quum iis probris ac flagitiis nihil apud se esset rarius. Ferunt, legislatorem nescio quem parricidio poenam plane nullam irrogasse, quod tantum scelus in quemquam mortalium cadere, vix arbitraretur. Et iam Germani tam bene de gentis suae probitate sperabant, vt nec parricidam vllum, et adulteros quam paucissimos inter ciues suos futuros, praesagirent, ac proinde poenis atrocioribus ea crimina coerceri, minus necessarium putarent. Nec tam subtiles erant Germani, vt in lenocinium incidere existimarent poenam pecuniariam, marito, iniuriam passo, adplicandam. Leno est, qui dolo malo feminas prostituit, et quaestuarium habet corpora, Cui vero pecunia in poenam soluitur, is non magis venalem habere vxorem dici potest, quam is venales habet alapas et pugnos, qui ex iuris Romani principiis certa

certa pecunia aestimat has iniurias. Contractus et actiones multo accuratius distingui a Romanis, quam a maioribus nostris, facile largimur. Sed his non opus esse videbatur iis distinctionibus, quum omni pactioni eandem obligandi vim tribuerent, et ex omni conuentione, quae deliberato animo esset inita, darent actionem, magisque haec omnia ex aequitate et recta ratione, quam ex certis formulis, nominibus, causis, aestimarent. Non possumus porro, quin miremur censorum seueritatem, qui et meliorem ordinem, et maiorem verborum elegantiam ab eius acui hominibus requirunt, quo inter ipsos Romanos omnis elegantia, omnisque ingeniorum cultus iam pridem perierat. Et quis, quaeso, ordo, quae verborum elegantia olim in XII. tabulis, aliisque legibus antiquissimis, fuit? Admirabatur in his CICERO d) *non modo rerum, sed et verborum, elegantiam*: et SEX. CAECILIUS apud GELLIVM e) *elegantem atque absolutam breuitatem verborum*: sed hos quidem amore vetustatis insaniuisse, credideris. Quae enim verborum elegantia inesse potuit νομοθεσία, Εραχέως καὶ ἀπερίττως συγκεκλιμένη, *legibus breuiter et abrupte scriptis*, vti XII. tabulas vocat DIODORVS SICVLVS? f) Et quis insignem orationis

c 3

d) *Fragmentum apud Nonium Cap. V. n. 34.*e) *Lib. XX. noct. attic. Cap. I.*f) *Lib. XII. biblioth. pag. 87.*

tionis cultum in verbis obsoletis, quae dudum vsus exploserat, quaesiverit? Suauiter sane hanc populi Romani stultitiam ridet HORTATIUS, g) quippe qui illas antiquitatis scorias miretur:

*Sic fautor veterum, vt tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera
regum,*

*Vel Gabiis, vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet, Albano Musas in monte loquutas.*

Non eadem profecto est leges ferentium, eademque docentium ratio. Horum est, dare operam, vt omnia ordine quam possunt, pulcherrimo, verbisque puris ac propriis proponant: ad illos neutra cura pertinet, quum non doceant, sed praecipiant, ciuiumque parum referat, quo ordine, quibusque verbis recte facere iubeantur, modo sciant, quid faciendum omitendumue sit. At ne id quidem, inquirunt, satis constare potuit ex vetustis illis Germanorum legibus, quum saepe ad illas intelligendas Delio natatore opus esse videatur. Sed quibusnam? Illisne, qui tum vixerunt, ciuibus, an nostrae aetatibus hominibus? Prius nemo dixerit: idque sufficit ad leges illas excusandas. Si quid enim nobis hodie non satis peruium est, (quod tamen non adeo multum fuerit,) id vetustati, non legislatoribus, tribuendum est. Quare quod de obscuritate XII. tabularum disse-

g) *Lib. II. Epist. I. v. 23.*

diffinit. CAECILIUS apud GELLIUM, h) idem et ad Germanorum leges ab obscuritate liberandas pertinet: *Obscuritates, in quibus non adsignemus culpae scribentium, sed inscientiae non obsequentium, quamquam hi quoque ipsi, qui quae scripta sunt, minus percipiunt, culpa vacant.* Nam longa aetas verba atque mores veteres obliteravit, quibus verbis moribusque sententia legum comprehensa est. Denique plus speciei quam soliditatis habent, quae de vtriusque speculatoris aliorumque veterum prologis et philosophematibus adferuntur. Sunt illa specula non *νομοθεσίας*, sed libri, priuata auctoritate conscripti, quibus leges et consuetudines patrias, iam paullatim paene exolescentes, in memoriam ciuibus reuocare conati sunt. In huiusmodi vero libris quaedam admisceri, vel ad historiam, vel ad ius publicum pertinentia, non sane absurdum est: nec tam reprehensione, quam commiseratione, digni sunt, qui iis vixerunt saeculis, quibus non potuerunt non in his rebus labi ac decipi. Et si in IVSTINIANI ipsius nouellis constitutionibus ferendi sunt prologi satis verbosi, in quibus aliquando non multo rectius, quam vel REP-KOVIVS, vel speculator Alamannus, philosophatur: i) quidni haec feramus in libris istis, maxime quum veluti *πάρρησια* sint, et nemo eos libros addiscendae vel historiae, vel iurispru-

h) *Lib. XX. Cap. I.*i) *Thomas. delineat. hist. iur. §. LXVII. sequ.*

dentiae publicae causa legat, sed ob mores patrios, quorum insignis thesaurus, quidquid aliis videatur, in istis voluminibus reconditus est. Quaedam etiam ridicula hodie videri solent indoctoribus, quae olim communi fere hominum iudicio probabantur. Sic quamuis indignam huius scilicet saeculi castitate putent adulterii poenam, ex antiquo iuris Lubecensis codice descriptam, veteres tamen tantum non omnes ea corporis parte inflixisse poenas, qua quis peccasset, erudite demonstravit elegantissimi ingenii vir, AEGIDIUS MENAGIUS: k) adeoque illos, qui haec rident, eo morbi genere laborare dixeris, quod in expertibus litterarum grauiter notauit CORNEL. NEPOS, l) vt *nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conueniat, putent.* Sed et quae ex iure Susatensi adferunt, ea partim seueritatem potius maiorum nostrorum, quam imprudentiam, arguunt, partim ita comparata sunt, vt potius laudanda, quam ridenda videantur. Commendare enim Susatenses iudicibus voluerunt *παιρησιαν*, religionemque, illo officio dignam, ac proinde eos sublimes in tribunali sedere iusserunt vultu totiusque corporis habitu ad grauitatem composito, sed simul iis aurem vellicarunt, vt meminissent *des gestrengen vrtheils, vnd gerichtts, das Gott über ihn richten wolle, an dem letzten iüngsten dage.* Haec profecto qui absurda ac ridicula

k) *Amoenit. iur. Cap. XXXII. pag. 191.*

l) *Nep. praefat. comm. 2.*

culam, is mihi, quid rideat, videtur
omni ignotare.

Statuendum ad alterum criminationis
causam, quod illi maxime vrgent, qui iuris
Germanici nullum in foris Germaniae vsum
esse, arbitrantur, non alia ratione in eam ad-
ducti sententiam, quam quod, adoptato a
Germanis iure Romano, nullum amplius lo-
cum fuisse Germanico, contendunt. Quod

fane mirum ob multas causas videtur. Nam
primo certissimum est, gentium Germanica-
rum leges atque instituta, ab eo tempore,
quo illi arma victrica per prouincias Romanas
circumferre coeperant, adeo sese probasse
gentibus tantum non omnibus, vt paene v-
niuersus terrarum orbis cum occidentalis, tum
orientalis, illa adoptaret. Obseruauit id
certe HVGGO GROTIVS, m) dum de communibus
gentium moribus, quos ipse partem iuris
gentium constituere existimat, ita differit:

*Immo et hoc euenire poterit, vt aliis locis atque tem-
poribus longe alius mos communis, ac proinde ius gen-
tium, proprie dictum, introduceretur. Quod et
reuera factum videntur: ex quo GERMANICAE NA-
TIONES Europam ferme omnem inuaserunt. Sicut
enim olim iura Graeca, ita tunc GERMANICA INSTI-
TVTATA, passim recepta sunt, et nunc etiam vigent.*
An vero credibile est, instituta illa Germani-
ca, quae fere vbique iuris gentium naturam in-
duerunt, in ipsa Germania ita exoleuisse, vt nul-

la eorum supersint vestigia? Deinde nemo ignorat, maiores nostros tam prisca moris tenaces fuisse, vt nihil fere, nisi quod vere Germanicum esset, (*gut alt teutsch,*) probarent. An ergo probabile est, eos, veluti exhausto Circes poculo, adeo naturam suam exuisse, vt omnia maiorum instituta vno momento repudiarent? Denique repentinam huiusmodi rerum conuersionem non aliter factam esse oporteret, quam communi omnium suffragio, id est, lege publica, vel sponse reipublicae communi. Talem vero legem vniuersa ignorat Germania. Quamuis enim existant leges, quae iura Caesarea (*die gemeine rechte*) iudiciis imperii supremis commendant: n) numquam tamen ideo Germani nuncium miserunt legibus ac moribus patriis, sed eos semper et saluos esse oportere, statuunt, et pro norma esse iubent supremis, iudiciis *redliche ländische ordnungen, statuten vnd gewonheiten der furstenthümen, herrschafften vnd gerichtten.* o) Quod, quum tam sit manifestum, vt vltiore probatione non indigeat, illis etiam confersum extorsit, qui alioquin parum fauent iuri Germanico. Sic ὁ πᾶν STRYKIVS, p) cuius optime de me meriti praeceptoris memoriam nulla vnquam apud me delebit obliuio, quamuis ius Romanum maximi pro eo, ac decet, faciat, ingenue tamen fatetur, *ius Iustinianum in publi-*

n) Conring. de orig. iur. Germ. Cap. XXXIII. p. 212.

o) Thomaf. not. ad Conr. Sinceri epistolam §. LXXIV. sequ.

p) Diff. praelim. vsui Pand. praemissa §. XXVII.

publicis quidem imperii Germanici legibus, consensu omnium statuum latis, pro iure communi haberi, non tamen id ita esse intelligendum, quasi solis legibus Romanis viuendum sit in Germania, et quidquid olim maiorum moribus inductum, penitus sit explosum, (nusquam enim textum in imperii constitutionibus reperiri, in quo non ius commune Caesareum et recepti mores iungantur,) sed, ita pergit vir doctissimus, q) catenus ius ciuile in causis decidendis in imperio esse obseruandum, quatenus honesta aut rationabilis consuetudo, aut recentior lex imperii doceri nequeat: his enim deficientibus demum, standum esse iuri Iustiniano. Ex quo demum colligit vir prudentissimus, consuetudines, antiquitus obseruatas, iuri scripto merito praeferrere, ac proinde in subsidium, si in casu proposito nulla legitima consuetudo adsit, ad ius Romanum recurrere debere. Idem fatentur omnes, qui rem paullo accuratius expendunt, ac proinde eos omnes vel maxime obiurgandos putant, qui ius, in quo quotidie versantur, ignorant. Addam vnius CASP. ZIEGLERI r) verba, quibus in eos, qui omnia ad iuris Romani decempedam exigenda putant, inuehitur: Et ni fallor, inquit, haec saeculi labes est, quod in academiis ad leges Romanas ita adsuescieri cogantur iuuenes, ut in omni controversia, etiam ubi inter summos principes lis vertitur, non aliunde decisionem petendam credere oporteat, quam ex iure Romanorum, et legibus isti vni reipublicae accommodatis. Fac mihi iam talem publico regimini admoueri, et de lege condenda deliberationem

q) §. XXVIII.

r) Praefat. ad animaduers. in Grotium.

nem institui: subnixo ille animo leges, quas didicit, ad nauſeam euomet, et Romanorum instituta, vt τειμιστων ἰσηὰ, obseruabit, nec admittet, legem nouam aliter scribi. Sic igitur effectus omnes e. g. patrię potestatis, moribus Romanis introductę, matri denegabit, quia scilicet matrem liberos in potestate habere noluit respublica Romana. At vero non amplius inter Romanos scribere oportuit legem, sed inter eos populos, qui ductum naturę sequuti, vtrique parenti eandem deferunt potestatem, idem imperium, nisi quod in contentione imperiorum primas relinquunt patri. Sunt eiusmodi alia plura, nostrę rei publicę Germanicę minus conuenientia, quę si quis in argumentum exhibere velit nouę legis, Germaniam is in prouincię formam redigere velle censebitur, victor, si Diis placet, scholasticus et umbratilis. Sunt ergo, quę in Germanię foris adhuc obtinent, iuris Germanici reliquię, et quamuis alibi plures, alibi pauciores, supersint, tamen nusquam fere tribunalia ita occupauit Themis Romana, vt ius patrium loco pepulerit: ac proinde non male mereri videbuntur de iurisprudentia, qui hæc λειψανα cum cura colligere, et ad principia sua reuocare student, modo et iuri Romano suum constet pretium, et illud cum hoc ita coniungatur, vt neutri detrahatur quidquam, sed vtrumque amice cohabitet, et nec patrium Romani, nec hoc illius officiat luminibus.

At si vel maxime, inquirunt, aliquas iuris patrii reliquias in foris Germanię superesse fateamur: quodnam erit certum ac stabile eius
iuris

iuris fundamentum? Quid ad nos priscae illae ac obsoletae gentium Germanicarum leges, quarum farraginem HEROLDO, LINDENBROGIO, BALVZIO, aliisque debemus, quarumque maxima pars nullam in Germania auctoritatem unquam consequuta est? Et quid nobis cum speculis illis Saxonum et Sueuorum, quorum illud in aliqua tantum Germaniae parte aliquamdiu pro lege fuit; hoc an unquam pro norma receptum fuerit in causis decidendis, a viris doctis s) merito dubitatur? An non absurdum est, ius nescio quod Germanicum iactare velle, cuius certum aliquod fundamentum ostendere non possis? Enimvero, quodnam alii huius iuris fundamentum commendent, mea parum refert. Ego quo genere argumentorum ipse usus sim, paucis eloquar. Nimirum in Germania quaedam iura hodie quoque vigere, quae principiis iurisprudentiae Romanae minus conueniant, nemo ignorat, idque fatentur et ii, qui alioquin nihili faciunt iuris Germanici studium. Sic ut exemplis paucissimis rem demonstramus, nemo dubitauerit, quin multo alia apud nos sint dominorum in seruos hominesque proprios, parentum in liberos, tutorum in pupillos iura, quam apud Romanos, multaque dominii utilis seruitutumque genera apud nos recepta sint, quae Romani non habuerint: pacta
prae-

s) *Harprecht de non usu iur. feud. Alamann.*

praeterea nuda in Germania non minus obstringant contrahentes, quam contractus, omni adhibita solemnitate initi. Et quamuis haec similiaque partim in certis tantum prouinciis obseruentur: pleraque tamen vbique adhuc vigent in Germania, et iam ab iis, qui vsum iuris Romani ex instituto ostenderunt, veluti in Belgio a BVSIO, ZYPÆO, GROENEWEGIO, GVDELINO, SIM. VAN LEEVWEN, in Germania a STRYKIO, HOPPIO, PHILIPPI, aliisque, diligenter notata sunt. Iam haec omnia contulimus cum priscis Germanorum moribus, quos vel veteris mediique aevi leges, vel historiarum monimenta, vel diplomata, quae diligenter contulimus, nobis describunt. His vero quas conuenire deprehendimus hodiernas consuetudines, vere Germanici iuris reliquias esse, non potuimus non colligere, et tantum non pro certo adfirmare. Quidquid enim nos Germani in iudicando sequimur, id aut ex iure Romano est, aut ex Germanico. Ex vtro fere fonte promanet, diiudicari aliter non potest, quam si expenderis, illine, an huic iuri, id magis conueniat. Quamobrem et frustra quaerimus, an veteres illae legum farragines vnumquam pro iure fuerint in Germania nostra. Nam inter illas, quod ad praecipua capita attinet, insignis concordia est, vt dubitari non possit, quin id, in quo vel omnibus, vel plerisque conuenit, consuetudo fit

lit vera Germanica, ac proinde vbique viguerit, vbi etiam ipsae leges istae vel nihil, vel parum conseruatae sunt auctoritatis.

Quae quum ita sint, in adornando hoc opere eam mihi ipse legem dixi, vt primum veterum Germanorum iura consuetudinesque ex antiquis et recentioribus eorum legibus cum cura describerem, eaque ex annalibus ac diplomatibus pro virili illustrarem. Deinde ex eo recensu collegi quaedam principia vel axiomata, quae communia fuisse gentibus Germanicae originis omnibus, ex illis legibus monumentisque antiquissimis adparebat. Denique et conclusiones varias, ex istis principiis elicitas, hodie quoque in Germania vel vbique, vel in certis tantum provinciis, vel ciuitatibus, superstites esse, ostendi. Qua quidem methodo vel scribendi ratione, quum nemo, quod sciam, IVS GERMANICVM tradiderit: eo minus mihi indignabitur lector beneuolus, si me in quibusdam alucinatum esse, existimauerit, multoque minus aegre feret, si alicubi vel calamus, vel typothetae manus aberrauerit. Scripsimus haec tot oppressi laboribus, vt saepe somno suffurandum esset tempus, tantum ne ferias sibi imperari quererentur operae, praeterea tanta animi aegritudine debilitati ac paene confecti, vt numquam difficiliore veluti partu aliquid exclusit ingenium nostrum, quam hunc
ipsum

ipsum libellum, quem ob causas quam plurimas veluti BENONI nostrum t) possumus adpellare: Sed tanto maioribus laudibus nobis celebrandus est summus rerum arbiter, DEVS, qui et me aduersus innumeras amicorum, (si Diis placet,) inimicorumque insidias tutum praeficit, et hunc quoque laborem egregii publici causa suscipienti vires clementer suffecit. Ei itaque et in posterum nos studiaque nostra commendamus, eoque alacrius nos accingimus alteri huius operis parti perpoliendae, quo certius nos ipsa docuit experientia, Dei praesidio conscientiaque recte actorum tutum, nihil habere, quod metuat:

*Sine per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.*

TU LECTOR vale, simulque viro integerrimo, publicaeque vtilitatis studiosissimo, HENRICO ZOPFFIO, qui bibliopolio orphanotrophi cum laude praestitit, nullisque sumptibus pepercit, ut liber hic quam nitidissime prodiret, mecum gratias, quas potes, maximas age. HALAE x. Kal. Sept. cio icccxxv.

t) Gen. XXXV, 18.

PRAEFATIVNCVLA NOVA.

ERVDITO LECTORI

S. P.

QVod olim subuerebatur
vir, doctrina meritis-
que in bonas litteras
eximius, FRIDRICVS LINDEN-
BROGIVS, quum anno superio-
ris saeculi tertio decimo in-
comparabilem illum legum
antiquarum codicem in lu-
cem ederet, puta, ne vetera
*illa, quia protrita non sint, vel
argutiis contortiplicata, futi-
lis aliquis thematicus vel impu-
dens*

dens forensis cerberus obscura nimis, atque inutilia clamarret: a) idem et mihi nuper videbatur metuendum, quum priorem ELEMENTORVM IVRIS GERMANICI tomum scriniis meis elabi paterer. Neque enim adeo bene ominari poteram libello, non in trito aliquo aut vulgari argumento, sed in rebus, a vulgi notitia remotissimis, occupato, ac proinde vix publici saporis futuro, qui verissimum esse scirem illud TERENCEIANI MAVRI:

Pro captu lectoris habent sua fata libelli.

Quo-

a) LINDENER. *prooem. extr.*

Quotusquisque enim est, qui talia non dicam intelligat, sed vel attingere conetur, ac non potius eos omnes veluti bidental aliquod mouere existimet, qui ius illud Germanicum, iam pridem, ex eorum sententia, in exilium actum, in ipsis Germaniae foris ac tribunalibus quaerere non dubitent? Enimuero triste istud ac illaetabile augurium non tam animum meum adfecit, quam illum erexit partim mens conscia recti, partim illud veteris, quem hodie desideramus, auctoris: b) Μεγαί-

d 2

λω;

b) *Apud LONGIN. de sublim. sect. III. p. 14. edit. Zach. Pearce.*

λως ἀπολιθαίνειν ὁμῶς εὐγενὲς αἰμαρτή-
μα. *A magnis tamen excide-*

re generosum est peccatum.

Nec adeo aegre mihi laturus
videbar, si libellus hic parum
esset vendibilis, quum saepe-
numero et optimorum libro-
rum hoc fatum sit, et mihi
istud non ἐν παραλόγῃs accide-
ret, quippe qui iure meum
facerem illud Aeneae apud
VIRGILIVM: c)

*Omnia praecepi, atque ani-
mo mecum ante peregi.*

At numquam vel mens prae-
saga futuri me magis fefellit,
vel

c) *Aeneid. Lib. VI. v. 105.*

vel spem magis superavit e-
 uentus, quam dum ego, in
 his timidiusculus, libellum
 meum ad piper et tus damna-
 tum iri, suspicatus sum. Nam
 et permultorum doctissimo-
 rum hominum litteris ac testi-
 moniis intellexi, consilium
 meum plerisque non improba-
 ri: et libellum hunc emtores re-
 perisse, res ipsa me fatis edo-
 cuit, quum iam, vix quinto
 mense a prima editione ela-
 pso, iterum praelo subiicien-
 dus fuerit, diuenditis exem-
 plaribus omnibus, nec vlllo in
 bibliopolii pluteis, quod ve-

num proftaret fuperftite. Equidem fi meo res acta effet arbitrio, vel vota haberent, quo caderent: non ingrata mihi accidiffet mora aliqua, vt interim, legendo colligendoque ea, quae ad opus hoc illustrandum locupletandumque pertinere viderentur, operae pretium facere licuiffet. Aft quum tantis temporis anguftiis circumfcripto, variisque diftricto occupationibus, integrum mihi haud fuerit, omnes librariae fupellectilis forulos fecundis curis excutere: id faltem operam dedi, vt
prior

prior ille tomus multo melior atque emendatior nunc prodiret. Primum enim ipse uniuersum libellum de nouo recensui ac recognoui, mendaque quamplurima, quae vel calami errore, vel operarum inadvertentia irreperant, sustuli. Deinde passim quaedam, quae orationem paullo obscuriorem reddere videbantur, vocibus quibusdam vel additis, vel detractis, vel mutatis, magis perspicua dare conatus sum. Praeterea hinc inde doctrinas meas nouis ac luculentioribus vete-

rum annalium, chartarum, legum, statutorumque testimoniis firmaui, experiundo edoctus, esse hos veros ac genuinos iurisprudentiae Germanicae fontes, ex iisque, quid iustum et bonum visum fuerit maioribus nostris, quidque posteris ab illis veluti per manus traditum acceperint, multo, quam aliunde, certius cognosci posse. Adiecimus quaedam, quae se nobis, libellum relegentibus, veluti sua sponte obtulerunt, eoque factum est, ut et paragraphi quidam paullo, quam antea, longiores

res

res sint, et plures accesserint observationes nouae; quas textui, tamquam adnotationes quasdam nouas, subiecimus. Religioni enim nobis duximus, numerum ipsum paragraphorum turbare, ac proinde pleraque, quae adiicienda visa sunt, tamquam scholia subiecimus textui, nisi quod liber II. ob errorem, in numeris antea admissum, iam constat § §. CCCCLXXXIX, quum antea tantum CCCCLXXXVII. numerarentur. Ex quo facile intelliges, cur, quamuis et mihi, et mei amantissimo,

ZOPFFIO, litteris paullo minutioribus in hac editione uti placuerit, libellus tamen ad eandem fere molem, quam in priore editione animaduerstisti, excreuerit. Iam ergo nihil superest, quam ut fidem ego liberem, quam primum fieri poterit, et posteriorem quoque tomum, qui iuris Germanici principia de delictis, et omni iudiciorum ordine, complectetur, tecum, LECTOR ERVDITE, communicem. In eo vero adornando iam me totum esse, scito. Quum enim reipublicae litterariae,

rariae, quae adhuc meas esse aliquid putavit nugas, gratum memoremque tanti fauoris animum non minus, ac me totum, debeam: nihil profecto faciam reliqui, ne eius de me expectationem, quoad vixero, turpiter destituisse videar. Non equidem ignoro, esse hoc in fatiis meis, ut quibusdam, quibus minime oportebat, obtrektoribus, omnia, quae a me proficiscuntur, vel ideo, quia a me proficiscuntur, fudes in oculis sint: sed hos quidem suo abundare sensu aequissimo animo patior, illisque sollemne

lemne istud ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ sincere
ro animo adclamo; TE vero,
ERVDITISSIME LECTOR, et-
iam atque etiam VALERE iu-
beo. Halae ipsis idibus Febr.
MDCCXXXVI.



ELEN-



ELENCHVS CAPITVM.

TOMI HVIVS PRIORIS.

PROOEMIUM de natura et constitutione iuris Germanici. pag. 1

LIB. I.

DE IVRE PERSONARVM.

- TIT. I. de prima hominum diuisione, et speciatim de seruilis conditionis hominibus. p. 14
- TIT. II. de statu libertinorum, seu rusticorum non adscriptitiorum. p. 34
- TIT. III. de statu ingenuorum, seu equestris nobilitatis in Germania. p. 44
- TIT. IV. de statu nobilium, seu principum dominorumque iuribus. p. 63
- TIT. V. de iure municipum, qui medio aeuo burgenfes. p. 72
- TIT. VI. de altera hominum diuisione, et speciatim, de parentum potestate in liberos. p. 98
- TIT. VII. quibus modis ius illud potestatis acquiritur. p. 110

TIT.

ELENCHVS CAPITVM.

- TIT. VIII. quibus modis parentum potestas iure Germanico soluitur. p. 125
- TIT. IX. de sponsalibus. p. 136
- TIT. X. de ritu nuptiarum. p. 153
- TIT. XI. de iure dotium, dotalitii, morgengabae, similiumque lucrorum nuptialium. p. 188
- TIT. XII. de potestate ac tutela maritali. p. 213
- TIT. XIII. de matrimonio ad morganaticam. p. 245
- TIT. XIV. de diuortiis et repudiis. p. 262
- TIT. XV. de personis, quae sub tutela viuunt, et quotuplex Germanis tutela? p. 274
- TIT. XVI. de officio et administratione tutorum, modisque, quibus tutela iure Germanico finitur. p. 309
- TIT. XVII. de tertia hominum diuisione in eos, qui integrae existimationis, et qui infames sunt. p. 323
- TIT. XVIII. de quarta hominum diuisione, et statu peregrinorum. p. 349

ELENCHVS CAPITVM.

LIBER II.

DE IVRE RERVM.

- TIT. I. de variis rerum secundum ius
Germanicum diuisionibus. p. 363
- TIT. II. de dominio eiusque diuersis ge-
neribus. p. 389
- TIT. III. de modis acquirendi dominium
naturalibus. p. 405
- TIT. IV. de modis acquirendi iuris ciuilis,
speciatim de vsucapionibus, vel
praescriptionibus, et inuestitu-
ris. p. 443
- TIT. V. de seruitutibus. p. 465
- TIT. VI. de iure hereditario, et speciatim
de pactis successoriis. p. 472
- TIT. VII. de testamentis, et vltimis volun-
tatibus. p. 495
- TIT. VIII. de exheredatione, substitutio-
nibus, aliisque testamentorum
accessoriis. p. 516
- TIT. IX. de successione ab intestato, vel
legitimis. p. 526
- TIT. X. de acquirenda vel omittenda he-
reditate. p. 580
- TIT. XI. de iure pignoris. p. 596

TIT.

ELENCHVS CAPITVM.

- TIT. XII.** de obligationibus, et primo
quidem, de pactis vel conuentio-
nibus generatim. p. 605
- TIT. XIII.** de conuentionibus, vel pactis
beneficis. p. 624
- TIT. XIV.** de conuentionibus onerosis,
certam praestationem continen-
tibus. p. 653
- TIT. XV.** de conuentionibus onerosis,
aleam continentibus. p. 672
- TIT. XVI.** de conuentionibus accessoriis.
p. 690
- TIT. XVII.** quibus modis obligationes
soluuntur. p. 714



ELE-



ELEMENTA IVRIS GERMANICI.

PROOEMIUM.

DE

NATURA ET CONSTITVTIONE IVRIS GERMANICI.

§. I.

QUum ius ciuile dicatur, quod quis-
que sibi populus constituit, et cuius-
iusque ciuitatis est proprium: *l. 9.*
ff. de iustit. et iur. extare etiam oportet le-
ges ac consuetudines, quas Germani iam inde a
gentis suae origine sibi proprias habuere, *)
easque recte **IVRIS GERMANICI** nomine ve-
nire, arbitramur.

Quid ius
Germanicum?

*) Non ergo hic quaerimus de iuribus in Germania
receptis: (nam ea non omnia sunt Germanica,)
sed de iuribus Germanicis, quamuis ea hodie vel
ob communem gentium originem, vel ob Ger-
manorum migrationes et extra Germaniam vi-
geant.

geant. Ita sane permulta eius generis iura in Gallia, Hispania, Italia, Anglia supersunt, quae eo intulerunt Franci, Gothi, Langobardi, Saxones et Normanni, quorum leges Germanicis, et maxime Saxonis, simillimas deprehendit vir illustris, IO. PETR. ALVDEWIG *Reliqu. MSSC. Tom. VII. in praefat.* Adeo verum est, quod obseruauit STRABO *Geogr. Lib. VII. p. 443. edit. nou.* τὰλλα τε παραπλησίως καὶ μορφᾶς, καὶ ἡθῶσι, καὶ εἰοῖς ὄντας, οἷς εἰρηκαμεν τῶς κελτῶς. *Cum aliis rebus, tum forma, moribus, et vitæ, simillimos sibi esse Celtas Germanosque omnes, et quod idem Lib. IV. p. 299. tradidit, Germanos Gallosque καὶ τῆ φύσει, καὶ τοῖς πολιτεύμασιν ἑμφερέας εἶναι καὶ συγγενῆς ἀλλήλοις, et natura, et moribus vitaeque institutis inuicem esse simillimos.*

§. II.

Id vel publicum, vel priuatum.

Quemadmodum vero ius omne, quatenus pro legum complexione accipitur, vel PUBLICVM, vel PRIVATVM est: ita eadem iuris positiones, uti vocat VLPIANVS *l. 1. §. 2. ff. de iust. et iur.* et apud Germanos reperias. Sed iam non folliciti de publico, priuati duntaxat notitiam paullo accuratiorrem quaerimus.

§. III.

Priuatum vel prouinciale, vel feudale, vel municipale.

IUS PRIVATVM medio aeuo in PROVINCIALE, FEVDALE et MUNICIPALIS, (*Land-Recht, Lehn-Recht und Weichbild,*) diuidebatur, quorum istud in tota prouincia; illud in curiis feudalibus; hoc intra ciuitates, et quousque ager suburbanus porrigebatur, *) obtinebat.

*) Fines

- *) Fines agri municipalis signis quibusdam, veluti crucibus, caelitim tutelarium imaginibus, statuis, vel columnis notabantur. Vid. diploma apud SCHNEIDER *Cbron. Lips. Lib. III. p. 88.* Quidquid ergo intra hos fines factum erat, intra weichbildum factum dicebatur, diiudicandumque ideo erat ex legibus municipalibus. IVS LVBEC. in praefatione: *Das Lübische Recht erstreckt sich in unser Stadt, und in den Städten, da Lübisches Recht gebraucht wird, so fern als unser und ihr Weichbild, Feld-Marck und Land-Webr reicht.*

§. IV.

Porro ut aliae gentes iure partim SCRIPTO Itemque PTO, partim NON SCRIPTO regebantur: vel scripta ius Germanicum quoque in *ἑγγραφον* primum, seu SCRIPTVM, et *ἀγγραφον* seu NON SCRIPTVM diuiditur, quorum hoc illo tanto antiprimum. tiquius est, quanto tardius Germanos aliquem litterarum vsum habuisse, alibi ostendimus. *) *Histor. iur. Lib. II. Cap. I. §. 1.* Annon vero permulta, quae Germani, tamquam prisca maiorum instituta, religiose feruarunt, publica auctoritate initio promulgata sint, non adeo expeditum esse arbitramur.

- *) Vulgo id probant testimonio TACITI de *Mor. Germ. Cap. XIX.* vbi, *apud Germanos plus valere, ait, bonos mores: quam alibi bonas leges.* Quod testimonium HERM. CONRINGIO sublegerunt omnes, qui de iure Germanico aliquid commentati sunt. At *boni mores TACITO non sunt bonae consuetudines, sed bona natura ac indoles.* Et *bonae leges illi speciatim sunt leges Iulia de maritandis ordinibus et Papia Poppaea.* Vid. *Commentar. nostr. ad Leg. Iul. et Pap. Lib. I. Cap. II. p. 25.*

§. V.

Fontes
Iuris non
scripti
Germanorum.

Iuris vetustissimi non scripti notitiam debemus TACITO, cuius *de moribus Germanorum* libellus ea tantum, in quibus Germanorum instituta a Romanorum moribus discrepabant, confectatur, nec non IVLIO CAESARI, qui de Germanis ex instituto egit *Libro VI. de Bell. Gall. Cap. XIV. sequ.* POM- PONIO MELAE *Lib. III. de Situ Orb. Cap. III.* denique STRABONI *Lib. VII. p. 443.* quamvis hic, quippe gente Cappadox, maiores nostros non nisi ex fama cognitos habuisse videatur.

§. VI.

De eo
quae-
dam a-
xiomata.

Quum vero Germani gens essent, *nullis aliarum nationum connubiis infecta, adeoque propria et sincera, et tantum sui similis*: TACIT. *de Mor. Germ. Cap. IV.* nemo sane mirabitur, 1) eos prisca moris patrii fuisse tenacissimos *), et quamvis 2) postea et peregrina quaedam iura adoptarint, non tamen id eo repudium dedisse institutis patriis, sed 3) illa duntaxat, tanquam ius subsidiarium quoddam, recepisse. STRYK. *Diss. praelim. in Vf. Modern. Digest.*

*) Id vel inde etiam a posteriore colligitur, quod mores plerique vetustissimi, quos TACITVS descripsit, multis post saeculis in Germania exterisque prouinciis, in quibus Germanicae gentes novas sibi sedes constituerant, superfuerunt, ceu ex instituto ostendimus in *Hist. iur. Ciu. Lib. II. Cap. I. §. III. seqq.* Quin eosdem, tot circumactis saeculis, hodie quoque sui vestigia expressi.

Assima passim reliquisse, infra suis locis pluribus argumentis ostendemus.

§. VII.

Simul ac tamen aliquem litterarum gustum habere coeperunt Germani, *) nihil prius, nihilque antiquius duxerunt, quam ut consuetudines suas patrias litterarum monumentis consignarent, et, si qua noua instituta exigere videretur necessitas, ea sollemniter promulgarent. Hinc a saeculo saltim quinto uti coeperunt iure scripto, quod nos in ANTIQVVM, MEDII Aevi, et NOVVM merito dispescimus.

*) Prius barbariem exuisse animaduertimus eas gentes, quae per orbem Romanum arma victricia circumtulerunt, quam quae in patrio solo substitutebant. Illae enim et citius Christo nomen dederunt, litterasque ab ecclesiae doctoribus edoctae, et quotidiana Romanorum prouincialiumque consuetudine ad ciuiliorem vitae morem paulatim traductae sunt. CONR. de Orig. Iur. Germ. Cap. II. p. 3. Hinc antiquiores sunt leges FRANCORVM, WISGOTHORVM, OSTROGOTHORVM, BVRGUNDIONVM, quam ALAMANNORVM, BOIORVM, SAXONVM, FRISIORVM, qui demum sub Francorum imperio legibus scriptis viuere coeperunt.

§. VIII.

Ad ius scriptum ANTIQVVM pertinent Fontes collectiones legum antiquarum IO. SICHARDI, BAS. IOANNIS HEROLDI, et FRIDERICI LINDENBROGII, quaeque ad illustrandas istas leges veteres scripserunt GODOFR. WENDELINVS, HIER. BIGNONIUS, FR. PITHOEVS, G. G.

LEIBNITIVS, GEORG. ECCARDVS, TED. SIBR. SICCAMA, et GAERTNERVS. Nec minus ad illud illustrandum faciunt CAPITVLARIA REGVM FRANCORVM vtriusque stirpis, de quibus post fratres PITHOEOS, VITVM AMERPACHIVM, IAC. SIRMONDVM et HIER. BIGNONIVM immortaliter meritus est STEPH. BALVZIVS.

§. IX.

Medii
aevi.

MEDII AEVI iurisprudentia Germanica quaerenda potissimum est in IVRE PROVINCIALI seu SPECVLO, IVRE FEVDALI et MVNICIPALI SAXONICO, itemque in IVRE PROVINCIALI et FEVDALI seu SPECVLO SVEVICO, quibuscum iungenda quaedam alia eiusdem fere aetatis statuta, veluti AVSTRIACA, BAVARICA, nec non ciuitatum quarundam Saxonicarum, et, quae primo loco commemoranda erant, LVRECENSIA, *) maxime qualia ista exhibent codices veteres et editio IOACH. KOLLII.

*) Austriaca debemus viro illustri, IO. PETRO LVDEWIGIO, qui ea edidit *Reliqu. MSS. Tom. IV. p. 1190*. Bavarica condita sunt anno MCCCXLVI, de iisque diximus in *Hist. Iur. Lib. II. §. LXXXIII*. Ciuitatum Saxonicarum antiquiora quaedam statuta edidit LEIBNITIVS *Script. Rer. Brunsv. Tom. III*. Sed plura eiusdem fere aetatis latitant in bibliothecis, quae maiore cura eruenda protrahendaque in lucem essent, si mens non haec esset Germanis, rerum suarum plerumque nimis incuriosis.

§. X.

Quum vero etiam olim Celtarum pae- Eo et-
 ne omnium iidem mores, eadem viuendi iam per-
 instituta fuerint, (§. I. *) et postea in pleris- tinent
 que occidentis prouinciis regna potentissima consue-
 constituerint gentes Germanicae, veluti Go- tudines
 thi, Franci, Burgundiones, Angli, Lan- vicina-
 gobardi, aliique, et gentes denique borea- rum prou-
 les eiusdem cum Germanis originis sint: uincia-
 fieri non potuit, quin hae omnes, tam- rum.
 quam priscorum morum tenacissimi, (§. VI, 1)
 permultas seruent iuris Germanici reli-
 quias, eaeque EX CAROLO MOLINAEO, PYR-
 RHO ANGLEBERMAEO, NIC. BOERIO, IO.
 SAINSONIO, REN. CHOPPINO, BARTH.
 CHASSANAEO, ARGENTRAEO, aliisque,
 qui consuetudines Galliae, *) Belgii, An-
 gliae, Daniae, Sueciaeque illustrarunt, scri-
 ptoribus, veluti IMBERTO, ZYPAEO, BUR-
 GUNDO, CHRISTINAE O, COWELLO, STI-
 ERNHOFKIO, LOCCENIO, multum lucis ca-
 pere possint.

*) Notum est, alias Galliae prouincias *iure scripto*,
 alias *non scripto* uti solere. In prouinciis, quae
 iure scripto utuntur, (*dans les prouinces de droit
 escrit,*) ius ciuile Romanum iam ab antiquo in
 usu est, talesque sunt Occitania, Vasconia,
 Aquitania, Prouincia, Delphinatus, et tractus
 Lugdunenſis. In reliquis prouinciis (*dans les
 pays coutumier,*) antiquis moribus viuunt, quos
 e Germania secum in eas prouincias intulerant
 Franci. Qua de re CLAVDIVS DV PRE in *O-
 riginibus Franc. Lib. V. Cap. V. p. 102. Les autres
 pays des Gaules qui n'avoient jamais senty le joug
 des Romains, mais furent vaillement conques-
 tes*

par les Francois, lorsqu'en passant le Rhin, avec tous leurs gens, ils leur baillèrent le nom de France, ont esté toujours ennemis juré des Romains, et n'ont reonné autres loix, que celles, qu'ils avoient de tout tems peculieres et usitées. Conf. ANN. ROBERT. *Rev. Iudic. Lib. II. Cap. I.* ANTON, DE DOMINCY *de Praerogat. allod. Cap. VII.* Ex quibus facile est ad intelligendum, quam multas iuris Germanici reliquias hodiernum servet Gallia, et religiosius, quam ipsa Germania, custodiat.

§. XI.

Et diploma
mata
medii
aevi.

Praeterea hanc medii aevi iurisprudentiam mirifice illustrant DIPLOMATA, quae subinde iuris cuiusdam faciunt mentionem, quod alibi frustra quaesueris. Quamvis vero vix exstet annalium historiarumque volumen, quod non aliquot saltim veteres chartas vel tabulas exhibeat: praecipue tamen laudandae sunt collectiones diffusissimae DACHERII, AVB. MIRAEI, FRANC. FOPPENS, EDM. MARTENE, CHR. LVNIGII, WIG. HVNDII ET GEWOLDI, VGHELLI, BVTKENII, IO. MABILLONII, STEPH. BALVZII, CAR. LVD. TOELNERI, IO. PETRI ALVDEWIG, IO. HENR. A FALKENSTEIN, SCHANNATI, KETNERI ET THOMAE RYMERI, quamvis non sit quorumuis, hanc adire Corinthum.

§. XII.

Ius scriptum
nouum.

Nouum ius Germanorum partim ex RECESSIBVS IMPERII, partim ex innumeris fere, quae a saeculo XV. vbique gentium prodierunt, STATVTIS, tum prouincialibus, tum municipalibus, addiscendum est. Horum

rum insignem adparatum olim possedit, ea-
que non infeliciter inter se contulit iurecon-
sultus Holsatus, HENR. GISEBERTVS, cuius
libri editi sunt sub titulis: *Periculum Har-
monicum*, *Iustinianus Harmonicus*, et *Deute-
ronomion Harmonicum*, omnibus sane in eo
genere essent praeferendi, si auctor et ma-
iore perspicuitate, et methodo paullo con-
cinniore, esset vsus. *) MOLLER. *Isagog. ad
Hist. Chersf. Cimbr. Part. III. p. 637.*

*) Vti autem potuisset, si dicto fuisset audiens viro
celeberrimo GODOFREDO GVIL: LEIBNITIO, qui ipsi
insignem ac vtilissimam methodum praescripserat
in epistolis, praemissis Deuteronomio harmonico.
Sed quum suo indulgere maluerit ingenio: non
mirum est, viri ceteroquin docti opera emtorem
initio non inuenisse, damnoque adfecisse aucto-
rem, qui ipse in editionem impensas fecerat, de
quo ille vehementer conqueritur in epistolis istis
ad Leibnitium. Talia nimirum esse solent libro-
rum fata, qui et obscuro horridoque dictionis
genere, et ipsa methodo confusiore, lectores om-
nes a se quam longissime abigunt.

§. XIII.

Hi ergo sunt genuini iuris Germanici De cul-
fontes, quibus vt recte vtaris, certa obser- tura iu-
uanda erunt axiomata, ex ipso Germano- ris Ger-
rum ingenio, eorumque reipublicae condi- manici
tione atque indole eruta. Nimirum quum axiomaI.
Germani prisca moris patrii tenacissimi sint,
nec ei, iure peregrino in subsidium adopta-
to, repudium dederint: (§. VI.) conse-
quens est, vt multi hodie etiam mores vbi-
que occurrant, qui Romanis vel plane fue-
runt ignoti, vel apud eos multo aliter sese

habuerunt. *) Itaque I.) haec negotia ac iura omnia non ex legibus Romanis, sed Germanicis, sunt explicanda.

*) De huiusmodi iuris Germanici capitibus, quae, quod non adeo iuri Romano adfinia sint, in academiis vix doceantur, in foro tamen quotidie vertantur, explicandis, post SCHOTTELIVM, in primis sollicitus fuit GEORGIUS BEYERVS in *Disquisitione de utilitate lectionum academicarum in iuris Germanici capita*, specimini iuris Germanici, quod ex illis praelectionibus natum est, praemissa, vbi et bene longum huiusmodi iurium ac consuetudinum catalogum texit.

§. XIV.

Secundum.

Quumque Germani non omnes intra solum patrium subsisterint, sed gentes plurimae, illo relicto, in pulcherrimas Romanorum prouincias sese infuderint, et illis tamen, sub alio quoque sole, prisca moris patrii sanctissima manserit custodia: (§. X.) fieri non potest, II.) quin ea procul dubio sint ex iure Germanico, quae non modo in Germania, sed et extra illam, apud gentes Germanicae originis, et antequam ius Romanum lacertos mouit, et post illa tempora, perpetuo vsu viguerunt. *) GROT. *de iure belli et pac. Lib. II. Cap. VIII. §. I. n. II.*

*) Haec tamen harmonia non ita amare exigenda est, vt non in vna alteraque *περισσότερα* dissensus obseruetur. Sufficit enim, gentes omnes vel plerasque originis Germanicae, quod ad rei summam attinet, consentire. Sic quamuis diuersa sit hominum propriorum rusticorumque conditio in diuersis Germaniae vicinorumque regnorum prouinciis:

nunciis; tamen quod ad rei summam attinet, eadem omnino fere vbique deprehendes.

§. XV.

Quum porro sint gentes vicinae, eiusdem Terribiscum originis, apud quas ius Romanum^{um.} haec tropica non instituit, quae in ipsa Germania obseruamus: ipsa vnumquemque docebit experientia, III.) eorum, quae hodie in media Germania obtinent, iurium origines aliquando in vicinarum gentium legibus moribusque facilius, quam apud ipsos Germanos, reperiri.

§. XVI.

At quum nemo tamen temere negaturus sit, Germanos iura peregrina in subsidium adoptasse: (§. VI.) iurisprudentiae Germanicae studioso obseruandum est, IV.) eorum contagione ita saepe infectas esse iuris patrii reliquias, vt maiores, si redierint in vitam, eas vix essent agnitori: *) ac proinde V.) operae facturos esse pretium, qui distinctius ostenderint, quid sincerum, verique Germanicum sit, quidque ex iure peregrino illi, tamquam rubigo, adhaereat. **)

*) Sic *dotalitium* est originis Germanicae. At omnia Germanica et Francica instituta, vt ait GVNDLING. *de coemt. vxor. Cap. II. §. XXII. ad Romani iuris decempedam exigebant peregrinae legis bastatores: in qua quum doti, seu dotalitio Germanico, similis vix inuenirent, quam donationem propter nuptias, hinc vsu videtur venisse, vt dotalitium et donationem illam prorsus conuenire, aliqui censerent. Quam multa ergo Romana admixta sint iuri illi Germanico, nemo non animaduertit.*

**) Et

*) Et huc pertinet methodus DIFFERENTIARVM iuris Romani et Germanici, cuius specimina praeclara dedit perillustri academiae nostrae cancellarius, IO. PETRVS DE LVDEWIG, qui vtinam pertexeret telam, felicibus auspiciis coeptam!

§. XVII.

Sextum, Quia denique ea regnorum ac principatum fata esse solent, vt in iis multo facilius figantur refiganturque maiorum leges, quam in ciuitatibus, vbi optimatum sententis, suffragiisue populi omnia aguntur: consequens est, VI) vt ius Germanicum minus inquinatum superfit in ciuitatibus, vbi aristocraticum vel populare imperium tam frequentes ac praecipites legum mutationes fieri haut patitur, quam in prouinciis, quae monarchice reguntur.

§. XVIII.

Ordo in his elementis obseruandus. Haec itaque sequutis principia, IVS GERMANICVM eo ordine tradere nobis consilium est, cui iam adfueti sunt, quicumque animum adpulerunt ad iurisprudentiam. Totius enim iurisprudentiae quum tria obiecta recensentur, PERSONAE, RES et ACTIONES: quidquid maiores nostri de his sanxerunt, quaeue consuetudine in Germania nostra inoleuerunt, tribus libris secundum ordinem, in Institutionibus Iustinianeis obseruatum, explicabimus.

§. XIX.

§. XIX.

Attamen circa pulcherrimum hunc la- Et me-
borem eam nobis ipsi legem diximus, vt. thodus.
non modo singulorum iurium origines ex ge-
nuinis fontibus eruamus, verum etiam bona
fide ostendamus, quid et hodie in ipsis obti-
neat rerum argumentis. Absurdum enim
esset, ea tantum addiscere velle, quae non sis
in usu habiturus.



LIB. I.
DE
IVRE PERSONARVM.

TIT. I.

DE PRIMA HOMINVM DIVISIONE,
ET SPECIATIM DE SERVLIS
CONDITIONIS HOMI-
NIBVS.

§. XX.

An Ger-
mani
distingue-
runt ho-
minem
et perso-
nam?

Quamuis et Germanis varii essent ho-
minum status: subtilior tamen ac
durior est distinctio HOMINIS et
PERSONAE, quae in iure Romano vtramque
facit paginam, *) quam vt maiores nostri ei
locum esse voluerint in iurisprudencia sua.
PERSONAE ergo Germanis sunt omnes, qui-
bus mens, ratione praedita, in corpore huma-
no contigit, id est eadem, ac homines.

*) Romanis seruos non fuisse personas, luculenter probauimus alibi. (*Inst. §. LXXVII.*) Testimoniis, ibi adductis, iam addimus locum insignem PASCHASII, diaconi Romani *de Spiritu S. Lib. II. Cap. IV.* qui saeculo quarto scripsit: *Apud nos homines filiusfamilias iuxta patrem; vel seruus iuxta dominum PERSONAE propriae locum non habet. Et quibusdam interiectis: Persona res iuris est, substantia res naturae.* In Germanorum monimentis simile nihil reperias, nisi quod in CONSTRUCTIONIBVS SICVLIS a LINDENBROGIO inter leges Germanorum editis, sed iure peregrino passim inquinatis, *Lib. I. Tit. L. §. II. PERSONAM amittere idem sit, quod libertate excidere.*

§. XXI.

§. XXI.

Prima ac praecipua HOMINVM diuisio antiquitus illa fuit, quod quidam essent LIBERTI, quidam SERVILIS CONDITIONIS, liberi porro in NOBILES, INGENVOS et LIBERTINOS distinguerentur. TACITVS de *Morib. Germ. Cap. XXV.* LIBERTI non multum supra SERVOS sunt. Raro aliquod momentum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quae regnantur. Ibi enim et super INGENVOS, et super NOBILES adscendunt.

Prima hominum diuisio et antiquissima.

§. XXII.

Quatuor illa hominum genera et medio aeuo occurrunt. Apud Francos quamuis receptior esset hominum diuisio in SENIORES vel MAIORES, et IUNIORES seu MINORES, HINC. *Epist. XIV.* de qua prolixius egit HERT. *Notit. regn. Franc. Cap. III. §. XXIX.* tamen ea ad ordines regni pertinuit. Ratione status enim GREG. TVRON. *Vit. Patr. Cap. IX.* INGENVOS distinguit ab illis, qui NOBILITATE sublimes sunt: et apud THEGAN. *in vita Ludouici Pii Cap. XLIV.* LIBER discernitur a NOBILI. Et LITORVM, LIBERTORVMque aequae ac SERVORVM tam saepe fit mentio in eorum legibus ac monumentis, vt dubitare non liceat, apud Francos eandem hominum diuisionem obtinuisse.

Eadem obtinuit apud Francos.

§. XXIII.

Nec minus Saxones prisca istius moris obseruantissimi fuerunt. WITICHIND. *Annal. Lib.* Et apud Saxones.

*Lib. I. p. 634. Saxonica gens usque hodie TRI-
FORMI genere ac lege, praeter conditionem
seruilem, diuiditur. EGINARDVS apud A-
DAM. BREM. Lib. I. Hist. Eccl. Cap. V. Qua-
tuor differentiis gens illa consistit, NOBILIVM,
et LIBERORVM, LIBERTORVMque atque
SERVORVM. A quibus vere non dissen-
tiunt HVCBALDVS in vita B. Leuini, et
NITHARDVS Lib. IV. p. 478. quamuis hi tres
tantum hominum ordines faciant, quos vo-
cant ETHELINGOS, FRILINGOS, et LAZ-
ZOS, NOBILES, INGENVOS, SERVILES, *)
et hinc eos auctores praeter historiarum fi-
dem seruorum ordinem omittere existimet
HACHENB. Germ. med. Diss. II. §. II. p. 20.*

*) Ita et in *Capitul. de partibus Sax. §. XV.* apud BA-
LVZIVM *Capitular. Tom. I. p. 253.* Saxones in nobi-
les, ingenuos et litos distinguuntur. Sed quem-
admodum liberti apud Germanos non multum
supra seruos erant: TACIT. *de Mor. Germ. Cap.
XXV.* ita vtrique communi nomine *lassi* et *liti*
dicebantur. Sunt sane *lassi* seruilis conditionis,
quos HENRICVS, Dux Brunsvicensis, in charta an-
ni MCCCCXXXIII. apud SCHOTTEL. *singul. iur. Germ.
Cap. II.* vocat *eegene Lude, oder Laten*. Erant
etiam *Lassi* libertini, qui in LEGE BAIVVAR. *Tit.
IV. §. 10.* διακριτικως vocantur *frilazzi*. GLOS-
SA Latino-Theotisca apud LINDENBROG. in *Glossar.*
p. 1404. *Libertini, frilaza.* *Litos* quoque modo
seruos esse, modo ab iisdem distingui, adeoque et
libertinae conditionis fuisse, multis testimoniiis
docuit CAR. DV FRESNE in *Glossor. Lat. voce Litus.*
p. 513. inter quae eminent loca bina ex LEGE RI-
PVAR. *tit. LXII. §. I.* et LEGE FRISION. *tit. XV.*

§. XXIV.

An non INGENVORVM quidem MVNICIPVM, vel
et quin-
tum or-
ciuici ordinis, vel, vti postea vocabantur,

BVR-

BVRGENSIVM, tum demum auditum est no-
men, quum primum vrbes in Germania ma-
gna, nullo frequentiores esse coepissent,
quod quando factum sit, luculenter ostendit

dinem
consti-
tuerint
burgen-
ses?

HERM. CONRINGIVS in *Dissert. de urbibus
Germaniae*. Sed quicumque se conferebant
in vrbes, ii vel *ingenus* erant, vel *libertinae*,
vel *seruili conditionis*, *) ac proinde, qui vr-
bes habitabant, non nisi sero quintum, ac
diuersum a reliquis, ordinem constituere
coeperunt.

*) Sic sane de Henrico I. Germ. Rege, quem Aucu-
pem vulgo adpellitant, notum est, eum ex *mili-
tibus agrariis* nonnum quemque in vrbes, a se con-
ditas, transtulisse. WITICHIND. *Annal. Lib. I. p. 639*.
Plerosque vero vel *libertinae*, vel *seruili* fuisse
conditionis, ex eo satis constat, quod ciuibus Spi-
rensis Henricus V. Imp. anno MCXI. gratiam fecit
iuris mortuarii. LEHMANN. *Chron. Spir. Lib. IV.
Cap. XXII*. Idemque beneficium contigit Worma-
tensibus, teste diplomate apud ill. LVDEWIG. *Reliqu.
MSSC. Tom. II. p. 283*. Hinc facile patet ratio, cur
S. Bonifacius apud OTHLONEM in *Vita Bonif. Cap. II*.
Erfurtum vocarit *urbem paganorum rusticorum*: et
cũ saeculo adhuc XIV. ciues Brunsvicensis quasi
manu miserit Otto, Dux Brunsv. in diplomate apud
LVNIGIVM in *Reichs-Archiv. Part. Special. Continuat.
IV. Part. II. p. 639*. MEIBOM. *Tom. III. Res. Germ.
p. 205*.

§. XXV.

Ceterum NOBILES erant, quicumque ex Quinam
ingenuis ad maiores in republica dignitates nobiles?
adspirauerant, veluti, qui ducebant exerci-
tus, (*Herzoge*), et *principes*, qui iura per pagos
vicosque reddebant, vti eos describit TACIT.
de Morib. Germ. Cap. XII. XIII. id est, comi-
tes

tes vel *grauiones*. Vid. SCHILT. *Diss. de Praerog. S. R. I. Comitum §. XII.* Et quamuis hi initio populi suffragiis deligerentur: *insignis tamen nobilitas, aut magna patrum merita, principum dignationem et adolescentibus adsignabant.* TACIT. *ibid. Cap. VII.* Tales fuere Clasticus, Ciuitis, Iulius Paullus, Italus, quos ob regium ac nobile genus celebrat IDEM *Histor. IV, 55. IV, 13. et Annal. XI, 6.*

§. XXVI.

Qui ingenui?

Proximi ab his INGENVI erant, quicumque libertate sine eiusmodi maiore dignitate fruebantur. Quo nomine olim praecipue veniebant, qui postea *militēs*, vel equestris dignitatis viri audiebant, *der Land-Adel.* *)

*) Quod adeo verum est, ut praedia libera, *Rittergüter*, olim dicta sint *ingenuitates*, et *manfingenuities*, (*Ritterbüßen*.) ANNAL. BERTIN. *ad ann. DCCCLXVI*, et ipse equestris ordo vocatus sit *ingenua nobilitas* in CHRON. REICHERSP. *ad ann. MLXXXIV.*

§. XXVII.

Qui libertini?

LIBERTINI erant, quicumque ex iusta seruitute fuerant manumissi. Quamuis enim et hi ad *ingenuitatem* peruenisse dicantur in monumentis Francorum: CAR. DV BRESNE *Glossar. Latin. voce Ingenuitas p. 66.* ibi tamen veteres loquuntur ex iuris Iustiniani principis, quod libertinos omnes ingenuitatis iuribus donauerat. *Novell. LXXVIII. Cap. I.* Ceteroquin enim iure Germanico eorum conditio longe abfuit a praerogatiua ingenuo-

nuorum, semperque mansit in Germania, quod iam notauimus ex TACITO *de Mor. Germ. Cap. XXV. ut liberti non multum supra seruos essent.*

§. XXVIII.

Denique SERVI erant homines, corpore ^{Qui ser-} dominis obnoxii, ea lege, vt et censum et ^{ui deni-} operas dominis praestarent, et ex horum ^{que?} praediis *) cum familiis alerentur.

*) Non enim Germani seruis, Romanorum in morem, descriptis per familiam ministeriis, utebantur: sed suam quisque sedem, suos penates regebat. Frumenti modum dominus, aut pecudis, aut vestis, vt colono, iniungebat. Et haec hactenus parebant. TACIT. *de Mor. Germ. Cap. XXV.* Attamen quum postea frequentior cum Romanis consuetudo et gliscentes opes ad paullo splendidiorem viuendi rationem Germanos pellicerent: coeperunt et hi seruos domum recipere, et varia iis iniungere ministeria. Hinc diuisio seruorum in CASATOS, qui et coloni dicebantur, et NON CASATOS, qui et GASINDI, (LEG. LANGOB. *Lib. I. Tit. VIII.*) siue MINISTERIALES, quippe qui variis officiis ac ministeriis fungebantur, de quibus vid. BALVZ. *Capitular. Tom II. p. 301. 302. 426. 906.* CANG. *in Glossar. Lat. voce Serui ministeriales p. 836. sequ.* Sic passim occurrunt serui argentarii, aurifices, carpentarii, fabri, sartores, sutores, coqui, pistores, fullones, hortulani, et singularum artium magistri, LEX BVRG. *Tit. XXI. §. XI. Lex. Sal. Tit. XI. §. V. Chron. Constant. apud. PIST. Rer. Germ. Tom. II. p. 655.* Quin et mercatorum seruilis conditionis mentio fit apud HUND. *Metrop. Salisb. Tom. I. p. 227. et Tom. II. p. 372.* Postremis saeculis rariores iterum homines proprii in aedibus herilibus, vt hodie famuli domestici plerique sint mercenarii liberi, homines vero proprii suam quique sedem, suos penates regant.

§. XXIX.

De iis
axiomata.

Ex hac vero definitione colligimus, I. seruos Germanorum omnes, quod ad corpus attinet, fuisse dominis obnoxios, ac proinde dictos *eigene Leute, Eigenbehörige, Leibeigene*. II. Eisdem dominis et censum, et operas debere; ac proinde III. ex praediis et facultatibus eorum alimenta cum coniugibus ac liberis capere, sibi suisque id habituros, quod rem familiarem curando geniumque defraudando comparferint.

§. XXX.

Serui
aut nascuntur.

In eam vero conditionem iure Germanico variis modis peruenitur. Serui enim in Germania quoque et *NASCUNTUR*, et *FIVNT*. Nam quum, quod ad corpus attinet, dominis sint obnoxii: (§. XXIX, I.) non mirum sane est, et, quidquid ex iis nascitur, eorundem esse dominorum. Et quidem partus iure vetere patrem, *SPEC. SAX. Lib. III. Cap. LXXIII.* recentiore ventrem sequitur. *WEICHB. art. III. Constitut. Friderici I. Imp. ann. MCLVIII. apud GOLDASTVM Tom. III. Constit. p. 331. HERT. de Homin. propr. Cap. III. §. IV.* nisi quod hodie quoque quibusdam locis serui et ancillae domini liberos ex iis natos inter se partiuntur. *) *AVENTIN. Anal. Boic. Lib. VII.*

*) Idem olim factum apud Wisigothos, ceu patet ex eorum *LEGE Lib. X. Tit. I. §. XVII.* itemque apud Alamannos, teste charta vetere apud *GOLDASTVM Tom. II. Script. Rer. Alam. chart II.* vbi id ius ex lege Alamannica deriuatur, quum huiusmodi caput

put in ea lege Alamannica, quae hodie superest, nusquam occurrat, adeoque vel de consuetudine Alamannorum loquatur chartae istius auctor, vel legem hanc olim pluribus, quam hodie exstant, capitibus constituisse oporteat.

§. XXXI.

Quumque in bello captos omnia sibi licere putarent Germani: non mirum est, eosdem et corpora eorum sibi obnoxia fecisse, eosque aliarum gentium exemplo redegisse in seruitutem. Eo sane iure maiores nostri vsi sunt, non modo aduersus extraneos, veluti Romanos, SENECA *Epist. XXVII.* TACIT. *Annal. XII, 26.* Gallos, MAMERTIN. in *Panegy. Cap. IV.* Slauos et Venedos, HELMOLD. *Chron. Slau. Lib. I. Cap. LXVI.* sed et ipsos Germanos. Quod, vt alia exempla hic praetermittamus, satis probant fata Saxonum, a Francis oppressorum, in ANNAL. FVLD. *ad ann. DCCXCIV.*

Aut fi-
unt per
captiui-
tatem.

§. XXXII.

At paullatim ab vsu recessit haec bello captorum seruitus, et, teste IO. SELDENO *de Mari clauso Lib. I. Cap. XXVI.* *Christianae caritatis caussa exolescere coepit ante aliquot saecula.* Idque voluisse arbitror IO. BODINVM, *lib. I. de Rep. Cap. V.* medio saeculo decimo tertio omnem inter Christianos seruitutem sublatam esse, scripsit. De seruitute enim bello captorum id verissimum est. Sin de seruitute generatim accipias, nihil illa obseruatione erit absurdus. *)

Quae
captiuo-
rum ser-
uitus ho-
die sub-
lata.

*) Et tamen eam certatim amplexi sunt ICti doctissimi, veluti GVDELIN. *de Iure Nouiss. Lib. I. Cap. IV.* STAMM. *de Scr. Person. Lib. I. tit. I. cap. II.* STRYK. *Vj. hodiern. Pandect. tit. de statu hom.*

§. XXXIII.

Permissa Itaque hodie, exsoluto lytro, redimuntur
capto- bello capti, vel permutantur cum aliis, ab al-
rum red- tera parte captis. HERT. *de Lytro Sect. II.* Tur-
emtionem cas tamen aliosque infideles bello captos iure
vel per- retorsionis detrudi nouimus in seruitutem,
mutatio- sed talem profecto, qualem nescio an per-
ne. multi homines ingenui sibi essent gratulaturi,
 si eorum res ageretur arbitrio.

§. XXXIV.

Apud Quamuis porro libertas apud Romanos
Germa- adeo non esse videretur in commercio, vt et
nos v- maiori viginti annis, qui se venundari passus
nusquis- esset, liceret ad libertatem proclamare, dum
que se ne id pretii participandi causa fecisset: *l. 1.*
alteri *pr. ff. quib. ad libert. procl. non lic.* aliter ta-
manci- men philosophati sunt Germani, qui vnici-
pare pot- que ius esse putarunt, corpus suum alteri ad-
est in dicere in seruitutem, *) adeo, vt et, qui in
seruitu- aleae lusu libertatem extremo iactu perdide-
tem. rant, victori se dederent vltro, neque salua
 fide ad libertatem possent proclamare. TA-
 CIT. *de Mor. Germ. Cap. XXIV.*

*) Quod etiam ex alio loco TACITI *Annal. IV, 72.* pro-
 bari potest, vbi Frisii, tributis exhausti, consum-
 ptis facultatibus, se ipsos Romanis in seruitutem ad-
 dixisse perhibentur. Mansit hoc principium et sub
 Francis, non modo apud Frisios, ceu patet ex eo-
 rum *LEGE tit. II. §. I.* verum etiam apud Baiuuarios.
 Vid.

Vid. LEX BAIIV. Tit. V. §. VI. Quin et postea idem
iuris Germanici principium inculcat IVS PROV. SAX.
Lib. III. Art. XXXII.

§. XXXV.

Quum itaque in seruitutem sese alteri man-
cipare vnusquisque possit: (§. XXXIV.) et
olim saepe contigit, et hodie contingit fre-
quenter, 1) vt quis expressa conuentione se
alteri obnoxium faciat, et quidem cum tota
familia: *) *Wann ein losgelassener Vnterthan
sich durch gewissen Vertrag bey einer andern
Herrschaft nebst seinen Kindern, so viel er
derselben zur Zeit des Vertrags vnter väterli-
cher Gewalt hat, vnd von ihm durch Haltung ei-
gen Feuer vnd Rauchs nicht gesondert sind, an-
derweitig vnterthänig vnd dienstpflichtig machet.*
ORD. SVBD. LVSAT. Art. II. MEV. von
dem Zustand. vnd Abford. der Bauren. qu. I.
n. 46 sequ.

Fiunt et-
iam ser-
ui per
addictio-
nem ex-
pressam.

*) Id medio aeuo saepe faciebant homines etiam opu-
lentissimi, qui se vna cum familiis suis ex singula-
ri pietate vltro offerebant vel mancipabant eccle-
siis. Id vero eo ritu fiebat, vt collum inuoluerent
laqueo, quo campana trahebatur, vel altari caput
cum brachiis, et quatuor denarios, imponent.
Exempla habes apud MABILLON, *de re dipl. Lib. VI.
n. 4.* AVB. MIR *Lib. II. Donat. Belg. Cap. XVII.*
CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. voce Oblati p. 18.*
POTGIESER. de *Statu et Condit. Seru. Lib. I. Cap. III.
§. XLVII. sequ.*

§. XXXVI.

Praeterea inde colligebant, 2) tacite quo-
que eum eamue se in seruitutem addixisse vi-
deri, qui alterius ancillam sibi matrimonio
iunxe-

Nec non
per taci-
tam, ve-
luti per

matri-
monium
et habi-
tatio-
nem.

iunxerit, vel quae alterius seruo nupserit, nisi libertatem redemerit is eaque, qui quaeue seruitutem adhuc seruiuisset. LEX BAIUVAR. *Tit. VI. Cap. I. §. III.* MEV. *ibid. qu. II. n. 160.* VADIAN. *de monaster. apud GOLDAST. Tom. III. Script. rer. Alam. p. 141.* OTTO VON DER LEIBENSCHAFT *Part. II. p. 31.* 3) Nec minus pro additione tacita haberi putabant commorationem in eiusmodi loco, ubi aër seruos reddere dicitur. HERT. *de hom. propr. Sect. III. §. III. et Paroem. Iur. Lib. II. paroem. 12. p. 608.*

§. XXXVII.

Itemque
in poe-
nam et
ob aes
alienum.

Quin 4) quum olim aliquando ob delictum seruitutem adirent liberi homines, qui poenam, vel litis aestimationem ferre non poterant: MARCVLF. *Formul. Lib. II. Cap. XXXVI. et LVIII.* LEX BAIUVAR. *Tit. VI. Cap. II. §. II.* nec minus 5) obaerati creditoribus in seruitutem addicerentur, si soluendo non essent: IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art. XXXIX.* WEICHBILD. *Art. XXVII.* COLER. *de Process. exsequut. Part. I. Cap. III. n. 114. et 140.* prioris rigoris hodie exemplum vix reperies; posterior placuit Lubecensibus. Vid. IVS LVBEC. *Lib. I. Art. III. Tit. I.* et ibi MEV. et HVSAN. *de Homin. propr. Cap. IX. n. 30.* ubi et sententia eius generis condemnatoria occurrit.

§. XXXVIII.

Seruo-
rum in
Germa-
nia con-
ditio.

Quamvis vero et olim, et hodie, varia sint seruorum hominumque priorum genera, *) et eorum quoque non eadem omnium con-

conditio fit: sunt tamen quaedam, quae tantum non omnibus videntur communia, quae ex ipsa feruitutis Germanicae natura, recentisque de ea axiomatibus, (§. XXIX.) manifesto fluunt, iamque erunt paullo accuratius explicanda.

*) Sic a gente alii ALBANI vel ALBINI, vnde et *ius albinagii, le droit d' aubaine*. HERT. *de hom. propr. Sect. I. §. I.* alii SAXONES, BROWER *Antiqu. Fuld. Cap. XI.* alii SCLAVI, alii SMVRDI dicebantur. SCHILT. *Exerc. III, §. I. p. 50.* Passim quoque in diplomatibus aliisque monumentis occurrunt ALDIONES, BORDARII, BVBI (*Buben*), CASATI, (vnde nostri *coffäten*), GASINDI, (vnde nostrum *Gesinde*), HOMINES PROPRII, SERVI HVBARVM, (TRAD. FVLD. *Lib. II. n. LXXII. p. 576.*) LASSI, LITI, (inde Germanicum *Lied-Sohn*, a quo frustra alii *Litos* dictos existimant. vid. HACHENB. *Germ. Med. Diff. II. §. XV. p. 29.*) MALMANNI MANSIONARII, MASSARII, ORIGINARII, VILLANI, MANVS MORTVAE, CONDITIONARII (IVO CARN. *Epist. CXLVIII. can. 53. Dist. 50.*) ACCOLABI, SERVI GLEBAE, COLONI, SERVITORES, TRIBVTARI, (BROWER. *ibid.*) de quibus plerisque ordine alphabetico agunt POTGIES. *de statu et condit. Seru. Cap. III.* et HACHENB. *Germ. med. Diff. II. §. XV. sequ.* Sed et hodie notae sunt diuersae denominationes hominum feruillis conditionis. Vocantur enim alii generatim *eigenbehörigc, eigene Leute, Vnterbanen*, alii *Coff-Leute*, FELTM. *de iure in re et ad rem Cap. VI. §. XXXII.* alii *Lassen*, alii *Curmeden* vel *curmedige*, alii *Instmannen*, alii *Halbeigene*, HERT. *Sect. II. §. II.* alii *Wildfänge*, HACHENB. *Germ. med. Diff. II. §. XVII.* Inprimis vero ratione dominorum alii erant ferui FISCALINI, qui fisco regis seruiebant, medio aevo dicti *Königs-Leute*, alii ECCLESIASTICI, qui plerumque ab aliquo caelitate vel templo nomina fortiebantur, dicti *S. Petres-Leute, S. Martins-Mannen, H. Creutz-Leute*: alii PRIVATORVM. HACHENB. *ibid. §. XVII.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Homi-
nes pro-
prij ad-
scripti-
tiae con-
ditionis
sunt.

Quum enim dominis, quod ad corpus at-
tinet, sint obnoxii: (§. XXIX, 1.) sequitur,
1) vt sint adscriptitiae conditionis, adeoque,
2) si fuga ebs abstulerit, possint a dominis
vindicare: MEV. vom Zust. vnd Abford. der
Bauren, quod olim vocabatur *das Besetzen*,
Besatzungs-Recht, *Sazz-Recht*. DATT. de
pace publ. Lib. I. Cap. XIV. n. 119. HERT. *Secl.*
III. §. X. 3) Vt nec in collegia opificum admit-
tantur, GAIL. de *Arrest. imp. Cap. VIII. n. 29.*
HADR. BEIER. *Tiron. Cap. V. §. I. nec 4)* in
ipsas vrbes, *) *Diploma Ioannis Com. Cliu. ann.*
MCCCXLVIII. apud DITHM. *Cod. Dipl. ad*
Teschensch. n. XXIII. p. 14. SIGISM. Imp.
apud GOLDAST. *Tom. I. Const. p. 167.* adeo-
que verissima sit paroemia vetus: *Keine Hen-*
ne fluegt über die Mauren. HERT. *Paroem.*
Iur. Lib. II. paroem. XI. p. 607. quamuis mul-
tae ciuitates id priuilegium obtinuerint, vt
homines proprii, qui vertente anno ibi bo-
na fide in libertate commorati fuerant, se
aduersus dominos annali vel decennali prae-
scriptione tuerentur.**) Vid. *Dissertat. nostr.*
de praescript. annal. iur. Lubec. §. IX. sequ.

*) Memorat B. frater, IO. MICH. HEINECCIUS in *Antiqu.*
Gosl. Lib. II. p. 221. codicem cereum, in curia Gos-
lariensi superstitem, in quo longa series hominum
propriorum, vicinis vindicatorum. Eius principium
tale est: *Dat sint, de man var eghene Lüde var dem*
Rade beklaget best. Conrat von Geynsen, den best de
Damprouist van Hildens. beklaget. Direken van
Leuede, den eschet de Abet van Buersuelde vn de van
der Leuenborch. etc.

**) At

*) At quum sic diffugerent homines proprii: non modo de privilegiis contra istam urbium libertatem solliciti erant domini, DATT. *ibid.* n. 73. sed et saepe mancipia ista ad urbibus ferro ac flammis repetebant. HERT. *de hom. propr. Sect. III. §. X.* Denique mos inualuit, vt extraneis plane non pateret aditus ad iura ciuitatum, nisi offerrent testimonia ingenuorum natalium, vulgo *das Mannrecht, oder den Geburts-Brieff.* HERT. *ibid.* KNIPSCHILD *de priuilegiis imper. Lib. II. Cap. VIII. n. 150.*

§. XL.

Ex eodem principio consequitur 5) vt homines proprii et soli, et cum familiis, et vna cum praediis quin et cum peculio suo, vel, vt saepe in TRADIT. FULD. *Lib. Y.* apud PISTORIUM legas, *cum omni supellectile et sumtu* recte alienentur. BOEHM. *de iur. et statu hom. propr. a seruis Germ. non Rom. deriu. Sect. III. §. XI.* MEY. *vom Zustand und Abford. der Bauren, Quaest. II. n. 9. et Decis. Part. III. Dec. VIII.* Quamuis, si sine praediis alienantur, ipsique iustas refragandi causas adlegant, omnino sint audiendi. BOEHM. *ibid.* Vt iam olim Germani receperint legem Romanorum, quae mancipium Christianum Iudaeo vel pagano tradi prohibet. *L. i. C. ne Christian. mancip. haeret. vel Iud. CAPITVL. Lib. VI. §. CCCXVIII. edit. Lindenbr.*

§. XLI.

Ob eandem causam 6) non iniquum visum est Germanis, dominis esse ius componendi seruorum controuersias, ipsosque 7) coercendi, si fraena mordeant, *) quin et 8) animaduertendi in facinorosos. Quamuis, quum

Quae dominis in eos iurisdictione competat?

quum saepe contingeret, quod iam obseruabat TACIT. *de Morib. German. Cap. XXV.* vt domini misera eiusmodi mancipia *occiderent, non disciplina et seueritate, sed impetu et ira, vt inimicos*: id impune fieri non pateretur facta insequentium temporum. Quapropter 9) non modo paulatim causae cognitio iniungi coepit dominis, atque inde 10) nata est IURISDICTIONIO PATRIMONIALIS nobilium: (Vid. *Dissert. nostr. de orig. etque indole iurisdic. patrim.*) verum etiam 11) legibus imperii coercita est dominorum saeuitia, modica illis coercitione relicta. REC. IMP. ann. MDLV. §. LIV.

*) Omnia haec iura non ex iurisdictione aliqua esse, sed ex potestate herili, vel inde patet, quod hoc ius coercendi immorigeros aliquando competit etiam in homines proprios, alterius subiectos iurisdictioni, dominisque negantes obsequium: quod vocant *den Bauren-Zwang*. Vid. HERM. AD. MEINDERS *de iurisdic. colon. praediar. et inferiore p. Gr. sequ.*

§. XLII.

Seruivel
homines
propri
dominis
debent
census.

Quumque praecipua seruorum obligatio et in censu consistat: (§. XXIX, 2.) eo referendae sunt 12) variae, praestationes personales, aequae ac patrimoniales, veluti *census capitis, Korn-Pächte, Geld-Zinsen, Zins-Hüner, Leib-Hüner, Oster-Eyer, Martins-Gänse, Pfingst-Käse, Vieh-Fleisch- und Frucht-Zehenden*, et similes. *) Et inde vere praediorum censiticorum origo repetenda est. ZIEGL. *Diss. de praediis censit. rural. §. XX.* Denique 13) tam amare hi census exigebantur a ru-

a rusticis, vt ob moram duplicarentur quoti-
die. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. LIV.* Inde
passim adhuc in vsu sunt *census promobiles*, vti
vocantur a doctoribus, *die Rutscher-Zinsen*,
vel *die Meygassen* - vel *Meyborgen* - *Zinsen*.
SCHOTTEL. *de singul. iur. German. Cap.*
XIX. thes. VI. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib. I.*
Cap. VI. §. VIII. sequ. CARPZ. *Part. II. Const.*
XXXVIII. def. XXV.

*) Iam TACITVS *Cap. XXV. Frumenti modum dominus,*
aut pecudis, aut vestis, vt colono iniungit. Et sa-
ne medio etiam aevo extant census, in veste con-
sistentis, exempla. In diplomate enim Ottonis M.
Imp. apud SAGITTAR. *Antiqu. Magdeb. §. XLV.* fa-
miliae quaedam feruiles ecclesiae S. Mauritii *singu-*
lis annis vnum cavallum, scutumque et lanceam, et
duas CRYSINAS dare iubentur, vt sciant, in mundi-
burdio regis se esse. Vbi CRYSINAS esse pallii seu ve-
stis genus, fortassis *eine krausse*, obseruat SAGIT-
TAR. *ibid. p. 15.*

§. VLIII.

Sed et ad operas iidem obstricti sunt iure Et ope-
Germanico. (§. XXIX, 2.) Hinc 14) prae-^{ras.}
stant angarias et parangarias, *Spann- und Hand-*
Dienste, quarum varias species recenset
BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. V. §. IV. sequ.*
Et haec quidem operae 15) regulariter indefini-
tae sunt, talesque olim erant etiam ratione tem-
poris:*) 16) hodie tamen, si nullam aequitatis
rationem habeant domini, ex aequo et bo-
bo definiuntur. BARTH. *Sent. Camer. P. V. ad*
ann. MDLXXV. STRVV. *Exerc. III, 24.*
SCHVLZ. *Synops. Instat. pag. 60.* CARPZOV.
Lib. I. Resp. LIV.

*) Apud

*) Apud eundem enim SAGITTAR. *Antiqu. Magdeb.* §. LXXXIX. p. 41. Otto M. anno DCCCCLXVI. ecclesiae Magdeburgensi donat monasterium *Hagenmünster*, cum omnibus ad id iure pertinentibus, ecclesiis, territoriis, aedificiis, arvis, possessis et possidendis, servis regijs, servis censualibus, SERVIS COTTIDIE SERVIENTIBVS. cetera.

§. XLIV.

Quatenus illis competat ius contrarium et testamenti factio- nis? Quum porro ex praediis ac facultatibus dominorum alimenta capiant ipsi et familia eorum: (§. XXIX, 3.) collegerunt inde maiores, 17) homines proprios, quod sibi comparaverint ex praediorum cultura, tamquam peculium habere, ac 18) de iis et contrahere, et 19) testari posse, modo id non faciant in domini fraudem, vel de fundo et instrumento disponant. STRYK. *Vf. hod. Lib. I. Tit. V. §. VII. VIII.* Attamen ne id quidem servis concedi in Pomerania et terris Meklenburgicis, obferuat LAVTERBACH. *Colleg. Theoret. practic. tit. qui test. fac. poss. §. XXV.*

§. XLV.

Domino debetur praecipuum ex hereditate? At ex eodem consequi videbatur, 20) ut, quia causa, cur ex praedio aliquid sibi adquirere possint, mortuo colono cessat, (siquidem tunc non amplius ferunt onus alendae familiae:) ex peculio illo e re domini adquisito merito praecipuum sibi vindicet dominus, BOEHMER *de statu et cond. hom. propr. Sect. III. §. XVII. pag. 62.* ac proinde 21) illi debeat ius mortuarium (das Budtheil, der Todtenfall, das Geläß, Baulebungs-Recht, die todt Hand;*) idque modo in tota hereditate consistat, si libe-

liberi non extant, vel elocati sint, vti in Alamannia: HARP Recht. *de iure Mortuar.* Cap. IV. §. VI. modo 22) in parte dimidia, veluti in Westphalia, vbi diuisio fit hereditatis *bis zur Asche auf dem Herdte, vnd bis zum Löffel auf dem Korbe.* FRIDER. MINDAN. *de Mandat. Lib. II. Cap. LXVII.* POTGIES. *de stat. et cond. seru. Lib. II. Cap. II. §. XIII.* modo 23) in triente, veluti in Heluetia. STUMPF. *Chron. Helu. IV, 27.* modo 24) in optimo capite, vel optimis exuuiis, (*dem besten Haupt, oder dem Haupt-Fall, dem Gewandt-Fall, Weydmahl vel Wadmahl,*) HERT. *de Hom. propr. Sect. III. §. IX.* WEHNER. *Obs. pract. voce Leibeigen.* modo denique 25) in eo, quod sibi dominus, pro iure optionis, tamquam ἐξαιρέτων elegerit, quod ius speciatim vocatur CVRMEDICVM. Ill. a LVDWIG. *de iuribus feudo vicinis.* HERT. *ibid.*

- *) Vocabuli originem vulgo arcessunt a fabula, quasi dominus, si nihil esset in rebus serui, quod sibi vindicare posset, manum vel dextram, vel vtramque, a reliquo cadauere absciderit, sibi que seruari. Primus, vti videtur, hanc fabulam narrauit auctor CHRONICI MAGNI BELGICI ad ann. MCXXIII. vnde eam hausit LEHMANN. *Chron. Spirens. Lib. IV. Cap. XXII.* et IO. MOLAN. *de Canonicis Lib. III. Cap. XXXV.* Sed ego ideo *manum mortuam* vel *mortimanum* dictum fuisse hoc ius arbitror, quod vbi ius mortuarii obtinet, ibi eatenus testandi ius ademtum est hominibus propriis. POTGIESER *Lib. II. Cap. II. §. XIV.* Eiusmodi enim seruos glebae, quibus de bonis suis testamento cauere fas non esset, vocatos esse manus mortuas, (*gens de main morte*) obseruat CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. voce Manus mortuae p. 425.*

§. XLVI.

Nec sine
eiuscon-
sensu re-
cte a ser-
uo con-
trahun-
tur nu-
ptiae.

Denique quum domino seruum eiusque familiam e praedio et rebus suis alendi incumbat necessitas: (§. XXIX, 3.) 26) non absurdum olim visum est Germanis, sine domini consensu nuptias adfectare non posse seruum vel hominem proprium, pro eoque consensu 27) tunc soluere certam pecuniae summam, quam Scoti *marchetam* vel *merchetam*; (CAR. DV. FRESNE *Glossar. Lat. p. 449.*) alii *maritagium* vocabant: *) IDEM *ibid. p. 463.* eiusdemque originis 28) esse morem Germaniae, quo rustici redimere tenentur indulgentiam matrimonii, quam vocant *die Bedemuth*, vel *Bauermiethe*. SPEC. SAX. *Lib. III. Art. LXXIII.* nec non 29) ius domini, re adhuc integra dirimendi sponsalia, se incio contracta. MEV. *vom Zustand und Abford. der Bauren. Quaest. II. n. 160.* STEINMEIER. *de iure propriet. p. 25.* BOEHM. *Dissert. cit. Sect. III. §. IX.*

*) Inde ego κατ' ἀναλογία iuris Germanici rectius mihi videor arcessere huius marchetae vel maritaggi origines, quam a turpi illa consuetudine, qua domini Scoti sibi vindicasse dicuntur ius primae noctis. BUCHANAN. *Rer. Scotic. Lib. IV. Reg. XVI. p. 109.* POLYD. VERGIL. *Rer. Anglic. Lib. I. Cap. X.* HACHENB. *German. med. Diss. V. §. XII.* Vix enim credibile est, eodem se probro polluisse maiores nostros, qui septa pudicitia egerunt. Et quid coniecturis opus est, quum satis constet, veteres Germanos eorum omnium consensum exegisse in nuptiis, quibus aliqua erat in sponso potestas? Demonstravit hoc vir illustris, IO. PETR. A LVDEWIG. in *Diss. de consensu connub. extra parent.*

§. XLVII.

§. XLVII.

Ex quibus omnibus iam satis patet, 30) Errores vulgares de statu hominum propriorum. absurde plerosque negare, Germanis esse seruos, multoque absurdius 31) homines proprios ab iis seruili conditione eximi. STRYK. *Vf. mod. Lib. I. Tit. V. §. V. seq.* HÖPP. *Comment. ad Instit. p. 46. et p. 141.* immo 32) fieri non posse, quia intelligendo faciant, vt intelligamus nihil, qui statum hominum propriorum vel cum HAHNIO, DONELLO, BONACOSA, LAVTERBACHIO, ex conditione seruorum Romanorum, vel cum STAMMIO, HVSANO, et ERHARDO, ex statu colonorum adscriptitiorum, vel denique cum SICHARDO, MEVIO, BRVNEMANNO, ex iuribus et conditione libertinorum explicandum existimant. In quem iura diuersissima miscendi morem, ICTIS olim familiarissimum, grauiter inuecti sunt viri docti, in primis BOEHMER. noster *Dissert. de iure et statu hom. propr. Sect. II.* et, qui ipse ab hoc morbo non omnino immunis est, DAV. MEV, *von dem Zustand vnd Abford. der Bauren. Quaest. I. n. 2.*



TIT. II.

DE STATV LIBERTINORVM,
SEV RVSTICORVM NON
ADSCRIPTITIORVM.

§. XLVIII.

Quid li-
bertini? **P**roximi seruis seu hominibus propriis in
Germania sunt LIBERTINI, id est, ex
iusta seruitute manumissi, (§. XXVII.)
quorum status hodie conspicitur in rusticis
et colonis Germaniae, quotquot eorum non
sunt adscriptitiae conditionis, qui in plerisque
Germaniae prouinciis *) frequentiores hodie
sunt, quam homines proprii:

*) Rigidioris seruitutis vestigia in iis potissimum lo-
cis supersunt, quae olim coluerunt vel Slaui et Ve-
nedi, vel aliae gentes, dira victoria perdomitae. Et
hinc olim seruis vel maxime adfluebat Alamannia.
VADIAN. *de colleg. et monast. Germ. ap. GOLDAST.*
Rer. Alam Tom. III. p. 56. Et hodie plenae propriis
hominibus sunt Westphalia, Pomerania, Holsatia,
ducatus Meklenburgicus, Lusatia, Silesia, Boe-
mia, Morauia. In reliquis Germaniae prouin-
ciis paullo rariores sunt homines adscriptitiae con-
ditionis, adeoque illi fere vbique ad libertatem
adspirasse per manumissionem videntur.

§. XLIX.

Modi
manu-
mitten-
di apud
Germa-
nos. **A**n temporibus antiquissimis sollempni ma-
numissionis ritu liberi esse iussi sint serui, nos
hodie scimus cum ignarissimis. Id vero con-
stat, medio aeuo Germanos et Romanorum
ritus manumittendi praecipuos suos fecisse,
et quosdam praeterea habuisse *γνησίως* Ger-
manicos, et Romanis ignotos. Itaque eos
recte

recte in COMMVNES et PROPRIOS dispe-
scere nobis videmur,

§. L.

Ita communes Germanis cum Romanis ^{ii vel}
erant manumissiones IN SACROSANCTIS ^{commu-}
ECCLESIIS, vel, vti in LEGE LANGOBAR- ^{nes illis}
DICA *Lib. II. Tit. XVIII. §. III.* vocatur, CIR- ^{cum Ro-}
CA ALTARE, quae simul requirebant tabulas, a ^{manis.}
quibus hi libertini TABVLARIJ dicebantur.
Exempla supersunt in MARCVLFI *Adpend.*
Cap. LVI. formulis SIRMONDICIS *Cap. XII.*
GVIL. FORNER. *Selection. Lib. I. Cap. IV.*
Communis quoque manumissio PER TESTA-
MENTVM, cuius exempla suppeditabunt su-
premae tabulae S. Remigii, apud CHIFFLET.
de ampulla Remens. Cap. III. p. 9. Euerardi
Comitis apud MIRAEVM *Cod. donat. piar. Cap.*
XV. aliaeque plures passim obuiaae. Com-
munis denique manumissio PER EPISTO-
LAM, *) cuius monumentum apud MARCVLF.
Lib. I. Formul. XXXIX.

*) Ab hac diuersam fuisse manumissionem PER CHAR-
TAM, existimat POTGIESER, dum de hac *Lib. III.*
Cap. IX. sequ. de illa *Cap. XII.* agit. Sed inter
has ego quidem nihil video discriminis, et mani-
festum est, has omnes manumissiones esse a Ro-
manis, quamuis ea, quae fiebat in sacrosanctis ec-
clesiis, κατ' ἐξουίαν manumissio secundum legem Ro-
manam diceretur. Ceterum omnibus fere reliquis
manumissionibus chartae accedebant, ceu moni-
menta vetera testantur.

§. LI.

Contra et quaelibet fere gens Germanica ^{Vel pro-}
propriam ac peculiarem habebat manumit- ^{prii, vel-}
^{uti per}
tendi ^{dena-}
^{rium.}

tendi ritum. Ex legibus enim Francorum servus manumittebatur, praesente rege, EXCVSSOE manueius DENARIO. LEX RIPVAR. tit. LVII. §. I. tit. LVIII. tit. LXII. §. II. Quae dicebatur MANUMISSIO EX LEGE SALICA, SECVNDVM LEGEM FRANCOIVM, PER DENARIVM, (vid. Diploma Zuentepoldi Reg. apud HEDAM *Episc. Vltrai. p. 70.*) quemadmodum et manumissi HOMINES DENARIALES vocabantur. LEX RIPVAR. Tit. LXII. §. II. Chartae super huiusmodi manumissione scriptae, quae et *praecepta* DENARIALIA, existant apud BALVZ *Capitul. Tom. II. p. 905.* MELCH. GOLDAST. *Tom. III. Const. Imp. n. 1.* HEDAM. *ibid. p. 70.*

§. LII.

Itemque per portas patentis, quatuor vias, et quartam manum. Idem Franci aliquando manumittebant per PORTAS PATENTES, ita, vt liberto, portis apertis, facultatem darent, quo vellet, migrandi. LEG. RIPVAR. tit. LXI. §. I. GOLDAST. *Chart. VII. Tom. II. Part. I. Script. rer. Alamann.* Langobardi servum primum alteri tradebant, qui eundem tertio, et hic, intercedentibus testibus, traderet quarto, *) illum dimissuro in quadriuiio, verbis: DE QVATVOR VIIS, VBI VOLVERIS. AMBVLA RE, LIBERAM HABEAS POTESTATEM. LEX LANGOB. *Lib. III. Cap. IV. §. I.*

*) Ne Francis quidem ignota erat haec manumissio, quamvis ex LEGE RIPVAR. Tit. LVIII. §. VIII. is ritus adhiberetur: *si quis tabularium facere vellet ex seruo alieno.* Nam tunc manumittendus, *si Romanus esset, per septem; sin Francus, per quatuordecim noctes*

noctes de manu in manum ambulare debebat, totiesque vendi, usque dum ad eam manum veniret, quae eum ingenuum dimiserit. CAPITVLARI vero Aquisgranensi anni DCCCXIII. Cap. X. cautum fuerat, vt seruus in loco, qui dicitur *Sanctum*, manu duodecima manumitteretur. Quae manumissio fieri dicebatur PER HANTRADAM. BALVZ. T. I. Capit. p. 511. sequ.

§. LIII.

Iisdem Langobardis propria erat manumissio PER IMPANS seu MANVM vel VOTVM REGIS, qua dominus seruum suum regi ea lege cedebat, vt hic eum *per manum sacerdotis circa altare* manumitteret. LEX LANGOB. Lib. II. Tit. XXXIV. §. I. Manumissionis PER SAGITTAM, iisdem Langobardis sollempnis, meminit PAVLLVS WARNEFR. *de gestis Langob.* Lib. I. Cap. XIII. Sed qualis fuerit iste ritus, non satis constat, quamuis verosimile sit, quod suspicatur POTGIES. *de stat. et cond. seru.* Lib. III. Cap. VII. §. I. traditionem armorum vel ideo visam esse libertatis symbolum., quod hominibus duntaxat liberis fas esset, incedere armatis.

§. LIV.

Quemadmodum vero apud Romanos multum referebat, quo quis ritu esset manumissus, quandoquidem sollempniter manumissus, per testamentum, vel per vindictam, vel in sacrosanctis ecclesiis, plenae libertatis ipsiusque ciuitatis Romanae fiebant participes, quum, adhibitis ritibus minus sollempnibus, libertini Latinorum tantum coloniariorum

Horum rituum effectus.

iura consequerentur: VLPIAN. *Tit. I. §. X. CAR. Instit. Lib. I. Tit. I. §. II.* ita pro diuersitate rituum, manumissionis apud Germanos quoque diuersos admodum effectus medio aeuo fuisse, comperio.

§. LV.

Quibusdam ritibus manumissi plenam; quibusdam minus plenam libertatem consequerentur.

Manumissi IN SACROSANCTIS ECCLESIIIS aequae liberi, ac ab omnibus seruitiis immunes erant, ac si ab ingenuis parentibus essent procreati. *Formula apud GVIL. FORNER. Select. l. 4. ADPEND. MARCVLFI Cap. LVI. FORM. SIRMOND. Cap. XII.* Idemque dicendum de manumissis apud Francos PER DENARIVM; BALVZ. *Capitular. Tom. II. p. 905.* apud Langobardos per QUARTAM MANVM, vel PORTAS PATENTES, vel per IMPANS, quippe qui fiebant *fulvreal*, (*vollfrey*) et a dominis extranei, id est, *amond.* *) LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXXIV. §. I. et §. III.* Reliquis modis, in primis per CHARTAM vel EPISTOLAM, manumissi non plenam semper libertatem, et aliquando vix umbram libertatis, consequerentur.

*) *Tabularii*, vel in sacrosanctis ecclesiis manumissi erant in tuitione ecclesiae; LEX RIPVAR. *tit. LVIII. §. XIII.* quae etiam iis succedebat, si sine liberis decessissent, *ibid. §. IV.* et occisorum pretium capiebat. BALVZ. *Capitul. Tom. II. p. 947.* Denariales contra erant in tutela vel defensione Regis, et orbi fiscum heredem fortiebantur. LEX RIPVAR. *tit. LVII. §. IV.* quod ius et apud Langobardos Rex sibi vindicabat in bonis manumissorum *per quartam manum.* LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXXIV. §. I.*

§. LVI.

§. LVI.

Quum vero iam olim, TACITI temporibus, liberti non multum supra seruos essent, (§. XXVII.) et Germani religiosissime plerumque maiorum mores seruarent: (§. VI.) illis sane non admodum placere potuit plena illa libertinorum libertas. Eoque factum est, 1) vt illam paullatim in desuetudinem abire paterentur, et hinc 2) ex tot manumittendi ritibus vix vllum hodie agnoscant posteri, praeter illum, quo serui PER EPISTOLAM, VEL CHARTAM, libertate donantur. HERT. *de kom. propr. Sect. III. §. XI.* STRVV. *Exerc. XI. §. LXXV.*

Hodie modi illi manumittendi, eorumque effecta cessant.

§. LVII.

Nimirum aut *casati* erant serui, aut *gasindi* vel *ministeriales*. (§. XXVIII. *) Postiores, accepta aestimatione, (*gegen billigmäßigen Abtrag der Leibeigenschaft*) facile abire patiuntur domini, quo libet. Priores, si in praediis manere velint, *manumissi*, non multum supra seruos sunt, adeoque tenendum est axioma: Manumissione rustici id tantum consequuntur, vt non amplius adscriptitiae sint conditionis: quod ad reliqua attinet, eorum status a seruorum vel hominum priorum conditione parum differt. *)

Axioma de libertinorum statu.

*) Ex instituto nuper docuit ill. BOEHMER. in *Diss. de imperfecta libertate rusticorum per German.* §. I. libertatem hanc rusticorum imperfectam esse, quod proxime ad seruitutis iugum accedat, et magis speciem, quam verum libertatis usum, habeat. Quin aliquando manumittuntur ea lege, vt iam mi-

grent, quo velint, iterum feruituri, si redierint. Formulam huiusmodi manumissionis habet STAMM. *Lib. III. Cap. XXXVII. n. XIII.*

§. LVIII.

Rustici
etiam li-
bertini
prae-
stant o-
peras et
censum,
aliquan-
do et
mortua-
rium.

Ex eo vero patet, 1) cur plerique hodie rustici sint manumissi *) ea lege, vt non multum supra seruos sint, et hinc 2) aequę, ac homines proprii, debeant operas, angarias ac parangarias, quae in dubio indefinitae praesumuntur; DN. BOEHM. *ibid.* §. XXIV. ita tamen, vt, nisi necessitas vrgeat, exigi nequeant noctu, nec diebus feriatis. HVSAN. *de hom. propr. Cap. VI. §. XCVIII.* BALTHAS. *de oper. subd. Cap. III.* MVLLER. *Prax. March. Ref. XCIX. §. 79.* itemque 3) censum praestent, quamuis in vtroque praestationis genere res ad antiquam consuetudinem, vel pacta cum dominis inita, redeat: BALTH. *de operis subd. Cap. II. immo* 4) aliquando etiam mortuarium. ROTGIES. *Lib. III. Cap. XI. §. VI.*

*) Dubitari posset, an in totis prouinciis rustici per manumissionem ad libertatem peruenerint? Sed aequę difficile est creditu, in totis prouinciis tacite et sine manumissione, tot rusticorum millia ad libertatem peruenire potuisse. Fuerunt sane medio aeuo, qui siue pietate, siue aliis rationibus inducti, in totis pagis et territoriis homines proprios manumitterent. Exempla enim sunt apud LEON. OSTIENS. *Chron. Cassin. Lib. I. Cap. II. et XVI.* POTGIES. *de statu. et cond. seru. Lib. III. Cap. IX. §. III.* et maxime apud CAR. DV FRESNE *Gloss. Med. Lat. voce Manumissio p. 414. Tom. II.* Et manumissos in Germania operas, censum, aliaque seruitia praestare, non magis mirum est, quam Romae manumissos quosdam dediticios fuisse, et a seruis multo

multo minus, quam rusticos nostros ab hominibus propriis, discrepasse.

§. LIX.

Ex eodem patet, 5) manumissionem illam Domino non impedire, quo minus domini rusticos suos coerceant carceribus, numellis, aliisque poenis, eosdemque 6) iis perinde, ac hominibus propriis, ius plerumque dicere, quæmuis 7) herilis illa potestas iurisdictionis patrimonialis *χῆμα* iam pridem induerit, *vid. Exercit. nostr. de orig. ac ind. iurisd. patrim.* et 8) rusticis, durius a dominis habitis, quam par est, multo facilius subueniatur, quam hominibus propriis.

§. LX.

Nec aliunde est, 9) quod rustici, quantumcunque suam sibi libertatem gratulentur, raro tamen prædia iure optimo maximo possident, sed 10) plerumque vel ea precario tenent, uti *lassi*, BERL. *Part. II. concl. XLVIII.* et qui vocantur *Schillingshäuer*, vel ex conductione colonaria, quo pertinent *die Meyer*, *Landsiedler*, *Zinß-Leute*, a quibus fere omnibus præter census exigui solent *Lehn-Waaren*, *Wein-Kauff-gelder*, *Willkommen*, *Auffarts-Gelder*, *Schreib-Schilling*, et similes præstationes. FRANZK. *de laudem Cap. III.* BEYER *Spec. Iur. Germ. Lib. I. Cap. 23.* quamuis 11) negandum non sit, plura eius generis prædia per Ictorum errorem conuersa esse in emphyteutica vel feudalia. *) Luculenter

de his omnibus egit illustr. ALVDEWIG *in Iure Clientelari*.

*) Vidit hoc iureconsultus eximius CASP. ZIEGLERVS, eiusque confusionis fontem in *Diss. de praediis censiticis ruralibus* egregie detexit. Melius maiores nostri rem expenderunt, qui seruilis conditionis signum dixere laudemium, nota illa paroemia: *Die Henne trägt das Handlohn auf dem Schwantze*. HERT. *Tom. III. p. 427.*

§. LXI.

Non tamen sunt adscriptitiae conditionis. At quum tamen adscriptitiae conditionis esse desierint: (§. LVII.) facile patet, 12) rusticos illos libertinos et in vrbes migrare, et, 13) si agris sua constet cultura, nec colonorum inopia sit, quasuis artes ac opificia addiscere, HADR. BEIER *in Tiron. Opificiar. Cap. V. §. I.* quin et 14) domicilium mutare posse, modo domino soluant vectigal, quod vocant *den Abzug*, vel *die Nachsteuer* *) BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XX.*

*) Vere hunc censum emigrationis descendere ex priscae seruitutis Germanicae iure, recte ex eo demonstrat BEYER. *ibid. §. V.* quod equestris nobilitas ab eo onere semper immunis est habita, quum tamen muncipes; quia et eorum fere seruilis origo est, (§. XXIV.) alicubi non minus ad exfoluendum hoc vectigal obstricti sint, ac rustici. MULLER. *Pract. rer. for. resol. XVI. g. sequ.*

§. LXII.

Angau- deant iure connu- Denique ex eodem principio merito colligitur, 15) multo liberiolem his rusticis facultatem competere, et testamentum conden-

dendi, et 16) contrahendi, et 17) nuptias fa-
 ciendi, quam hominibus propriis, quamuis tracta-
 18) non magis, quam homines proprii, te-
 stari possint in dominorum detrimentum, et um, et
 19) si de bonis immobilibus contrahant, id menti-
 dominis infciis fieri nequeat, et 20) ab iis, factio-
 nis?
 qui nuptias inire vellent, redimi litte-
 ras supra memoratas, *die Bedemuth*, ipse me-
 minerim. Adeo et hodie verum est, *li-
 bertos in Germania non multum supra seruos
 esse.*



TIT. III.

DE STATV INGENVORVM,
SEV EQVESTRIS NOBILITATIS
IN GERMANIA.

§. LXIII.

Ingenui-
quinam?

Tertius est ordo INGENVORVM, qui nomine veniebant omnes, qui libertate sine dignitate maiore in republica fruebantur. (§. XXV.) Iidem in Gallia dicti EQVITES, teste CAESARE *de Bello Gallic. Lib. VI. Cap. IV. et V.* medio aevo in Germania LIBERI, vel LIBERI HOMINES, *) veluti apud ADAMVM BREMENS. *Lib. I. Cap. V.* et in LEG. FRIS. *Tit. XI. §. II. IV. XIII. XIV.* denique MILITES AGRARII, apud WITICHIND. *Annal. Lib. I. p. 639.* vel DE GENERE MILITARI NATI, apud PETR. DE VINEIS *Lib. VI. Epist. XVII.* BONI VIRI, (*gude Mannen, gude Knechte*) SCHILT. ad KÖNIGSHOFF. *Elsassische Chron. Obs. VIII. p. 525.* numquam vero NOBILES, a quibus illi semper sollicitate in medii aevi monumentis distinguuntur. *)

*) Non modo in LEGE FRIS. *tit. XI. §. II. et IV.* LEG. ANGL. *Tit. I. §. I.* verum etiam apud veteres scriptores. ADAMI BREMENSIS et NITHARDI testimonia iam supra dedimus. Iis nunc addimus locum insignem CONRADI VRSP. *ad ann. MCCXVIII.* MILITES quippe Teutonicos in dignitatibus Italiae constituit. Nam quemdam LIBERVVM, Bidelupbum, Ducem Spoletii effecit. Ex quo patet, quomodo ex hominibus ingenuis facti sint nobiles.

§. LXIV.

§. LXIV.

INGENUOS illos CAESAR ET TACITVS *de morib. Germ.* describunt accurate, obseruantque, eos, quoties bella non inierint, multum venatibus, *) plus per otium transegisse. TACIT. Cap. XV. quin vitam eorum omnem in venationibus, atque in studiis rei militaris constitisse: CAES. *de Bell. Gall. VI, 21.* non tamen illotis veluti manibus ad militiam adgressos adolescentes, nec arma sumere ante cuiquam moris fuisse, quam ciuitas suffecturum probarit. Tum in ipso concilio vel principum aliquem, vel patrem, vel propinquum, scuto frameaque iuuenem ornasse. Hanc apud illos togam, hunc primum iuuentae honorem fuisse. Ante hoc domus partem visos, mox reipublicae. TAC. Cap. XIII.

*) Id eo magis mirum visum his scriptoribus, quo minus Romani venationem ingenuo homine dignam putabant, libera adhuc republica. Hinc SALLVST *de bello Catilin. Cap. IV.* Neque vero agrum colendo, aut venando, SERVILIBVS officiis, intentum aetatem agere. Quamobrem tum demum venationi aliquid pretii videtur accessisse, quum Imperatores ea corporis exercitatione coepissent delectari. ANT. MATTH. *de Nobilit. Lib. I. Cap. II. p. 11.*

§. LXV.

Non modo autem pro patria proque aris et focus arma corripiebant ingenui, verum etiam, si ciuitas, in qua orti essent, longa pace et otio torperet, plerique nobilium adolescentium petebant vltro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerebant, quia et ingrata erat genti quies, et facilius inter ancipitia clarescebant. *) TAC. *de Mor. Germ. Cap. XIV:*

*) Quam-

- *) Quamuis enim de nobilibus adolescentibus, id est, de ducum comitumque filiis, loquatur TACITVS: dum tamen statim addit rationem, quod *magnū comitatum non nisi vi belloque tueri liceat*, satis ostendit, ingenuos quoque, qui, vti mox ostendemus, in comitatu et clientela nobilium esse solebant, vna cum illis fecisse stipendia.

§. LXVI.

Aliis clientelae nexu obstricti.

Quum vero ad militarem laudem, dignitatemque in republica consequendam, ingenuis vel maxime opus esset nobilium patrocínio: *adgregabantur robustioribus, nec rubor erat, inter comites adspici. Gradus iste comitatus habebat, iudicio eius, quem sectabantur, magnaue et comitum aemulatio erat, quibus primus apud principem suum locus esset, et principum, cui plurimi et acerrimi comites: haec dignitas, hae vires, magno semper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello praesidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates, id nomen, ea gloria erat, si numero ac virtute comitum eminent: expetebantur enim legationibus, et muneribus ornabantur, et ipsa plerumque fama bella profigabant.* *) TAC. *de Moribus Germ. Cap. XIII.*

- *) Haec descriptio ita comparata est, vt videamur nobis videre viros principes Germaniae, insigni vasallorum globo stipatos. Inde collegerunt quidam, iam eo tempore feuda non fuisse veteribus Germanis ignota. Et sane si feudum substantiam capit ex patrocínii et fidei promissione et dominio vtilli, ea lege concesso: SCHILT. *Inst. Iur. Feud. Cap. III. §. 8.* nescio quid obstat, quo minus comites isti pro vasallis habeantur. Fidei quam strictum vinculum fuerit, docent illa TACITI *Cap. XIV. Quum ventum*

ventum in aciem, turpe principi, virtute vinci, turpe comitatu, virtutem principis non adaequare. Iam vero infame in omnem vitam ac probrosum, saepersitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare, praecipuum SACRAMENTVM est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Non gratis se principibus deuouisse illos comites, vel illa ostendunt: Magnum comitatum non nisi vi belloque tueare. Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam frumentam, nam epulae, et quamquam incomiti, largi tamen adparatus, pro stipendio cedunt. Nec credibile est, haec tantum pro stipendio fuisse, sed quum a pecunia parum valerent Germani, procul dubio agros praecipue datos esse comitibus, quorum curam bi deinde feminis, senibusque, et infirmissimo cuique ex familia, delegabant. TAC. *ibid.* Cap. XV. Accedit vocabulum comes, quod ipsum exprimit Germanicum *Gesell*, vel *vasallus*. Probabiliora sane haec omnia, quam quae vulgo de origine feudorum tradunt.

§. LXVII.

Ex quo TACITI loco simul discimus, 1) comites illos vel clientes plane se deuouisse pro dominis: quod olim et Celtiberos fecisse, nouimus, VAL. MAX. II, 6, II. et apud Gallos Souldurios, CAESAR *de Bell. Gall. III, 22.* 2) Eosdem adeo vere dominis quodammodo fuisse obnoxios, et hinc procul dubio varia ijs ministeria praestitisse, perinde, ac medio aeuo ministeriales. HERT. *de hom. propr. Cap. ult.*

§. LXVIII.

Nec dubium est, quin ingenui liberi varia in republica munera obierint, et in primis comitibus, ius dicentibus per pagos, in confidant.

lio fuerint. *Centeni singulis comitibus ex plebe comites, consilium simul et auctoritas aderant, teste TACITO de Moribus Germ., Cap. XIII. quos ex feruorum vel libertinorum colluue fuisse, nemo dixerit. BRVMMER. de Scabin. Cap. II. §. XXI.*

§. LXIX.

Medio
etiam
aëuo in-
genui
erant ve-
nationis
studiosi.

Tales erant tempore TACITI ingenui: nec alia eorum medio aëuo fuit conditio. Nam 1) et tunc horum vita omnis domi in venationibus consistebat. Hinc AIMONIVS *Hist. Lib. I. Cap. XXI.* ait, *moris esse Francorum, venatui insistere*, idemque confirmat AVCTOR *de gestis Dagoberti Regis Cap. II.* Et EGINHARDVS *Vit. Caroli Cap. XXII.* Carolum M. *adisdue* ait *exercitatum fuisse equitando ac venando, quod illi gentilitium fuerit, quia vix vlla in terris natio inueniatur, quae in hac arte Franciscis possit aequiparari.* Geminum huic locum reperias in ANNAL. METENS. *ad ann. DCCCXIII.* Quae itidem de rusticis et hominibus propriis nemo intellexerit. *)

*) Tantum enim abest, vt his ius venandi fuisse videatur, vt ne armatis quidem incedere iis liceret, fortassis, ne armorum obtentu feras venatum irent. CAPITVLARIBVS sane cautum fuerat, vt serui lanceas non portent: qui inuentus fuerit post unnum, hasta frangatur in dorso eius *Lib. V. Cap. CCXXVII,* et *Lib. VI. Cap. CCLXXI.*

§. LXX.

Et mili-
tiae.

Nec minus 2) militiae medio aëuo soli adscribebantur ingenui vel liberi homines, quorum nemo se delectui impune subtrahebat, qui

qui vel quatuor mansos agrorum possideret. CAPITVLAR. *ann. DCCCXII.* Non itaque e feruili colluue confluebat veterum Germanorum militia, sed ex ingenuis deligebatur, qui ideo κατ' ἐξοχὴν vocabantur MILITES. Quod et de sua aetate obseruauit GVNTHERRVS in *Ligurino Lib. II. v. 151. sequ.* qui de Langobardis:

*Vique suis omnem depellere finibus hostem
Possit, et armorum patriam virtute tueri,
Quoslibet ex humili vulgo, QVOD GALLIA *)*

FOEDVM

IVDICAT, accingi gladio concedit equestri.

*) Vbi sane non de solis Francis loquitur, sed praecipue Germanorum morem describit. Apud hos quoque *militēs secundi et tertii ordinis* memorat BRVNO in *Hist. bell. Sax. p. 133.* et *militēs primos, militēs gregarios, quin ingenuos omnes* iungit WIPPO in *vita Conradi p. 428.* Ita et *lendes Austrasiorum in militiam bannitos*, legimus apud FREDEG. *Excerpt. Gregor. Tur. Cap. LXXXIII.* Ceterum haec praecipue pertinent ad militiam equestrem. Vnde saepe in monumentis verustis inuicem opponuntur MILITES et PEDITES. Loca plura iam collegit ANT. MATTH. *de nobil. Lib. IV. Cap. X. p. 967.*

§. LXXI.

In eo quoque 3) antiquum obtinebant medio aeuo Germani, quod intra militum numero esse non paterentur, nisi qui armis sollemni ritu essent incincti. Siquidem tunc demum MILITES, EQVITES, *Ritter*, vocabantur, quum antea dicerentur MINISTERIALES vel FAMILI, *Knapen, Knechte, edle Knechte*, HERT.

Hinc
militari-
bus ar-
mis sol-
lemni
ritu cin-
gebantur.

D

de

de homin. propr. Sect. IV. Cap. I. ANT. MATTH. *de Nobilit. Lib. IV. Cap. VIII. et XVIII.* itemque ARMIGERI. Diploma anni MCCCXXXVII. apud MART. RANGON. *not. ad Orig. Pomeranicas.* ac inde supersit formula in creatione equitum sollemnis: *Besser Ritter, als Knecht.* De ritu gladio militari accingendi ingenuos, medio aevo vsitato, fuisse egerunt IO. LEIDENS. *Lib. XXXII. Cap. XXVIII.* CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. voce Miles p. 542.* BVRC. GOTTH. STRVV. *Observ. Halens. Tomo II. Observ. III.* ANT. MATTH. *de Nobilit. Lib. IV. Cap. XVI.*

§. LXXII.

Extra-
neis
tunc
quoque
facie-
bant sti-
pendia.

Sed et 4) incredibile illud militiam etiam extra patrium solum sectandi studium posteris mansisse, res ipsa docet. Nullum fere acrius gerebatur bellum, in quo non Germanica pubes stipendia faceret. Militarunt sane Germani ipsis Romanis, quoties barbaris inferebant bella, quamvis ita saepe fieret, ut cum suae originis gentibus manus conferere cogerentur. Exemplo esse possunt Ostrogothi, quos Langobardorum potissimum viribus perdomuit Narses. PAVLL. LANGOB. *de gest. Langob. Lib. II. Cap. I.*

§. LXXIII.

Plerique
et hac
aetate in
clientela
domino-
rum,
multi et-
iam ad-

Praeterea 5) media aetate plerosque ingenuos in clientela fuisse nobilium, Ducum, Principum, Comitum ac Dominorum, tam notum est, ut ideo potissimum, quod ille mos omnibus fere Germanis communis esset, inter se disputent eruditi, a Langobardis, a Fran-

a Francis, aliaue gente Germanica repetenda scripti-
 fit feudorum origo. STRVV. *Histor. Iur. Cap. titiae con-*
VIII. §. III. IV. Quare burgenses feuda et iur-
isdictiones et aduocantias possidere posse, negat
 Fridricus, Misniae Marchio, apud AVCT. *Addit.*
ad LAMB. SCHA FNAB. ad ann. MCCCVIII. Add.
IVS FEVD. ALAM. Cap. I. §. II. et SCHILTER. ad
rubr. Iur. Feud. Alam. §. XIX. Immo 6) et
 his temporibus tam adstrictum fuit istud
 clientum vinculum, vt quidam ex illis inge-
 nuis veluti adscriptitiae essent conditionis, *)
 et nec domicilium iis sine dominorum con-
 sensu mutare liceret, nec vxorem ducere:
 quin et eam conditionem in liberos transfer-
 rent, et domino relinquere tenerentur mor-
 tuarium, et denique permutari, vindicari,
 ac manumitti possent. Quam ministeria-
 lium conditionem saltem ad saeculum XIV.
 durasse, obseruant viri docti, veluti WIG.
 HVND. *im kurzen Auszug Historischer Obser-*
uat. voce Ministeriales. ANT. MATTH. de Nobi-
lit. Lib. IV. Cap. VIII. HERT. de Hom. propr.
Seç. IV. §. II. sequ. ad §. XI.

*) Quemadmodum enim olim cuius licebat se alii in
 spontaneam addicere seruitutem: (§. XXXIV. et
 XXXV.) ita et viri ingenui saepe se dominis, maxi-
 me Episcopis et praelatis, vltro mancipabant, ac mi-
 nisterialium subibant onus. Exemplum HERTIVS *de*
hom. propr. Seç. IV. §. III. attulit ex LINDENBRO-
GH Priuilegiis Hamburg. p. 201. In ea enim char-
ta Henricus et Otto, Milites, fratres de Bramslede,
renunciantes nobilitati et libertati suae, se sponta-
nea voluntate sua factos esse profitentur ministeria-
les ecclesiae Bremensi, facientes corporaliter iura-
mentum, sicut Bremensis ecclesiae ministeriales fa-
cere consueverint, iurantes, se ecclesiae antedictae,

sicut ministeriales perpetuo seruituros, uxores quoque suas, liberosque iam natos, vel adhuc nascituros, idem facturos, quando praedictus dominus Archiepiscopus vel eius nuncius eos duxerit requirendos.

§. LXXIV.

Partes
plerasque reip.
capessant in-
genui.

Iudicia porro, 5) aliaeque reip. partes hoc temporis interuallo non nisi ab ingenuis administrabantur. Sub Francis sane memorantur *Poppo Comes, et MAIORES NATV de comitatu eius*, qui tum Scabinorum officio fungebantur. TRADIT. FULD. *Lib. II. n. 156.* Atqui *maiores natu* Francis eosdem fuisse, ac viros ingenuos et nobiles, iam supra obseruauimus, (§. XXII.) quamobrem hoc ipso loco paullo post vocantur VIRI NOBILES. Iudices ergo et *scabini constituebantur nobiles, et viles personae constitutae eiiciebantur.* LEX LANGOB. *Lib. II. Tit. LII. §. XXIV.* Vt iam non dicamus, in iure Saxonico *Schöppenbar-freye Leute* non alios esse, quam viros ingenuos et equestris dignitatis. *) WEICHB. *Art. XVI.* et IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. XIX. XLVI. et LV. BRVMM. de Scabin. Cap. VII. §. V. p. 334.*

*) Hinc *Schoeppenbar-freye* in GLOSSA WEICHB. *ad art. XXXIII.* sunt, qui ab utroque auro et ambabus auiis sunt ingenui, *die ihre vier Ahnen beweisen können.* SCHILTER *Comm. ad ius Feud. Alamann. Cap. I. §. XV. p. 32.* Spirensibus tamen anno MCCCXLVII: id priuilegium datum, *daß sie lehnbar seyn mögent, und Vrtheil sprechen mögent mit den Rittern allenthalben.* LEHMANN. *Chron. Spir. Lib. VII. Cap. XLI.*

§. LXXV.

conueniebat omnibus, quod ordine ingenuorum mouerentur, qui quaeue vota in crucem misissent, nisi errore id fecissent, quamuis et tunc repudium dandum esset impari fortunae ac fortis coniugibus CAPITVLAR. COMPEND. *ann. DCCLVII. Cap. V. p. 181. Tom. I.*

§. LXXVI.

Quaedam de ingenuorum statu axiomata.

Iam ex hac ingenuorum hominum conditione, qualis et TACITI temporibus, et medio aeuo fuit, facile intelligitur, I. Ingenuos in Germania se non nisi militiae ac venatui, non alii quaestui, aliisque artibus, natos putasse. II. Eisdem, quamuis liberos, tamen et nobilibus potentioribusque fidem ac ministeria praestare, et III. quaelibet in rep. munera recte obire potuisse, quamuis hodie ciuici ordinis homines saepe super ipsos ingenuos adscendant. *) IV. In aestimanda ingenuitate nobilitateque non paternae tantum, sed et maternae originis rationem habitam esse.

*) Quum enim venatui tantum et militiae vacarent equestris dignitatis viri: (§. LXIV. LXIX. seq.) raro aliquid temporis dabant litteris, nisi se forte ad ecclesiasticam dignitatem praepararent. Simul ac vero ius Romanum in fora Germaniae penetrabat: in iudicia aulica, in quibus antea solis equestris dignitatis viris locus erat, (vid. SECKENDORFF. *Hist. Lutheranismi Lib. I. Sect. XIII. §. LXXV. Addit. 9. p. 117. Tom. I.*) admitti coeperunt iurisconsulti ciuici ordinis, atque inde nata est distinctio *in die Adelige, vnd die Gelehrte Banck*, quae et hodie in plerisque illustrioribus dicasteriis obseruatur, quamuis et litteris iam pridem se dare coeperint ingenui.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Ex primo axioma patet, 1) cur, quum principes sibi venationes in siluis vel forestis, ceu medio aevo vocabantur, tamquam ius regale vindicarint, HERT. *de Superiorit. territ.* §. XLIX. Ill. a LVDEWIG. *Diff. de venatu eiusque Regali Differ. V. p. 30.37. sequ.* nihilominus tamen ius venandi plerique equestris ordinis viri in praediis suis, etiam allodialibus, sibi retinuerint, *) idque 2) in subditorum quoque seu rusticorum suorum fundis exercent. BOEHMER. *Dissert. de iur. et stat. hom. propr. a seruis Germ. non Rom. repetend. Sect. III. §. XIX.*

*) Qui praedia feudalia possident, tunc demum eo iure frui censentur, si id per inuestituram concessum sit, quod frustra vulgo probant ex *II. Feud. 56. et II. Feud. 27.* Videntur profecto olim omnes ingenui in fundis suis subditorumque venandi ius habuisse, quippe praerogatiuam ingenuis propriam. At dum quidam hoc ius diserte exprimi petierunt in litteris inuestiturae, id sane fraudi esse non debuisset reliquis, qui eam cautionem non adhibuerunt. Vix itaque dubitandum videtur, quin, tacentibus etiam litteris inuestiturae, pro nobili possessore praedii equestris militare debeat praesumptio, eum ius venandi sibi iure vindicare, nisi constet feudum vasallo de territorio suo dedisse principem, cuius est statuere, quem modum esse velit beneficium sui, *l. 119. ff. de reg. iur.* adeoque et litteris inuestiturae, quid dare voluerit, ostendere. Ill. a LVDEWIG. *Diff. de venatu eiusque Regali Differ. V. n. 15. et sequ.*

§. LXXVIII.

Ex eodem principio reddimus rationem, Cur in-
2) cu ab vrbana vita, licet splendidior, sem-
per
geniura-
riores in

urbibus, et eos in nouas vrbes migrarint iussu Henrici I. Regis, alii sibi in iis vltro penates constituerint, ibique opibus ac potentia eminere coeperint, vrbanae tamen illae familiae reliquis, ruri in latifundiis suis viuentibus, plerumque fordere, et veluti ingenuitatis parum sincerae esse visi sint. BEIER. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. Cap. I. §. XXI.* 3) Cur, quum pudeat ingenuos, vllam, praeter liberales, artem addiscere, ii tamen saepe artem venatoriam ex instituto addiscant. Vnde noti *adeliche Jäger-Purscher, Jagd-Pagen, Jagd-Iunkere*: nec suprema officia aulica temere aliis, quam equestris ordinis viris, demandari animaduertimus.

§. LXXIX.

Cur mercaturam aspersi nati?

Quumque alii quaestui, aliisque artibus, vix operam dederint ingenuae originis homines: (§. LXXVI, I.) fieri non potest, 4) quin conditione sua indignum putent, mercaturam, quantumuis lucrosam, facere. Quod adeo verum est, vt ne patriciatus quidem iura salua sint illis, qui eum quaestum faciunt. *) Vnde non est, quod huius iuris originem repetamus ex *l. 3. C. de commerc. et merc.*

*) Noribergensibus patriciis id priuilegium dedit Henricus VI. Imp. vt salua illis essent auitae ingenuitatis iura, *wo sie sich der Adelichen Tugend vnd Feyheit ihres Standes fürbaß binhalten wollen, ungemainer Bürgerschaft der Stadt Nürnberg allein ihren Handel vnd Gewerbfrey lassen, vnd sich dessen nicht bekümmern, wie sie hißher gethan haben.* BEIER. *Spec. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XII. §. 17. p. 57*

§. LXXX.

§. LXXX.

Contra, ob idem principium, omnia, quibus prae plebe potissimum eminent ingenui, sunt militaria. Eo enim pertinet 5) ius certaminum equestrium, *daß sie vor Thurniers-Genossen zu achten, vnd mit andern Thurniers-Genossen vnd rittermäßigen Edelleuten in alle vnd iegliche Thurniere zu reuten vnd zu thurnieren befugt seyn.* Vid. CHRON. MONT. SER. ad ann. MCLXXV. p. 40. sequ. STRVVII Dissert. de Torneamentis. Eodem merito referas 6) ius armorum vel insignium, vt certis tesseris gentilitiis militaribus, *Schild und Helm*, vtantur, easque non modo in figillis, sed et aliis occasionibus quibuscumque, ostentent. *) Quemadmodum et 7) sollemne est familiis equestribus, feretris in funeribus adfigere arma, gladium, calcaria, eaque vna cum vexillis in templis vel ad sepulcra suspendere. ANT. MATTHAEI de Nobilitat. Lib. IV. Cap. XVII. pag. 1035.

*) Ceterum iam olim TACTI temporibus Germani aliquid his tesseris analogum habuere. Scuta enim lectis coloribus distinguebant: de Morib. Germ. Cap. VI. vnde DIO CASS. Lib. V. p. 307. ea vocat ὄπλα πεποικιλμένα ἰδιοτρόπως, arma insigni proprio variegata: qualia scuta insignibus notata Alamannorum nemorat AMMIAN. MARCELL. Lib. XVI. Cap. XII. Sic et de Cimbris refert PLVTARCH. in Mario p. 420. eorum equites se ostentasse, κέρανη εἰκασαμένα θυρίων φοβερῶν χάσμασι καὶ προτομαῖς ἰδιομόρφοις ἔχοντας, ἀ ἐπαίρομενοι λόφοις πτερωτοῖς εἰς ὕψος, ἐφαίνοντο μείζας, galeas gerentes quas repraesentarent sae-

uarum beluarum rictus, inusitatas figuras, quas alatis fastigantes cristis, adparuerint eminentiores. At usum eiusmodi insignium, tanquam tesserarum gentilium, non antiquiorem esse saeculo Christi XI, occasione potissimum expeditionum sacrarum inualuisse, ostenderunt iam alii. Vid. beati fratris IO. MICH. HEINECCHII *Synt. de Sigill. Part. II. Cap. IV. §. IV.* Agnoui id ipse CLAVD. MENETRIER *dans l'abbregé methodique p. 4.* vbi memorat insignia gentilia comitum de Wasserburg, Ratisponae publice posita anno MX. quibus antiquiora se nec in Gallia, nec in Italia, nec in Germania, reperire potuisse, quamuis diligentissime quaesita, faretur.

§. LXXXI.

Plerique
ingenui
vasalli.

Quumque ab omni aevo ingenui sese nobilioribus et potentioribus fide clientelari obstringerent: (§. LXXVI, 2.) facile intellectu est, 8) cur bona ingenuorum pleraque sint feudalia, et 9) ii etiam, qui praedia sua iure optimo maximo possidebant, illa tamen ultro nobilioribus in feuda obtulerint. Vid. HERT. et THOMAS. *de feudis oblat.* 10) Cur alicubi soli nobiles atque ingenui capaces sint feudorumquestrium, *der Ritter-Güter:*)* IVS FEVD. SAX. *Cap. II.* IVS ALAM. *Cap. I. §. 2* PRIVIL. LV-SAT. apud BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. II. §. LIV.* alibi II), quamuis et ciuici ordinis viri huiusmodi feuda acquirere possint, soli tamen ingenui sanguinis admittantur ad comitia prouincialia, et inter Pares curiae adfidendi ius habeant. BEYER *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. II. §. 52.*

*) A quibus et nomina gentilia plerasque nobilitatis equestris familias adoptasse nouimus. Paucae quidem a ministerio se vocant, *Truchseße, Schenken, Mar-*

Marschalle, Cämmerer, sed et hae plerumque *δραστηριῶς* addunt certorum praediorum nomina e. g. *Marschalle von Bieberstein*. Morem hunc saltem ab Ottonis M. temporibus in Germania viguisse, per inductionem ex diplomatibus suo more demonstrauit PFEFFINGER. *ad Vitriar. Iur. publ. Lib. I. Tit. XX. §. III. not. d. p. 842. sequ. Tom. II.*

§. LXXXII.

Ex eo feudali nexu porro sequebatur, 12) Eorum officia et seruitia aulica vt nobiles non modo quaelibet aulica munera ac officia, veluti *dapiferorum, pincernarum, marschallorum, camerariorum*, soli capefferent: (vid. *CONSTIT. DE EXPEDIT. ROM. pag. 261. edit. Gebaueri.*) sed et, 13) extra ordinem euocati in aulam, adesse tenerentur, siue consilio eorum aut iudicio in caussis feudalibus opus esset, *IVS FEVD. ALAM. Cap. IX. IVS FEVD. SAX. Cap. IV.* siue vt globo eorum stipatus dominus tanto comitator esset. Hinc mos, vasallos sollempnitatum caussa arcessendi, *die Vasallen zu Ausrichtungen, Beylagern, Empfangung fremder Herrschafften zu verschreiben.**) De quibus seruitiis, quae vocantur *Gerichts- und Ehren-Dienste*. vid. *TITIVS im Teutschen Lehen-Recht. Cap. XIV. §. XXII. pag. 266.*

7) Qualia olim fuerint ea seruitia, discimus quodammodo ex praecepto Conradi II. Imp. apud IO. HENR. DE PALCKENSTEIN. *in Cod. Dipl. Antiqu. Nordgau. p. 24.* vbi Ernesti Ducis vasalli petunt pro filiis ac posteris, *vt dum primum curiam frequentare nitantur, per eum annum, propriis bonis suis deseruiant, nihil accipientes, excepto in prima anni festiuitate pelles cum pellicio: expleto autem eo anno, accipiant iuxta iustitiam suam beneficium suum, scilicet mansos regales III. Sin autem, potestatem habeant, ubi*

uis terrarum degere, nisi iusto beneficio reuocentur.
 Quin et filias debuisse seruitiā ex eo patet, quod
 eorum causa efflagitant eodem diplomate, *ne un-*
quam cogantur in seruitium pedissequarum, excepta
Italica expeditione: tum quidem profiscantur Wi-
zenburch feria II. ad resarciendas vestes, seu quae-
libet necessaria, vsque in feriam V.

§. LXXXIII.

Pleris-
 que in
 dignita-
 tibus
 plebeiis
 praefe-
 runtur
 ingenui.

Quumque praecipue ingenui capefferent
 rempublicam: (§. LXXVI, 3.) non mirum est,
 14) eos, iam inde ab antiquissimis temporibus
 ad praecipuas dignitates non modo aulicas,
 militares ac ciuiles, verum etiam ecclesiasticas,
 adspirasse, siquidem, quum mature admo-
 dum archiepiscopi, episcopi, et praelati qui-
 dam principibus coepissent aequiparari, (vid.
 LEG. ALAM. *praefat.*) eorumque sententiae
 tum in comitiis, tum in secretiore Regum
 consilio, omne punctum ferrent, HINCM. *Epist.*
III. de regno et palat. CAPITVL. CAROLI CALVI
Tit. I. HERM. CONRING. de ciuib. Imperii §.
XXXVI. MABILLON. de re diplom. Lib. VI. pag.
474. 475. 479. indignum visum est imperii
 maiestate, terrae filios, quorum maiores paul-
 lo ante a furno et lacu rediissent, maximas in
 ecclesia dignitates adfectare. *)

*) Quumque a patriis moribus ea in re deficeret Lu-
 douicus Pius Imp. et seruilis originis homines prae-
 ficeret ecclesiis: id vel maxime reprehendit THE-
 GANVS *de gest. Ludou. Pii Cap. XX.* Non mirum
 itaque videtur, in pleraque ecclesiarum cathedra-
 lium capitula nemini patere viam, qui non osten-
 tare possit cerrum imaginum numerum, *acht, sech-*
zehn oder zwøy vnd dreyßig Abnen, et paucissimas
 ecclesias episcopales paruisse canonibus, qui ali-
 quot

quot doctores vna cum nobilibus ac ingenuis canonicorum numero adscribi voluerunt.

§. LXXXIV.

Denique, quum in aestimandis ingenuis natalibus non modo paternae, sed et maternae originis, ratio habeatur: (§. LXXVI, 4.) nullum est dubium 15) quin, quotiescumque requiruntur quatuor, octo, sedecim vel triginta et duae imagines, toties dimidia earum pars in linea paterna, dimidia in materna numeranda sit. NOLDEN. *de Stat. nobilit. Cap. XI. n. XXVIII.* HORN. *Iurispr. publ. Cap. LXIII. §. III.* adeoque 16) ex impare matrimonio haut nascantur liberi, qui isto iure imaginum gaudeant, *) multoque minus 17) ex matrimonio admorganaticam, BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XXIV. §. XV.* omnium minime autem 18) nobilitatem et iura imaginum tribuat adoptio. Vid. DNI. D. KNORRII *Dissert. de nobilitate adoptiua.*

*) Id olim stricte obseruatum, adeo, vt si vir ingenuus ad singulare certamen prouocaret ingenuum, quatuor imagines ab utroque parente demonstrare cogeretur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art. XXIX.* quod vocabant *das Handmahl beweisen, und seine vier Ahnen benennen.* Eo de iure *Lib. III. Art. LXXII.* legimus: *Das eheliche und freygebohrne Kind behält seines Vaters Heerschild, vnd nimmt auch sein Erbe, vnd der Mutter alsowol, ob es ihr ebenbürtig ist. Nimmt ein Schöpffenbar-frey Mann eine Bauer-Gültin, die Kinder sind ihm nicht ebenbürtig.*

§. LXXXV.

Ob ingenuos huiusmodi natales plura privilegia concessa sunt ingenuis, veluti 19) quod, si im-

Varia
ingen-
uorum
priuile-
gia.

si immobilia non possident, his oneribus obnoxia, immunes intra moenia sint a muneribus publicis, et maxime metatis. BEYER *Spec. Jur. Germ. Lib. I. Cap. II. §. X.* 20) quod nec emigrationis nec detractiois censum solvant, nec 21) iurisdictionem municipii agnoscere teneantur, nec 22) iisdem semper cum plebe adfiantur poenis, aut 23) sine Principis consensu diris quaestionibus subiiciantur. Quamvis et haec omnia, et, quae vulgo 24) de proedria ingenuorum, eorumque 25) praerogativa in vestitu, titulis, immunitatibusque plurimis adferri solent, non omnium locorum sint, et iis vivamus temporibus, quibus erectiora ingenia saepe doctrinae ac virtuti debent, quod frustra a fumosis maiorum imaginibus expectant ii, qui ruri torpent otio, et nihil agentes, inter equos et canes consenscunt.



TIT. IV.

DE STATV NOBILIVM, SEV
PRINCIPVM DOMINORVMQVE
IVRIBVS.

§. LXXXVI.

Quamuis hodie, qui olim ingenuorum Qui o-
 ordini adscribebantur, veluti *κατ' ἑξοχήν* lim ne-
εξοχήν vocentur NOBILES, *Edelleute*. biles?
 tamen iam supra obseruauimus, axioma istud
 antiquissimis temporibus proprium fuisse il-
 lis, qui ex ingenuis ad maiores in republica
 dignitates adspirabant, eorumque posteris,
 quibus ipsa patrum merita a claudes nobilita-
 tem conciliare videbantur. *) (§. XXV.)

*) Qua in re Romanos quodammodo consentientes
 habebant Germani, qui latis legibus Caninia, O-
 gulinia et similibus, omnibus ingenuis ius honores
 capeffendi dabant, eorum vero, qui honores ges-
 serant, posteros tanto nobiliores habebant, quo
 plures maiorum consularium, censoriorum, prae-
 toriorum numerarent imagines. *PLIN. Hist. Nat.*
Lib. XXXV. Cap. II. In eo tamen prudentiores
 Germani, quod iis non negarent nobilitatis decus,
 qui primi ad honores adspirabant, quum Roma-
 ni hos, sua tantum imagine claros, tanquam NO-
 vos HOMINES, despicerent. *PLVTARCH. vit. Caton.*
Mai. init. APPIAN. de bello ciuil. p. 710.

§. LXXXVII.

Quum vero TACITI aeuo aliae gentes re- Et qui-
 gnarentur, aliae optimatum vel populari dem
 rentur imperio: apud illas nobiles erant ho- tempo-
 noresque capeffebant, quorumcumque virtu- ribus
 tem ac prudentiam Rex probabat. Et hinc Taciti.
 liber-

libertos in ciuitatibus monarchicis et super ingenuos, et super nobiles, adscendisse, testatur TACITVS de Mor. Germ. Cap. XXV. In reliquis ciuitatibus ii, qui vel exercitus ducebant, vel iura per pagos vicosque reddebant, quos promiscue PRINCEPS VOCANT TACIT. *ibid.* Cap. XIII. XIV. et CAES. de bello Gall. Lib. VI. Cap. XXIII. non nisi ex nobilitate sumebantur.

§. LXXXVIII.

Nec non
medio
aëuo.

Priores medio aëuo dicti DVCES, *Hertoge*, iique simul maioribus prouinciis cum imperio praeerant: posteriores, qui per pagum aliquem vel ciuitatem ius dicebant, adpellati COMITES, GRAVIONES, *Grauen*, VADIAN. de colleg. et monaster. Germ. apud GOLDAST. Tom. III. Script. rer. Alam. p. 25. VLR. OBRECHT. Prodr. rer. Alsat. Vol. I. Cap. XII. p. 260. Accessere postea recentiora honorum vocabula, alique dicti COMITES PALATINI, alii MARCHIONES, vel MARGGRAVII, alii LANDGRAVII, *) BVRGGRAVII, RVGRAFFII, WILDGRAFFII, vt iam omitteremus ARCHIDVCES, PRINCIPES, COMITES PRINCIPALIS DIGNITATIS, quorum origines in historia; iura in iurisprudèntia publica explicantur.

*) Recentioris aëui hanc dignitatem putant plerique, et saeculo XI. vix antiquiorem. Sed attulit celeberrimus PFEFFINGERVS ad VITRIAR. Lib. I. Tit. XVII. §. 4. locum ex vita S. Fridolini apud GOLDASTVM Tom. I. Script. rer. Alam. p. 248. in quo occurrit *Landgrauius*, iudicio villae Rankwile praesidens. Non ergo primi fuerunt Thuringi, qui principi eius ordinis paruerunt, sed iam multo ante id vocabulum Heluetiis fatis notum fuisse videtur.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Hi vero omnes, cum antiquissimis tempo-
ribus, quibus administratoria tantum eorum
erat potestas, tum postea, quum eam iure he-
reditario obtinerent, NOBILES dicebantur:
et hodie non alio epitheto compellantur ex
cancellaria pontificis maximi, quum alioquin
fere euiluerit hic titulus. *) Apud LAMBE-
CIUM *Rer. Hamb. Lib. II. n. 383. Dux Brunsvi-*
centis vocatur nobilis vir; eodemque elogio
ibidem n. 515. maectatur Ioannes, Comes de Del-
menhorst. Alia testimonia collegerunt POTGIE-
SER. *de statu et cond. seru. Lib. I. Cap. II. §.*
XLII. et HERT. *de feudo nobili Sect. III. §. VII.*
Postea ad *comites* fere hic titulus transiit, ac
proinde in saeculi XII. diplomatibus, quo-
ties testes recensentur, qui rei gestae inter-
fuerunt, fere semper ordine se excipiunt
NOBILES, LIBERI et MINISTERIALES, et in
primo ordine plerumque soli comites enu-
merantur.

*) Idem contigit Germanicis vocabulis *Edelmann* et
Juncker, quorum olim ne principes quidem pu-
duit, quum hodie ea vix ferant equestris ordinis
viri. Comites sane Waldeccenses comitatum suum
in feudum offerentes Hassiae Landgraviis, promit-
tunt, *sie wolten ihre getreue Edelmänner darumb seyn.*
HERT. *de feudis oblat. in Chartis subiunctis n. V. p.*
580. Et in chartis, quae e saeculis XIV. et XV. su-
per sunt, passim *lunckern* vocantur Duces Brunsvi-
censes et Cliuenses, Comites Delmenhorstani, et
de Sternberg. Vid. POTGIES *de Stat. et Condit. Seru.*
Lib. I. Cap. II. §. XLI. p. 61. sequ. Immo et Guill-
elmus, Comes Hollandiae, postea Rex Germano-
rum, vulgo dictus *den Foneker van Holland.* BV-
CHEL. ad Beck. *Chron. Vltrai. p. 81.*

§. XC.

Inter
nobiles
etiam E-
piscopi
et prae-
lati.

Quum vero et Episcopi ac Abbates, simul ac antiquae superstitioni nuncium miserant Germani, inter Duces et Comites de republica conferre consilia coepissent, ac proinde ipsi quoque ad principum dignitatem paullatim eueherentur: (§. LXXXIII.) non mirum est, et hos fuisse inter nobiles. Hinc initio CAPITVLARIVM CAROLI M. et LVDOVICI PII apud BALVZ. Tom. I. p. 697. legimus: *Incipiunt capitula Regum et Episcoporum, maximeque nobilium omnium Francorum.* Et VENANT. FORTVNATVS Lib. I. Carm. IV. laudans Leontium, Burdegalensium Episcopum:

Ecclesiae nunc iura regis, venerande sacerdos,

Altera NOBILITAS additur inde tibi.

§. XCI.

Nec non
domini
et baro-
nes.

Denique et familiae quaedam in Germania florebant, nulli Principum nexu clientelari obstrictae, qualis sub Francis Guelphica, de qua HIST. GVELF. apud LEIBNIT. Tom. I. Script. rer. Brunsv. p. 798. sequ. sub sequentibus familiae pleraeque aliae, quae praeter feuda, cum dignitate maiori, veluti Ducum vel Comitum coniuncta, plures possidebant terras mere allodiales, de quibus plura v. c. B. G. STRVVIVS de allod. imp. §. IX. sequ. Qui ergo huiusmodi terras allodiales possidebant sine maiore dignitate, itidem erant nobiles,*) ac plerumque κατ' ἔξοχην vocabantur *Edle*,
Edle

Edle Herren, Herren, Freyherren, Semper-
freye, immo et natura liberi. DOCVM. WVR-
TEMB. *sub coenobio Denkendorff p. 454.*

§. XCII.

Itaque non mirum est, medio aevo nobili- Varii
tatis varios gradus fuisse. WIPPO sane *in vita nobilita-*
Conradi p. 428. vbi de fide Conrado Imp. iu- *tis gra-*
rata agit: *De fidelitate, inquit, facta Regi dus.*
minus necessarium dicere puto, frequenti vsu
teste, quod omnes EPISCOPI, DVCES et reliqui
Principes, MILITES PRIMI, MILITES GREGARII,
quin et INGENVI omnes, si alicuius momenti
sint, regibus fidem faciant. Et huc merito re-
feruntur septem clypei militares, *) *die sieben*
Heerschilde, quorum mentio fit apud AVCTO-
REM VET. *de Benefic. §. II. et III.* in IVRE PROV.
SAX. *Lib. I. Art. III.* et IVRE FEVD. ALAM.
Cap. I.

*) *Primus clypeus, id est, supremus nobilitatis gra-*
duus erat REGIS, alter EPISCOPORVM et ABBATVM.
(Nam ex secundo inquit AVCT. de Benef. §. III. in
tertium descenderunt clypeum laicales principes,
quum episcoporum fiebant homines,) tertius PRIN-
CIPVM laicorum, quartus COMITVM, quintus LIBE-
RORVM, der Herren vnd Freyen, sextus MINISTERIA-
LIVM der Dienstmannen, septimus denique eorum,
qui, quamvis non essent equestris originis, feuda
tamen adquisiverant. Add. IO. SCHILT. ad Jus feud.
Alam. Cap. I.

§. XCIII.

Iam ergo ex his facile intelligitur, I. ea- De iure
dem esse iura nobilium, ac ingenuorum, et statu
quamvis his cum illis non omnia sint com- nobili-
munia. um axio-
mata.

munia. II. Nobiles et tituli splendore, et dignitate, praestare ingenuis, et III. hos plerumque fide clientelari sibi habere obnoxios.

§. XCIV.

Iura circa ludos equestres, venationes, militiam.

Ex primo axiomate intelligitur, 1) nobilibus quoque viam patuisse ad certamina equestria, eosque gladio equestri sollemniter fuisse accinctos: ALB. STAD. *ad ann. MCLXXXIV. CHRON. MAGN. BELG. apud Pistor. p. 244.* PETR. DE VIN. *Lib. III. Ep. XXIX.* ac proinde 2) eorum tum in numis, tum in vetustis sigillis, plerumque conspici armatos, et equis cataphractis vectos, et vel hastas, vel vexilla, vel gladios vibrantes. I. M. HEINECC. *de Sigill. Part. I. Cap. X. §. XV. seq.* 2) Eisdem quoque venationibus in primis splendidioribus se praetulisse ingenuis. Quo quum vel maxime etiam pertineret res accipitraria, non mirum est, principum iuventutis sigilla plerumque referre homines, venatum proficiscentes. TENZEL. *Bibl. curios. MDCCIV. repos. I. plut. 4. p. 326.* OLIV. VRED. *Sigill. Com. Flandr. p. 48. 94. 99. 101. 104. 107. 108.* HEINECC. *ibid. p. 127.* 3) Nobilium quoque statum fuisse ad militiam vel maxime comparatum, idque hodie ostendere eorum insignia, maxime equos cataphractos, et vexilla, quae in funeribus praeferruntur solent. *)

*) Hinc et feuda nobilia olim oblatis vexillis dari solebant; singulaque vexilla singula feuda notabant. Exemplum Henrici, Bauariae, mox Austriae Ducis dabit OTTO FRISING. *de gest. Fridrici I. Lib. II. p. 32.* Add. GVNDLING. *de feudis vexilli.*

§. XCV.

§. XCV.

Ex secundo axiomate reddi potest ratio, Ratione
titulo-
rum.
4) cur, quum ingenui a praediis tantum cognomina arcessant, nobiles integros ducatus, principatus, comitatus et dynastias, quas vel possident, vel sibi iure deberi contendunt, recensere, eundemque titulum 5) et fratribus natu minoribus, licet exfortibus prouinciarum, ad spem futurae successionis seruandam, indulgere soleant. *) 6) Cur ingenuis maiores sibi titulos adrogantibus, nobiles quoque suos mutarint, dictique sint pro *illustribus* et *nobilibus*, *serenissimi* et *illustrissimi*, pro *Fürstliche* vel *Gräffliche Gnaden*, *Hochfürstliche* vel *Herzogliche Durchlauchtigkeiten*, *Hochgräffliche Gnaden* vel *Excell.* nec principes iuuentutis amplius *domicelli*, *iunge Herren*, sed principes, *Prinzen*, et principum et comitum filiae non *Fürstliche* vel *Gräffliche Fräulein*, sed *Prinzessinnen* vel *Comtesses*, vocentur.

*) Id olim aliter se habuit. Tantum enim abest, vt fratres natu minores eorumque filii, prouinciarum exfortes, paternos titulos nomini suo adscripterint, vt ne paris quidem cum patre dignitatis habiti sint, sed saepe principum filii comitum vel dominorum gradu contenti vixerint. CHRONICON QYEDL. apud LEIBNIT. Tom. II. Script. rer. Brunsv. Tom. II. p. 288. *Bernardus Dux* (Saxoniae,) *inuehitur coelos, quem lamentione dignum octaua decima die moriens sequutus est* LVDGERVS, COMES, *frater suus.* LAMB. SCHAFFN. ad ann. MXLVIII. *Festum S. Michaelis Imperator iterum Poletbae celebravit, ibi postero die DIETMARVS, Comes, frater Ducis Bernardi, quum a milite suo Arnolde accusatus fuisset, de inito contra Imperatorem consilio, congressus*

cum eo, ut obiectum crimen manu propria purgaret, victus et occisus est. Denique BRUNO de Bello Saxon. ap. FREHER. *Tom. I. Scr. Rer. Germ. p. 106.* *Herman-num Comitem* vocat Magni Ducis Saxoniae patrum. Adeoque ex sola gente Saxonica Billungorum plures recenseri possent fratres Duscum, natu minores, qui intra comitum, ordinem sese continuerunt. Et talia exempla in omnibus fere principum, multoque magis comitum, familiis occurrunt. Iam ut vnum addam, *Dietricus*, filius Beringeri, comitis Sangerhusani, nepos Ludouici, Landgrauii Thur. se ipse vocauit *dominum de Berka.* Vid. LEVKF. *Antiqu. Ilfeld. Cap. IV. §. III. p. 35.*

§. XCVI.

Ratione
inge-
nuorum
et matri-
monii
cum il-
lis.

Denique ex tertio axiomate, (§. XCIII, 3.) explicari posse videtur, 7) cur hodiernum Principes equites *caros fideles* vocare, et 8) in secunda persona singularis numeri compellare soleant: et cur denique 9) Germaniae moribus impar habeatur matrimonium, quod cum ingenua muliere contrahitur, et hinc 10) filii filiaeque plerumque non principalis dignitatis, sed ingenui et ingenuae tantum putentur, immo 11) nec ad successionem facile admittantur, nisi mater codicillis Caesareis ad principum vel comitum nobilitatem euecta fuerit. THOMAS. *Juristische Händel P. III. Cap. III. p. 197.* a LVDWIG *Comment. ad Aur. Bull. Tom. II. p. 1359.*

§. XCVII.

Quomo-
do quis
fiat no-
bilis.

Sed haec et alia pleraque, quae de iure nobilium in Germania dici poterant, ad ius publicum magis, quam priuatum, de quo hic loquimur, pertinent. Itaque iis non immo-

immoramur, id tantum obseruantes, II) quum olim ingenui non nisi collatis ducatus, principatibus, comitatibusue, in nobilium numerum referrentur, ceu exemplum Adolphi de Santerleue, ab anno MXXX. primi Comitis Schaumburgici, docet in CHRON. MIND. *apud* MEIBOM. *Script. rer. Germ. T. I. p. 560.* hodie saepissime eam dignitatem codicillis sacris conferri iis, qui opibus ac meritis tantum eminent, quamuis nullum principatum comitatumue possidentibus.



TIT.

TIT. V.

DE IVRE MVNICIPVM, QVI
MEDIO AEO BVRGENSES.

§. XCVIII.

Origo
municipi-
palium
scitu ne-
cessaria.

QVandoquidem quintus hic hominum ordo, ab ingenuis hodie proximus, vrbibus demum in Germania conditis, paullatim natus est: (§. XXIV.) in harum origines, et causas, cur condicoeperint, eo maiore diligentia inquirendum erit, quo minus sine accuratiore earum intelligentia iura municipum videntur explicari posse.

§. XCIX.

Germa-
ni anti-
quissimo
tempore
non ha-
bitabant
vrbes.

Et TACITVS quidem *de Morib. Germ. Cap. XVI. nullas Germanorum populis vrbes habitari, eosque ne pati quidem inter se iunctas sedes*, tradit. Tantum itaque abest, vt vrbes incoluerint, vt eas vel maxime sint auerfati, ac proinde odio, tanquam hostes, habuerint Vbios, quod in coloniam migrassent, eosque indignos Germanorum nomine et consortio putarint, nisi muros, tanquam monimenta seruitutis, detraherent. TACIT. *Hist. IV, 64.* Duravit iste mos et insequentibus saeculis, *) quibus AMM. MARCELL. *Hist. XVI, 3.* refert, *Germanos, etiam cisrhenanos, oppida, vt circumdata retibus lustra, declinasse, et tractus tantum suburbanos circa Argentoratum, Berbotomagum, Nemetes, Moguntiam, inhabitasse.*

*) Magnum

*) Magnum equidem πόλεις, id est, *urbium* in Germania numerum ineunt geographi Graeci, et maxime CL. PTOLEMAEVS, Aegyptius. Et HERODIANVS *Hist. VII, 2.* memorat πόλεις, quas in Germania ferro ac flammis deleuerint Romani: sed ut priores castella et vicos, quos fama celebrabat, suis decepti moribus, pro splendidis urbibus videntur habuisse: ita, dum posterior, paucis interiectis, κώμας adpellitat, quas paullo ante πόλεις vocabulo dignabatur: satis profecto indicat, se voci isti impropiam plane notionem subiecisse, quemadmodum eodem sensu Germanis oppida tribuisse videtur CAES. *de Bello Gall. IV, 19. et VI, 10.* CONRING. *de urbib. Germ. §. XXI. XXII.*

§. C.

Quin ne vicos quidem, quales hodie in hisce prouinciis et superiore Germania conspiciamus frequentissimos, veteres Germani patiebantur, *nec eos, ut TACITVS pergit, locabant in Romanorum morem, connexis et cohaerentibus aedificiis. Suam quisque domum spatio circumdabat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia aedificandi. Potius, ut idem obseruat, colebant discreti ac diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus placebat.** Ne vici quidem continui in Germania.

*) Hinc et hodie in Westphalia atque ac inferiore Saxonia huiusmodi vicos deprehendimus, vbi singula praedia fere seorsum ad nemora, fontes, riuos, exstructa sunt. Quum vero inde nati sint postea vici frequentiores: facile credimus CLVVERO *Germ. antiqu. Lib. I. Cap. XIII.* CONRINGIO *ib. §. XVII.* STRVVIIO *Synt. Hist. Germ. Diff. III. §. V.* inde esse, quod plura pagorum nostrorum nomina desinant in *brunn, feld, bach, aue, leben* vel *laube, hayn.* cetera.

§. CI.

In/Ger-
mania
cisrhe-
nana et
transDa-
nubium
quae-
dam op-
pida.

Enimuero id tantum intelligendum est de Germania magna, vel, vti Romanis vocata est, transrhenana. In cisrhenana enim et veteres Germani vrbes satis frequentes coluerunt, veluti Treuiri, Nemetes, Vangiones, Mediomatrici, et plures postea addiderunt Romani, rerum ibi potiti, e. g. Moguntiam, Coloniam Vbiorum, Argentoratum. Quod et de prouinciis trans Danubium, id est, de Raetia, Vindelico et Norico, dicendum, vbi plures vrbes celeberrimae, veluti Augusta, Campodunum, Boiodurum, vel castra Batauorum, Laureacum, Arlapis, aliaeque iam illo tempore celebrantur. SPENER. *Notit. Germ. antiqu. Lib. VI. Cap. II.*

§. CII.

An in
Germa-
nia ma-
gna ante
saeculu-
m IX.
plane
nullae
vrbes?

Nec suffragamur nos HERM. CONRINGIO, qui in *Diff. de vrbib. Germ. §. XXIV.* non modo ante saeculum quintum, sed et ante nonnullas in Germania magna vrbes, praeter vnicam fortassis Wurzburgum, repertas existimat. Vt enim iam non dicam de Lupoduno, quam FREHERVS *singulari opusculo de Lupoduno* scripto, ab interitu vindicauit, aliisque quibusdam, quarum dubius adhuc situs est: quis ignorat, urbem munitam, Schidingam, cuius ipse meminit CONRINGIVS, iam saeculo sexto in media Germania ipsaque Thuringia floruisse? Vid. GREGOR. TVRON. *Hist. Franc. Lib. III. Cap. IV. et VII.*

*) Lupo-

*) *Lupodunum* enim Frehero est *Ladenburg*, ab aliis non procul ab Argentorato reperiri hodieque *Lupfen* vocari creditur. Diuerfas eruditorum sententias de hoc similibusque oppidis habes apud SPENER. in *Notit. Germ. antiqu. Lib. IV. Cap. II. §. VIII. p. 170. seq.*

§. CIII.

Multo minus itaque dubitandum est, quin ^{Sub} Francis plures vici magis magisque celebrari, et vrbium speciem paullatim induere iam vrbes coeperint, quamuis raro moenibus circumdatis fuerint, et LVITPRAND. *Lib. III. Cap. XII.* Germanis *domorum congregationem non claustram BVRGVM vocari*, obseruet. Frequentior. ^{ur.} res itaque vici subinde esse coeperunt: idque factum, cum ob commercia, ob quae anno DCCCv. tamquam emporia celebrantur *Bar-denwich, Schesla, Magadoburch, Erpesfurt, Foracheim, Bremberg et Raginsburg.* CAPITVL. II. *anni DCCCv. tit. VII.* apud BALVZ. *p. 425. Tom. I.* tum ob insignem agri vbertatem, ob quam Erfurtum tam multi rustici confluxisse videntur, vt ideo ab OTHLONE vocetur *vrbs paganorum rusticorum* *) (§. XXIV. *) At vel maxime occasionem condendis amplificandisque vrbibus dedisse videntur instituti hinc inde episcopatus, quos per canones non nisi in vrbibus celebrioribus esse oportebat. CONCIL. SARDIC. *can. VI.* CAPITVL. *Aquisgr. ann. DCCLXXXIX. Cap. XIX.* SAGITT. *Antiqu. gentilismi et. Christ. Thur. Lib. III. Cap. XII. §. V.* Hinc iam saeculo IX. Hambugi, vrbis et suburbii, murorumque, quibus cincta erat, memi-

minerunt REMBERT. *Vit. Anschar. Cap. XXXIV.*
 et GVALDO *Vit. Anschar. Cap. XXXV.* quam-
 uis Eichstetensem episcopatum citius, quam
 institutum ibi urbem, floruisse, pateat ex FAL-
 KENST. *Cod. Dipl. Nortgou. n. X. et XI.*

- *) Quem locum male vertisse videtur SAGITTARIUS *ei-
 ne alte Heidnische Baurenstadt.* Quis enim credat
 Bonifacium novum Episcopatum instituere voluis-
 se in urbe, a meris paganis habitata? Videntur intel-
 ligendi rustici ex pago vel tractu terrae vicino, qui
 Erfurtum confluerunt ob situs commoditatem, v-
 bertatemque agri eximiam, quin et ob commercia,
 quibus fiebat, vt facile res suas cum lucro quodam
 venderent.

§. CIV.

Quae ta-
 men non
 singula-
 res resp.
 habe-
 bant, sed
 comi-
 tes ii
 praece-
 rant.

Nec tamen existimandum est, vrbes tum
 suas republicas, collegia decurionum, vel
 iurisdictionem habuisse. Quemadmodum
 enim comites per pagos et vicos tum ius di-
 cebant, adhibitis in consilium scabinis vel
 rachimburgiis; ita idem fiebat in urbibus.
 Comites sane his praefuisse, ex CAPITVLARI
 II. *anni DCCC.V. tit. VII.* discimus, in quo
*Bardewici Redi; Scheslae Madagoz; Magde-
 burgi Atto; Erfurti Madalgoz; Forchheimii et
 Bramburgi Odulfus; Ratisponae Odulfus; Lau-
 riaci Warinarius comites praeuidisse, *)* di-
 cuntur.

- *) PRAEVIDERE autem hic idem est ac praeesse, et hinc
 praecipue Comites praevidere dicuntur. Passim
 obuia in capitularibus est loquutio: *comitatum
 praevidere.* Quod ne a CAROLO quidem DV FRES-
 NE observatum, ex CAPITVL. CAROLI CALVI *Cap. IX.*
 praeclare demonstravit SAGITTAR. *Antiqu. Duc.
 Thur. Lib. IX. Cap. IV. §. VI. p. 221. sequ.*

§. CV.

§. CV.

Exstincta in Germania Carolidarum stirpe, Vrbes perpetuae Hungarorum irruptiones facile plures persuaserunt Germanis, vt celebriores vicos ab Henrici I. moenibus turribusque passim communirent, Regis maxime, quum exemplo praeuentem haberent Henricum I. Regem, qui per Saxoni- temporibus nam, teste WITICHINDO *Lib. I. Annal. p. 639. urbibus exstruendis die noctuque operam dabat, quatenus in pace discerent, quid contra hostes in necessitate facere debuissent.* Tunc sane conditae ciuitates plurimae, *) - veluti Misna, Merseburgum, Quedlinburgum, Goslaria, GOBELIN. *Cosmodr. Aetat. VI. Cap. XLVII. p. 248. quibus Gotham TENZELIVS Suppl. Hist. Goth. II. Sect. I. p. 19. sequ. Herfordiam SCHVRFLEISCHIVS Strictur. ad Hist. Herf. p. 10. alias alii addunt.*

*) Vel potius moenibus ac turribus cinctae. Vix enim credibile est, intra tam paucos annos tot vrbes confurgere potuisse, nisi iam antea frequentiores vici ibi fuissent. Atque hinc factum esse arbitramur, vt pleraeque Saxoniae inferioris vrbes non descriptis ad lineam plateis, sed satis contortis vicis et angiportibus exstructae sint.

§. CVI.

Ceterum quod institutum tenuerit rex lau- Regis datissimus circa vrbes exstruendas, idem wi- istius TICHINDVS, ex eoque SIGBERTVS GEMBLAC. circa vr- Chron. ad ann. DCCCCXXV. memoriae pro- bes in- stituta. diderunt. Et primum quidem ex agrariis mi- Ingenui litibus nonum quemque eligens, in vrbus ha- in vrbes bitare fecit, vt ceteris confamiliaribus suis octo adsciti. habi-

habitacula exstrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet seruaretque: ceteri vero octo seminarent et metèrent, frugesque colligerent nono, et suis eas locis reconderent. Hinc multi passim in urbibus ingenui, praesidio pariter ac ornamento nouis coloniis futuri, et ideo aliquot saeculis post in superiore Germania dicti *Constaffler* vel *constabularii*. SCHLIT. ad KOENIGSHOFIVM *Chron. Als. Cap. V. §. C. p. 307.* quorum quidam et cognomina ab urbibus adsciuisse videntur, veluti domini *de Gosfa, de Goslaria, de Osterode, de Eimbeck, de Brunswic, de Halberstadt, de Aschersleue* et similia.

§. CVII.

Plerique tamen ciues seruilis, vel libertinae conditionis. Quum vero non totas ciuium vniuersitates ex ingenuis constituisse, credibile sit: reliqui oppidani procul dubio ex rustica plebe eo confluerunt, adeoque partim libertinae, partim seruilis fuere conditionis. Seruis per multis adfluxisse ciuitates, iam supra demonstrauimus. (§. XXIV. *) De libertinis eleganter HERM. CONRINGIVS *de Urbib. German. §. LXXXI.* quamquam paullulum lapsus circa libertinorum originem: *Auxit vero hoc plebis studium indubie innumera libertorum copia, quae post annum Christi nongentesimum succreuit, omnibus paene seruis per vniuersam Germaniam ex pietatis seruore emancipatis. Quibus quum proprii agri nihil, adeoque ruri quidem non nisi durissimo seruitio victus posset comparari, quum in urbibus per opificia alia-*
que

que ministeria facilius esset vitae tolerandae ratio, quin et ad diuitias pateret aditus: plerique illorum, agris relictis, vrbes incolere coeperunt.

§. CVIII.

Deinde id quoque sanxerat Henricus I. *Concilia Rex, vt concilia, et omnes conuentus, atque et conuentus conuiuia, in vrribus celebrarentur.* WITICHIND. Henricus I. in *ibid.* Et sane ex eo, tempore pleraque comitia, *) synodi, iudicia celebriora, et nundinae imprimis, in vrribus habebantur. *Est, celebrari voluit* (addit CONRING. *ibid.* §. LXXXIII.) *ubi hodieque nuptialia conuiuia non nisi in vrribus celebrant agrestes.* In iisdem vrribus. aliquando et hastiludia tunc indicebantur. Quae omnia permultos, quibus elegantioris vitae cultus adlubefcebat, in vrbes pellexisse videntur.

*) Attamen alicubi comitia vel diaetae prouinciales adhuc multo post sub dio habebantur. In Misnia saeculo adhuc XIII. comitia prouincialia sub dio habita esse Culmizii, tradit WECK. *Descript. Dresd. Part. IV. tit. VI. p. 437.* Idem de Ducatu Brunsvicensi et Landgraviatu Hassiae refert HERT. *de consultat. Legib. et iudic. in special. Germ. rebusp. §. IX.* vbi et de conuentibus Opstalbomicis Frisiorum adducit egregium locum VBB. EMM. *Rer. Fris. Lib. XIII. ad ann. MCCCXXIII.* simulque a Francis esse huius ritus originem, ostendit, quorum *Campi Martii* et *Campi Maii* satis noti sunt: quemadmodum de Langobardorum in *campis Roncaliis* comitiis res notissima est. OTTO FRIS. *de gest. Fridr. Lib. I. Cap. XII.*

§. CIX.

§. CIX.

Ius in illis tum dicebant aduocati et sculteti.

Non dubium est, quin, comitibus pagos plerosque iure hereditario sibi paullatim vindicantibus, in reliquis vrbibus, in Regum ac Principum potestate constitutis, ius eorum loco dixerint ADVOCATI ET SCVLTETI, qui circa haec tempora vbique *scabinorum* praeerant collegiis. DITHM. *Cod. Dipl. ad TESCHENM. n. III. p. 2.* Hos omnes vel ex militibus, vel ex ingenuis istis vrbanis, illos ex ipsis aliquando nobilibus lectos esse, nulli dubitamus. (§. LXXIV.) Goslariae fane aduocati praeuere anno MCLII ANNO, procul dubio de Heymburg, anno MCLXXVII, VOLKMARVS de Wildenstein, anno MCC. HENRICVS, Comes palatinus Rheni, et Dux Saxoniae, anno MCCVI. HERMANNVS, Comes de Wernigerode. Vid. I. M. HEINECC. *Antiqu. Gosl. Lib. II. p. 220. sequ.*

§. CX.

Post ea tempora multas vrbes condidere Principes et Comites.

Ab hoc tempore feruebat in Germania vrbium condendarum studium. Quumque tot Episcoporum, Principum, Comitum, in quorum prouincias distracta est Germania, nullus esset, quin vrbem aliquam celebriorem, vel plures, habere vellet: coeperunt et ipsi de condendis vrbibus cogitare, *) simulque, variis propositis priuilegiis atque immunitatibus, homines ad vitam vrbanam inuitare. Hinc alias vrbes REGIAS, alias PRAEFECTORIAS dictas arbitramur in diplomatibus saeculi X. et XI. apud ZYLLES. *Defens. Abb. S. Maximini p. 27. sequ.*

*) Ac

*) At tunc nondum id facere se posse existimabant sine Imperatorum vel Regum consensu, adeoque ius condendi ciuitates ab iis videbatur precibus impetrandum. Quod anno MCCCXII. Spirae publica lege sancitum, tradit IS. PONTANVS *Hist. Gelr. Lib. VI. p. 182.* Exempla eius rei plura ex historia medii aevi chartisque collegit HERT. *de Superiorit. territ. §. XVIII. p. 228. sequ.* His nos iam addimus bina diplomata multo antiquiora Eichstadiensia, quibus Episcopis potestatem exstruendi vrbes, instituendique nundinas, officinam monetariam, et telonium, faciunt anno CMVIII Ludouicus Infans, et anno CMXI. Conradus I. Reges Germaniae, apud FALKENST. *Cod. Dipl. Antiqu. Nordgau. num. X. et XI. p. 17. sequ.* Ex quibus simul patet, iam ante Henrici Aucupis tempora de exstruendis vrbebus non modo Reges, sed et Principes, cogitasse.

§. CXI.

Inter haec priuilegia ciuibus oppidanis De iure concessum, I) vt ciuitatibus singulis liceret municipale habere collegium decurionum, ea, quae ad vtilitatem reip. decusque vrbeis pertinerent, curaturum. *) II. Vt negotiationibus potissimum ciues, vel municipes, instarent, iidemque III. iuribus coquendi vendendique cereuisiam, nec non IV. facultate opificia et artes elegantiores exercendi fruerentur: et, V. si qui in suburbia habitatum concederent, vel incolae, quam ciues, esse mallent, paullo deterioris essent conditionis, quam ciues, saltem non iure optimo maximo ciues haberentur.

*) Eiusmodi decurionum collegia iam saeculo XI. passim in vrbebus fuisse arbitramur. Spirensibus Henricus V. Imp. concessit facultatem eligendi duodecim viros ex suo ordine reipublicae administrandae. LEHM. *Chron. Spir. Lib. IV. Cap. XI.* Augustanos libertate, a Conrado, vltimo Sueviae duce, redempta,

redempta, ex suis sibi municipibus ingenuis proprium senatum elegisse, et ciuitatis curatores, duumuirosue, (Magistros tunc ciuium dictos, *Burgermeister*,) et praefectos vrbi, adhuc *Stadt-pfleger* adpellari solitos, libere creare solitos esse, tradit CRVS. *Annal. Sueu. Part. III. Lib. II. cap. XVII.* Idem Vlmae a Ludouici Bauari temporibus contigisse refert. Ab anno MCCLI, Erfurti senatum praeesse coepisse reipublicae, tradit GVDENVS *Hist. Erfurt. Lib. I. p. 12.* A saeculo XII. et Goslariensium, Bremensium, aliarumque ciuitatum Consules et Proconsules memorari videmus, quum antea vix vllum eius rei exstet vestigium.

§. CXII.

Respublicae
municipales
olim aristocraticae,
hodie fere
populares.

Et quidem quod ad publicum istud consilium attinet, olim vbique ferè aristocraticum vel oligarchicum erat illud municipiorum regimen, nec dubitare licet, quin consules ac decuriones ex ingenuis, qui passim in vr-bibus sedes ac domicilia constituerant, fuerint cooptati. Ast ineunte saeculo XIV, gliscentibus plebis opibus, et patriciis arrogantius, collegiis opificum licentius omnia agentibus, vbique fere per Germaniam ciuiles procellae coortae, nec cessatum est a tumultibus, donec, deiectis ea praerogatiua ingenuis, plebs sibi viam in curias muniuisset. KÖNIGSHOFF. *Chron. Alsat. et Arg. Cap. V. §. XCIV. sequ.* et ibi SCHILT. CONRING. *de Vrhib. Germ. §. CXXXI. sequ.* HERT. *de special. imp. Rom. Germ. rebusp. Cap. II. §. XXII.*

§. CXIII.

Ius senatorium,
iurisdic-

Ex quo intelligitur 1) cur hodie vix aliqua, in Germania sit vrbs celebrior, quae pure aristocratica

aistocratice regatur, praeter inclytam Noribergam. 2) Cur multis locis senatus tantum ea, quae ad ordinem et decus ciuitatum pertinent, (*die Policey-Sachen*) curet, non autem iuri dicundo praesit, sed istam reipublicae partem administrent sculteti, aduocati, *Stadt-Voigte*, cum scabinis, vel in oppidis minoribus ipsi principum praefecti. *) Ex quo consequitur, 3) vt falso vulgo doceant, concessio iure ciuitatis, concessam simul intelligi iurisdictionem, saltim inferiorem. OBRECHT. *de Iurisd. thesi CCXCIX.* SCIP. GENTIL. *de Iurisd. Lib. II. Cap. V. et VI.* Ex eodem intelligimus, 4) quae sit origo statutorum municipalium, plerumque ad ordinem et decus urbium pertinentium, et cur illa vocentur *Willkühre*. Qualia condendi facultatem anno MCCXCII. Hamburgensibus factam nouimus a Comitibus Holsatiae. LAMBEC. *Orig. Hamb. II. n. 471.*

Stio mu-
nicipa-
lis, ius
statuta
conden-
di.

*) Ast paulatim tamen ciuitates, extincta scultetorum aduocatorumque iurisdictione, quae plerumque feudalis erat, aut ipsae sibi illam redemerunt, aut a Regibus et principibus impetrarunt pro beneficio. Hinc nulli in urbibus quibusdam sculteti sunt, in aliis non a Principe, sed senatu, constituuntur. Quin urbana iurisdictione alicubi non modo intra moenia exercetur, sed longe lateque per tractum suburbanum, qui vocatur *weichbildum*, porrigitur. Intra eundem tractum, antequam pax publicis sanctionibus firmaretur, qui vim apertam adhibuerat, fractae pacis erat reus, id quod vocabant *das Weichfried-Recht*. SCHOTTEL. *de singul. Germ. iurib. cap. X.* GRYLIAND. *de Weichbild. Sax. Cap. LXXVI.*

§. CXIV.

Scabina-
tus, sta-
tuae Ro-
landi-
nae.

Ex eadem iurisdictionis urbanae indole 5) facile explicari potest origo scabinatum in celebrioribus Germaniae urbibus, de qua singulari libello erudite disquisiuit FRID. BRVMMERVS. Nec minus 6) iam reddetur ratio statuarum, quae passim ad curias, et in foris ciuitatum Saxonicarum, conspiciuntur, quippe non libertatis et *αυτονομίας* testes, sed iurisdictionis, maxime superioris, quemadmodum et veteres loca, ubi ius sub dio dicebant, signo quodam notata, *mallos* vocare solebant. ECCARD. *ad Leg. Sal. Tit. II. §. I. p. 14.* Quare 7) frustra ius nomen a fabuloso illo Stentore, Rolando, arcessunt. Vid. GRYHIAND. *de Weichb. Sax. Cap. LXXI. n. 9. sequ.* LEVBER. *Magdeb. Stapel-Vnfug. n. 1257. sequ.*

§. CXV.

Plebeiis
vbique
fere est
ius hd-
norum.

Denique quum mira saeculo XIV. reipublicae municipalis facta sit conuersio: (§. CXII.) non mirum est, 8) hodie, licet in quibusdam ciuitatibus adhuc emineant ingenui, vel ciues primarii ex doctorum vel mercatorum ordine, iis tamen plerumque adiungi aliquos ex plebe, ac proinde 9) tribus vel corpora opificum iure quodam suo postulare solere, vt quidam ex contribulibus suis vel in senatum cooptentur, *) vel, ubi de re publica consulitur in medium, adhibeantur in consilium. Vnde formula Goslariensibus sollemnis: *Conclusum in beyden Rätthen, mit Zu-*

Zuziehung der Freunde von Gilden und Gemeinde.

- *) Sic Argentorati anno MCCCXXXII. constitutam esse rempublicam, docet KOENIGSHOFF. *in Chron. Alsat. Cap. V. §. XCVI. p. 305.* Francofurti iuxta Moenum senatores leguntur partim ex *patriciis*, quorum collegium coit in aedibus dextrae curiae lateri proximis, *im alten Limpurg*; partim ex *ciuibus primariis*, veluti doctis, et mercatoribus, quorum collegium est in aedibus ad latus curiae sinistrum, *zum Frauenstein*: partim denique ex certis opificum collegiis, quae attractius receasset ITERVS apud HERT. *de special. Imp. Romano - Germ. rebusp. Sect. II. §. XXIII. p. 130. sequ.*

§. CXVI.

Quumque municipum potissimum sit, in- Priuile-
 stare negotiationibus: (§. CXI, 2.) aequum ^{gia mer-}
 videbatur, iis varia indulgeri priuilegia, ac ^{cat-}
 proinde 10) mercatoribus in illis turbis, qui- ^{rum.}
 bus quotidiana priuatorum bella inuoluebant
 Germaniam, pacem sanciri, aequae ac clerici-
 cis, et religionis causa peregrinantibus, *Cap.*
2. X. de immun. cler. IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art.*
LXVI. IVS PROV. SVEV. *Cap. CCXLVIII.* RE-
 CESS. IMP. FRANCOF. *ann. MCCCXLII. §. VI.*
 Iisdem 11) dari facultatem, proprium insti-
 tuendi collegium, et olim 12) statuta etiam,
 ad commerciorum incrementum comparata,
 condendi, nec non 13) ius illud famosissi-
 mum, quod codices mercatorum semiplene
 probare pro scribentibus patitur. *) ROESN. *de*
Libris mercat.

- *) Id ius in Italia, speciatim Venetiis, natum esse, ex SC. anno MCCCCLXVI. eam in rem facto demonstraui-
mus in Dissert. *de codicibus mercatorum foro ceden-
tium* §. XVIII. Postea paulatim Alpes transcendit il-
lud mercatorum priuilegium; quemadmodum et
pleraeque aliae mercatorum consuetudines, in
primis negotiationes collybisticae. Vnde et voca-
bula technica, familiaria mercatoribus, pleraque
sunt Italica.

§. CXVII.

Ius fori
et nun-
dina-
rum.

In primis ad negotiationes municipum
pertinent 14) nundinae, tum quae singulis
hebdomadibus recurrunt, (*Wochen-Märck-
te*), in quibus 15) ea plerumque municipum
praerogatiua est, vt gaudeant iure quodam
πρωτιστασως, et exteri emere non possint fru-
mentum aliumque commeatum, quamdiu
certum signum ex curia conspicitur, tum 16)
annuae, eaeque vel a principibus institutae,
(*lahrmärckte*), quales nundinas in oppido
Huessen anno MCCCXLVIII. instituit, et
priuilegio munit Ioannes, Comes Gliuentis
apud DIETHM. *Cod. Diplom. ad Teschenmach.*
n. XXIII. p. 15. vel confirmatae ab Imperato-
ribus, (*Messen* *) KOENIGSHOFF. *Chron.*
Cap. V. §. LIV. p. 285. in quibus etiamnum
obtinet priuilegium *l. vn. C. de nund.* AHASV.
FRITSCH. *de regali nund. iure.*

- *) Ita commune est id vocabulum sacrificio missatico
et nundinis celebratoribus. Quum enim olim ad
missam sollemnem in encaeniis, vel die alicui ex
caelitibus sacro habendam confluerent peregrini
innumeri: eam lucrum faciendi occasionem prae-
termittendam non putabant mercatores, quorum
eo tempore tantus erat concursus, vt paulatim
inde

inde nundinae celeberrimae nascerentur. Exempla habes passim, veluti in Chron. Mariemod. apud LEIBNIT. *Script. Rer. Brunsv. Tom. II. p. 45.* Suspiciatus est hoc primum VADIANVS, cuius observationem mirifice confirmat charta Dagoberti apud DOVBLETVM *Lib. III. Cap. III.* vbi Rex: *Cognoscat, inquit, sollicitudo et prudentia vestra, qualiter volumus et constituimus, in honorem domini et gloriosi patroni nostri, Dionysii, MERCATVM constituendo ad MISSA ipsa, quae euenit septimo idus Octobris semel in anno.* Inde ergo est, quod huiusmodi nundinae plerumque incidunt in diem, caeliti, vrbis patrono, sacrum, ab eoque et ipsae nundinae nomen sortiuntur, e. g. *Die Peter-Pauli-Messe zu Naumburg, die Bartholomaei-Messe zu Franckfurt.* ceterae. Quin in Belgio hodie omnes nundinae vocantur *Kerckmissen kermissen*, vt eo minus de hac earum origine dubitare liceat.

§. CXVIII.

Vrbibus quoque quibusdam propria sunt Ius ^{Ius sta-} quaedam iura eminentiora, mercaturae ^{pulae.} causae inuenta, et vel ad fisci vtilitatem, vel ad ipsarum vrbium et mercatorum compendium atque emolumentum comparata. Tale est, 17) IUS STAPVLAE quod vocant, id est, ius vrbis cuidam competens, cogendi eos, qui merces transuehant, vt eas inde dimouere non possint, nisi venales prius exposuerint ciuibus. Idque vel VNIVERSALE est, vel SINGVLARE, et ad certa mercium genera certaue tempora restrictum. Quod, quum saepe in monopolium euadat, vicinisque vrbibus admodum incommodum sit, innumeris litibus praebuit materiam, LEVBER. *Magdeburgisch. Stapel-Vnsueg.* et proinde hodie sine Electorum omnium suffragio concedi

non potest. CAPITVL. CAROLI VI. Art. VIII.

§. CXIX.

Iusgeranii.

Tale etiam 18) IUS GERANII, *das Krabn-Recht*, id est, ius habendi machinam tractoriam, cuius ope merces quaelibet, quantacumque molis, ex nauibus sursum tolli possunt, vt ne vectigal defraudetur a praeternauiuantibus. De quo plura dixerunt BESOLDVS, WEHNERVS et SPEIDELIVS in voce *Krabn-Recht*. Talis machina Argentorati facta anno MCCCLXXXV. KOENIGSH. *Chron. Cap. V. §. LIV. p. 285. not. a.* Tale 19) IUS TRVTINAE PVBLICAE, *die Stadt-Wage*, qua omnium mercium inuectarum vel exportandarum pondus exploretur, vt secundum eius, quem vrbs ei rei praefecit, testimonium vectigalia, portoria, similiaque onera praestentur.

§. CXX.

Alia mercatorum priuilegia per lancem faturam recensita.

Ad mercatorum priuilegia, non omnibus emporiis communia, sed quibusdam tantum propria, pertinent 20) aditus ad curiam vel ordinem senatorium, 21) locus proximus a litteratis, honore academico ornatis, adeo, vt in sollempnitatibus publicis singuli litterati et mercatores vna procedere soleant. 22) Forum priuilegiatum, *das Kauff- vnd Handels-Gerichte*, in quo a iudicibus quibusdam ICTIS et mercatoribus omnes caussae mercatorum, leuato velo, deciduntur, quo 23) et iudicium nauticum *das Admiraliäts-Gericht*, perti-

pertinet, itidem ex ICtis et mercatoribus nauiculariis compositum, ac proinde vti solitum titulo: *zum Admiralitäts-Gericht verordnete Herren und Bürger.*

§. CXXI.

Quum etiam ius coquendi vendendique ^{Ius co-} cereuisias ad municipum privilegia vel maxi- ^{quendi} me pertineat: (§. CXI, 3.) intellectu sane ^{cereuisiam.} hanc difficile est, 24) hanc cereuisiae praeparationem venditionemque esse negotiationem municipalem, adeoque 25) ruri viuentes cereuisiam quidem coquere aliquando posse suis vsibus, non tamen eandem venalem habere, nisi specialiter id concessum esse doceatur. *) CARPZ. *Part. II. Const. VI. Def. IV. et V.* Ex eodem principio est, 26) quod in Saxonia municipes iure prohibendi vtuntur intra milliare, id est intra spatium decem millium octingentorum passuum, a fine suburbii ad praedium illud, in quo cereuisia coquitur, per viam regiam metiendum. IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art. LXVI. et ibi Glossa.* MARSMANN. *Miliolog. Cap. VIII.* BEYER: *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XVI. §. IV. sequ.*

*) Quin si vel maxime concessa sit cereuisiam vendendi facultas: ea tamen artis admodum limitibus plerumque circumscripta est, cautumque, vt cereuisia non nisi minutatim vendatur, *daß das Bier verschencket, aber nicht verschroten werde,*) vt certis tantum anni temporibus venalis habeatur, cetera, BEYER *ibid. §. XVII. sequ.*

§. CXXII.

Leges
de re ce-
reuisia-
ria ad-
modum
variae.

Ast quemadmodum ipsae cereuisiae tam sunt sui dissimiles, ut vix binae vrbes eiusdem saporis, coloris, ac salubritatis cereuisias coquant: ita 27) et leges ad rem cereuisariam pertinentes tam variae sunt, ut certi quidquam hic scribi vix possit. Id tamen plerisque locis obtinet, ut certis tantum vel personis, vel aedibus, ius sit faciendi vendendique cereuisiam, *) iique, quibus hoc ius est, et ipsi, quando eos ordo tangit, illo uti, et aliorum quoque facultatem (*ihre Brau-Gerechtigkeit*) conducere, et tunc ea uti possint. Talia ex instituto explicarunt OTTO TABOR *de iure cereuisiario. Tom. I. Op. p. 603. sequ.* SCHOEPFFER *de iure braxandi*, et alii.

*) Aliquando et vrbes gaudent iure certos pagos cogendi, ut non alibi quam ex ea vrbe petant cereuisiam: quemadmodum et cauponae huiusmodi reperiuntur, in quibus solis rustici alicuius tractus perpotare et cereuisiam emere possint. Qualia iura tamen sola praescriptione non adquiruntur, quia cereuisiam alicubi petere est actus merae facultatis: sed si ab actu prohibendi, e. g. pignoratione, tempus lege definitum lapsum sit: tunc demum natum est ius huiusmodi bannarium. Vid. SCHILT. *Exerc. XVIII. 4.* SCHOEPFF. *ibid. Part. IV. Cap. II. n. 41. sequ.*

§. CXXIII.

Opifi-
cum pri-
uilegia.

Quum vero et opificia, tanquam praecipua commerciorum fulcra, ciuibus municipiorum veluti propria esse censeantur: (§. CXI, 4.) non obscurum esse potest, 28) quamobrem illis in Germania tot priuilegia

con-

concessa sint, veluti 29) vt collegia et corpora sua instituant, vocata in monumentis medii aevi *societates, gildae, vniones, Einungen, Innungen, Zimffte, Aempter*, quales iam saeculo XII fuisse Magdeburgi patet ex Chron. Magd. apud MEIBOM. *Rer. Germ. Tom. II. p. 329.* LVDEWIG. *Reliqu. MSS. Tom. II. p. 389.* et 30) hifce fas fit in quibusdam vrbibus rempublicam simul capeffere. vid. *Differt. nostra de Colleg. et corp. opif. Cap. II. §. XI.* 31) Cur opifices non solum iure prohibendi alios, in collegium non receptos, gaudeant, sed 32) etiam ruri quaedam opificia exerceri non patiantur. *) Illustr. a LVDEWIG. *de opifice ex pagis exsule.* Sed de hoc opificiario iure non vno opusculo tam accurate egit HADR. BEIERS, vt hic actum agere nolimus, maxime quum innumerae sint opificum consuetudines, et in illis etiam quaedam absurdae, ac proinde communibus ordinum imperii suffragiis merito abolitae anno MDCXXXI. Vid. SCHMAVS. *Corp. Iur. public. p. 1551.*

*) Sunt tamen quaedam opificia et rusticis permiffa. Dantur enim *Dorff-Schneider, Schuster* cet. qui tamen plerumque ius exercendi opificium a collegio quodam proximae vrbis impetrare tenentur. Quin in citata *dissertatione Cap. II. §. VI.* ostendimus, quaedam opificia olim vix ab aliis, quam seruis, exerceri consueviffe, atque inde superesse morena, quosdam boetos vocandi seruos, e. g. *Fleischher-Knechte, Schub-Knechte Tuch-Knappen Mühl-Knappen*; quum alii audire malint *Gesellen*, alii *Diener*. HADR. BEIER in *Boetho Cap. I. n. 30. sequ.*

§. CXXIV.

Quis opificium exercere possit in vrbi- bus.

Tam luculenta vero priuilegia facile subiegebant contribules, 33) vt non promiscue omnes reciperent in collegium et magistrorum vocabulo dignarentur, sed a candidatis exigent, 34) vt testimonia ingenuorum natalium, *ihren Geburths - Brieff*, exhiberent, 35) vt, tirocinii quoque annos rite et secundum collegii leges exactos esse, demonstrari sibi vellent litteris, quas vocant *den Lehr-Brieff*: 36) vt eos deinde rite in boethorum recipi numerum, et 37) aliquot annos peregrinationibus impendere iuberent: 38) vt denique eos non reciperent in collegium, nisi inter petitores aliquoties professi nomina, confecto artis specimine, collegio coena excepto, solutis denique impensis, magistrorum nomen more maiorum meruissent. Longa ea fabula est, quam cum adparatu perpoliuit HADR. BEIER tum in *Tirone*, tum in *Boetho* et *Magistro opificiaro*.

§. CXXV.

Suburbani de-terioris conditionis, quam reliqui ciues.

Quandoquidem porro, qui in suburbiis haerebant, ad reliquorum municipum iura ac praerogatiuas non adspirabant: *) (§. CXI, 4.) cum ius et hodie 39) nec ius honorum, nec facile 40) ius coquendi cereuisciam communicari videmus, nisi suburbia singularia municipia constituent, suisque pareant magistratibus municipalibus, qualia passim occurrunt. Quin 41) saepe suburbani, quamuis ciuitatis iura redimere teneantur, tamen, perinde

inde ac rustici, certas operas praestant, quin et alicubi, qui ipsis a senatu oppidano praeficiuntur, vocantur *Baurmeistere*, veluti Francofurti iuxta Viadrum.

*) Suburbia fini urbium, in Germania conditarum, initio non satis conuenire videbantur. Quum enim hae ideo munirentur, ut obex poneretur Hungaris, Normannis, Slaus per Germaniam longe lateque diuagantibus, omniaque ferro et flammis deuantantibus: (§. CV.) ex suburbiis multum detrimenti imminebat municipiis, quippe quibus facile hostes potiri, et pro castris uti poterant. Ipse quidem Henricus I. Rex suburbia tolerabat, sed ea implebat latronibus furibusque, partim ut eos paulatim a turpi vitae genere ad honestatem pelliceret, partim ut iis, tanquam leuis armaturae militibus, aduersus hostes uteretur. WITICHIND. *Annal. Lib. II. p. 643.* SIGEB. GEMBLAC. *ad ann. DCCCCXXII.* Quare mirum videri non potest, *vile olim visum esse, quidquid extra moenia in suburbiis penates constituisset.*

§. CXXVI.

Quamuis vero suburbia ideo Gallis vocentur *fauxbourg* idemque vocabulum exprimat Germanicum PFALBVRGER: tamen non leuiter errant, qui hos non alios, quam suburbanos, fuisse arbitrantur. STRVV. *Synt. Hist. German. Diff. XI. §. XX. not. ** Pfalburgeri enim dicebantur, qui extra ciuitates habitantes, aliisque subiecti, in dominorum praeiudicium iura ciuitatis in vrbe aliqua potentiore impetrabant, eiusque auxilio freti, eo obtentu, ab oneribus ac tributis sese exemptos putabant. WENKER *de Pfalburg. et Vsburg. §. VII. sequ.* Quum vero hic mos, ab Henrici IV. tempo-

temporibus, vti WENKERO videtur, repetendus, et iniquus, et permolestus esset imperii ordinibus: 43) variis imperii legibus ille abolitus est a saeculo christiano decimo tertio, *) maxime vero in AVREA BVLLA *Cap. XVI.*

*) Antiquissima, quae pfsalburgeris opposita fuit, constitutio est HENRICI VII. Regis, quae anno MCCXXXII. Wormatiæ prodiit, ac in Germanicam linguam translata est a Sigismundo Imp. Vid. GOLDAST. *Const. Imp. T. I. p. 79. Ration. Const. 78. et Reichs-Satz. Lib. II. p. 16.* Enimuero ipse Fridericus II. Imperator eodem saeculi XIII. anno tricesimo secundo rem ratam habuit, edixitque, *vt ciues, qui pfsalburgere dicebantur, penitus eiicerentur.* Quod diploma a SCHILTERO *Tom. II. Iur. publ. p. 217.* HEINECCIO *de Sigill. p. 210.* et LVDEWIG *Reliqu. MSC. Tom. VII. p. 519.* editum est. Repetuit eam sanctionem idem Fridericus II. anno MCCXXXVI. in comitiis Moguntinis, GOLDAST. *Const. Imp. Tom. I. p. 89.* similesque exstant Rudolphi I. apud LEHMANN. *Lib. V. Chron. Spir. Cap. CVIII.* Ludouici, Bauari, apud DATT. *de Pace publ. Lib. I. Cap. XIV. n. 55. sequ.* et aliorum, de quibus operose WENKERVS et LVDEWIG. *ad Aur. Bull. Tit. XVI. §. I. p. 151.*

§. CXXVII.

Nec non
ausbur-
geri?

Nec 44) cum suburbanis confundendi ciues extranei, *die* AVSBVRGER vel VSBVRGER, quippe qui et ipsi non intra weichbildum, sed in Principum et reliquorum imperii ordinum territoriis habitabant, et a pfsalburgeris in eoduntaxat discrepabant, quod sine detrimento dominorum iura ciuitatis in vrbe aliqua impetrassent. WENKER. *ibid.* Attamen quum ne id quidem sine omni dominorum incommodo fieret, subditis quippe suis censum inferentibus in vrbium aeraria: hos quoque pro-

promiscue recipi, vetuerunt leges imperii, de quibus fufe suo more clarissimus WENKERVS.

§. CXXVIII.

Quumque par sit incolarum conditio: (§. Conditio incolarum. CXI, 4.) facile patet, 45) cur qui operas mercede locant, *Tagelöhner*, *Handarbeiter*, similesque ex vltima plebe homines, soluta quotannis certa pecunia, quae *Schuz-Geld* vocatur, in vrbibus et suburbis tolerentur, quaestum tamen, ciuibus proprium, facere non possint. BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XII. §. 35. sequ. 46*) Cur incolis accensendi sint etiam IVDÆI, quippe nec iuris ciuitatis participes, *) et non nisi certis legibus, (e. g. ne fundos possideant, nec tabernariam mercaturam exercent,) intra moenia recepti: quamuis variae sint Iudaeos recipiendi formulae, iique multis locis, opibus freti, maiora audeant, et ipsorum paene ciuium luminibus officiant. Vid. BOEHMER. *Diss. de cauta Iudaeorum tolerant.* Saltim 47) hodie inane nomen videtur seruitus, cui obnoxios Iudaeos esse, ob tributum iis in Imperii legibus nomen *H. R. Reichs Cammer-Knechte*, plerique obseruant. STAMM. *de Seruit. pers. Lib. I. tit. V. c. I. sequ.* SCHILT. *Exerc. XXXVII, 15. sequ. et Iur. Publ. Tom. I. Lib. I. tit. IV. §. VI.*

*) Et tamen Wormatiae Iudaei aequae, ac alii, iura ciuitatis obtinuerunt. Auctor enim est SCHANNAT. *Hist. Episc. Wormat. Part. II. Cap. II. §. IV. p. 206.* Episcopus eos in chartis suis vocasse: *Vnsere liebe Bur-*

Burger, Iuden vnd Christen, et Fridericum II. diplomate anno MCCXIII. iunxisse *Burgenses in civitate Wormatiensi, siue LVDAEOS*. IDEM p. 391. feruat, 'Iudaeos saeculo XIV. Wormatiae buisse XII. indices, ex Iudaeis lectos, iisque profuisse antistitem, quem vulgo vocarint *den Iuden Bischoff*. Quin alicubi et hodie iurisdictionem aliquam iis concessam esse, *dass sie vor ihren Leuten vnd Eltesten belanget werden können*, si inter se litigent, ex actis didicimus, et hinc optionem nepotum, ab avo Iudaeo apud Parisienses factam, per tactum sudarii, *durch den Mann Griff*, ab Halensium ac Francofurtanorum iureconsultorum ordine validam esse iudicatam, meminimus.

§. CXXIX.

Et exemptorum.

Ex eodem vero intelligitur, (48) ab in-
 lis magnopere differre EXEMTOS, quales sunt
 ministri principum, nobiles, professores, et
 que academici, quippe forum privilegiatum
 saltim quod ad personas attinet, recognoscen-
 scentes, cetera a muneribus municipalibus
 immunes, nisi vel fundos in urbium territo-
 riis possideant, vel simul quaestum municipalem
 faciant, (*wenn sie bürgerliche Nahrung treiben.*) BEYER. *Spec. Iur. Germ. Cap. XII. §. XXXIII. sequ.*

§. CXXX.


Militia urbana.

Ceterum quum militaria ornamenta nobilibus ac ingenuis in Germania semper fuerit propria, (§. LXXVI, 1.) ciues vero municipalium commerciorum, officiorum, et re cauponaria vitam tolerarint: (§. CXI.) consequenter videbatur, (49) ut municipes non decere militiam sequi, multo minus (50) equitum cohortibus

horibus adscribi. Quamuis, 51) gliscente vr-
 bium potentia, saepe et ciues arma victricia
 per viciniam circumferrent, *) et 52) quidam
 coram equites patriae stipendia facerent, ab
 hastis, quibus armati erant, dicti *die Gleven-
 burger* vel *Glevener*, WENKER *de Pfsalburg. Vs-
 burg. et Cleuenerburger*, et 53) hodie, recepta
 militia mercenaria, milites non modo ex mu-
 nicibus, sed et ex ipsa plebe rustica, con-
 duci soleant.

*) Quod maxime in interregno et post illud factum vi-
 ditur. ANNAL. COLMAR. *ad ann. MCCLXXXI.*

*Multi ignobiles facti milites in Argentina. Et ad
 ann. MCCLXXXVII. Consules Argentinenses ciues
 suos equos habere bis mille praecepere. Quod ius
 eis magis sibi vindicarunt municipes, quo poten-
 tiores postea fierent vrbes, maxime quum Reges
 a Papis exagitati, infensosque experti episcopos et
 principes, vrbiu opibus niterentur, easque priui-
 legiis quam plurimis ornarent. Et sane nota sunt
 bella ab vrribus Helueticis gesta, quibus et liber-
 tatem sibi quaesiverunt, et plures prouincias sub
 suam redegerunt potestatem. Alia exempla bel-
 lorum ab vrribus gestorum habes apud fratrem
*Antiqu. Gosl. Lib. V. p. 381. 382. 404. 405. sequ. 410
 419. sequ.**



G

TIT.

TIT. VI.

DE ALTERA HOMINVM DIVISIONE, ET SPECIATIM DE POTESTATE PARENTVM IN LIBEROS.

§. CXXXI.

Altera
homi-
num di-
uisio.

Sic fatishactenus dictum est de *prima* diuisione hominum: sequitur iam *altera*, secundum quam homines quidam *SVI IVRIS*, alii *ALTERIVS IVRI SVBIECTI* esse dicuntur. Quamuis enim et haec hominum diuisio ex ipsa ratione proficiscatur, adeoque sit iuris gentium: multo aliter tamen philosophati hic sunt Germani, quam Quirites, qui omnes sui iuris esse docebant, qui nec in patria, nec in dominica potestate, essent.

§. CXXXII.

Quinam
iure
Germa-
nico ali-
eni iu-
ris?

At Germani, quibus omnis potestas in alterius personam vel res *MVNDIVM*, *) id est, protectio vocabatur, non modo *SERVOS* et *LIBEROS* in mundio, seu potestate dominorum et parentum, sed et *VXORES* in mundio maritorum; *MINORES* in mundio tutorum: *LIBERTINOS* in mundio eorum, ad quos sese applicassent, inmo et *ECCLESIAS*, *CIVITATES*que in mundio principum esse dicebant. Hinc saepe legas, *liberos teneri in mundiburdio parentum*: *BVRGARD. Decret. XIX. p. 268. feminas vivere sub potestate et in mundio virorum*: *LEX LANGOBARD. Lib. II. tit. X. pupillos esse in potestate et mundio tutorum*: *LEX LANGOB.*

GOB. *Lib. II. tit. XXXIV. §. IV. libertos factos esse iamundlingos vel mundmannos.* LINDENBR. *Privil. eccl. Hamb. p. 149. p. 155. et 156.* HVND. *Metrop. Salisb. Tom. I. p. 240.* Ecclesiae autem tam saepe in *mandio, mundiburdio, mundiburde Regum* et Principum esse dicuntur, vt ipsa horum diplomata, quibus earum defensionem in se suscipiunt, *mundiburdia* vocentur. CAR. DV FRESNE *Glossar. med. Latin. p. 696. sequ. Tom. II.*

*) MVND Germanis est os. Quum vero ad eorum, qui alios in potestate habent, officium pertineat, eis ore praecipere, eosque verbis, quoties opus est, defendere: vsu inualuit, vt *mund* pro potestate ac tuitione acciperetur. Id vero vel inde patet, quod veteres in *mundio esse* Latine exprimerent in verbo, *sermone vel ore esse.* LEX SALICA *tit. XIV. §. V. Si pupilla, quae trahitur, IN VERBIS regis fuerit.* Et *tit. LIX. §. I. Rex cum extra SERMONEM ponet.* Add. MARCVLF. *Lib. I. Form. XXIV.* GREGOR. TVRON. *Histor. Lib. IX. Cap. XLII.* Qua notione et Graecum *λόγος* apud scriptores Byzantinos occurrere, obseruauit CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. p. 1280. sequ. Tom. III.* Nihil ergo frigidius est etymologia, quam EXGVILLIERMI BRITTONIS *vocabulario MSC. et Auctore Mammatrecti profert* IDEM *Tom. II. p. 695.* *Mundus muliebris dicitur adparatus ad ornatum mulieris: unde et ministros talium mundiburdos vocamus.*

§. CXXXIII.

Hi omnes itaque Germanis erant sub alterius potestate, tutela vel *mundio*, qui non gratis illorum tuitione fungebantur; quum tutores plerumque vel per eiusmodi personas acquirerent, vel spem haberent, eorum in bona

G 2

Potestas,
tutela et
mundium
Germanis
succes-
συνώ-
νυμα.

Quinam succedendi. Vnde recte BEYERVS *Specim. Iur. sui iuris?* *Germ. Lib. III. Cap. X. §. XIV.* obseruat, *potestatem Germanis constanter vocari tutelam, (Vormundschaft,) quae penes patres, maritos et tutores eadem fuerit, et in iure vsusfructus, atque obligatione alterum alendi constituisse videatur.* Qui quaeue ergo in nullius siue parentis, siue domini, siue patroni, siue mariti, siue tutoris, siue aduocati, potestate, tutela vel mundio erat, is eaeue erat sui iuris, vocabaturque AMOND. LEX LANGOB. *Lib. II. tit. II. §. XXXIV.*

§. CXXXIV.

Quae liberorum conditio temporibus Taciti? Ast de dominica potestate iam supra satis superque diximus. (§. XXXVIII. sequ.) Itaque iam de ea, quae parentibus iure Germanico competit in liberos, erit differendum. De parentum liberorumque conditione vix quidquam refert TACITVS *de Morib. Germ. Cap. XX.* nisi quod *hi in omni domo nudi egerint ac sordidi: quod sua quemque mater vberibus aluerit, nec infantes ancillis aut nutricibus fuerint delegati: quod denique inter eadem pecora, in eadem humo degerint, donec aetas separarit ingenuos, virtus agnouerit.* Itaque ignota maioribus fuit delicatior educatio, nec liberos puduisse videtur, ministeria domestica cum matribus et fororibus obire. TAC. *Cap. XXV.* Ceterum haec omnia ad patriam potestatem nihil omnino facere, facile intelligitur.

§. CXXXV.

§. CXXXV.

Contra de Gallis memoriae prodidit IUL. CAESAR. *de Bello Gall. Lib. VI. Cap. XIX. viros apud illos in uxores pariter, ac liberos, vitae necisque habuisse potestatem.* Quod de Germanis etiam dici posse videtur, quamvis non defint, qui in Germania antiqua parentibus nunquam eiusmodi potestatem competiisse, contendunt. *) Vid. THOMAS. *de Vsu pract. ius. Inst. de patr. potest. Cap. II. §. III. sequ.*

Parentibus videtur ius vitae et necis fuisse in liberos.

*) Primo enim eius iuris non meminisse obseruant veteres. Deinde CAESAREM *Lib VI. Cap. XXI.* diligenter descripsisse mores Germanorum, eosque comparasse cum Gallorum institutis: sed nihil illum memoriae prodidisse de iure vitae ac necis, quo parentes in Germania vsi sunt in liberos. Potius numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare flagitium habitum esse, teste TACITO *de Mor. Germ. Cap. XIX.* Denique quum CAESAR Gallis in uxores aequae, ac in liberos, ius vitae ac necis fuisse scribat, Germanos autem in uxores tam rigida potestare vsos esse, non constet: probabile videri, eosdem nec in liberos eo modo animaduertere potuisse. Sed primo communes fuisse Celtis omnibus huiusmodi mores, nouimus. (§. I. *) Deinde, quum CAESAR ea tantum notarit, in quibus Germani essent Gallis dissimiles, et hic tamen nihil diuersum apud Germanosprehenderit: nullum est dubium, quin iis haftenus omnia conuenerint. Praeterea locus TACITI tantum pertinet ad procuracionem abortus et expositionem infantum, quae flagitia ignorasse Germanos, facile largimur. Denique ius vitae et necis maritis fuisse in uxores, miramur quemquam negare, quum illud Germanis tribuerit TACIT. *de Mor. Germ. Cap. XIX.*

§. CXXXVI.

Non ta-
men
medio
aeuo.

At facile largimur, eam potestatem, si antiquis Germanis concessa fuit, paullatim ab usu recessisse iis saeculis, quibus Christianae religionis cultus rudioribus Germanorum moribus rubiginem veluti deterfit, relicta parentibus modica tantum castigandi facultate. SIC LEX WISIGOTHICA *Lib. IV. tit. V. §. I. Flagellandi, inquit, et corripiedi liberos, quam diu sunt in familia constituti, tam auo, quam auiae, seu patri, quam matri, potestas manebit.* Contra eadem lex liberos, qui iniuriam atrocem intulerint parentibus, a iudice virgis caedi, et liberorum caedem capitalem esse iubet. *) *Lib. VI. tit. III. §. VII.*

*) Attamen LEX LANGOB. *Lib. II. tit. IX. §. II.* reliquis ea in re paullo durior, parentibus facit potestatem filiam, quae in serui torum sua sponte concesserat, *vel occidendi, vel foris prouinciam transuendendi, et de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint.* Vbi clariss. POLAC *System. Iurispr. Germ. Lib. I. Cap. XII. §. II.* inde non sequi putat, vt Langobardi parentibus ius vitae et necis concesserint, quia specialis hic casus ponat delictum aliquod atrocius. At tale semper ponit ius vitae et necis, nisi pro eo iure nobis summam iniuriam, et barbaram in viscera veluti faeuendi licentiam concipiamus.

§. CXXXVII.

An ius
venum-
dandi?

Ius venumdandi liberos Germanis parentibus fuisse, plerique negant. THOMAS: *ibid. §. VI.* Et sane id verum esse de WISIGOTHIS, patet ex hoc loco *Lib. V. tit. IV. §. XII: Parentibus filios suos vendere non liceat, aut donare,*

nare, vel oppignorare: nec ex illis aliquid iuri suo defendat ille, qui acceperit, sed magis pretium vel sepositionis commodum, quod dederat, perdat, qui a parentibus filium comparavit. At hoc quoque non commune omnibus Germanis institutum fuit Ostrogothi enim *liberos, cogente necessitate, alimentorum gratia vendi* patiebantur, *salua ingenuitate.* EDICT. THEODORICI *Cap. XCIV.* Et apud gentes plerasque Germanicas non modo parentes, sed et fratres aliosque agnatos, filias, sorores, agnatas, aliis in matrimonium vendidisse, suo loco ostendemus. Quin adhuc in IVRE PROV. ALAM. *Cap. CCCCVII.* legimus: *Wo ein Mann sein Kind verkaufft durch ehebaffte Noth, das thut er wol mit recht. Er soll es aber nicht verkauffen, daß man es thät in das Hurbauß: er mag es einem Herrn wol zu eigen geben.* Similia legas in GLOSSA IVR. SAX. *Lib. I. art. XIII. n. 2. et 3.* nisi quod huius auctor, se ea ex iure Quiritium didicisse, fatetur.

§. CXXXVIII.

Reliqua iuris parentum in liberos effecta in eo constitisse medio aevo, animaduertimus, quod I) parentibus fas esset liberorum bona tutelae nomine administrare, IVS WISIG. *Lib. IV. tit. II. §. XII.* II) actiones liberorum dirigere, posterisque praescribere, quid fieri vellent. CAPITVL. *Lib. VI. Cap. CXLVIII.* III) Quod sine eorum consensu liberi nec nuptias contrahere, nec quidquam

quam magni momenti suscipere possent. LEX LANGOB. *Lib. II. tit. II. §. II.* Denique IV) quod communis esset utrique parenti ea potestas, et matri non minus, quam patri, competeret, *) adeoque V) vere non in dominio, quemadmodum apud Romanos, consisteret, (vid. CORN. VAN BYNKERSH. *de Iure occid. liberos Cap. I. p. 145.*) sed in mundio, vel tutela, vel potestate tuendi personas, administrandique bona liberorum, qui ipsi se nondum sponte defendere possent, ab ipso naturali iure parentibus permessa. HVB. GIPHAN. *Comment. ad tit. de patr. pot. p. 41.*

*) Hinc plane Germanica sunt, quae diserte sancit LEX WISIGOTHORVM, *Lib. IV. tit. II. §. XIII. ut, patre mortuo, filii in MATRIS POTESTATE consistant; et quod si marito superstite, vxor forsitan moriatur, filii, qui sunt de eodem matrimonio procreati, in patris potestate consistant.* Gemina est sanctio LEGIS BVRGVNDICAE *tit. LIX. Si mater nubere, electa castitate, distulerit, filii CVM OMNI FACVLTATE in eius solatio et POTESTATE consistant.* Conf. LEX BAIVAR. *Tit. XIV. Tit. VI. et VII. §. I. II. III.* Itaque, constante matrimonio, par erat utriusque coniugis in liberos potestas: et postea alterius praemortui ius superstiti ad crescebat. Hinc est, quod ex eiusdem legis principiis utroque parente, id est, patre ex matre, intra XXV. annos orbati, *pupilli* haberentur. Quod quam praeclare conueniat Germanorum institutis, argumento esse potest loquutio Germanica *πολυθευλλητος. Vater- und Mutterlose wayßen.*

§. CXXXIX.

Parentum administrationis fructuaria.

Quum ergo ex principiis iuris Germanici fas sit parentibus, bona liberorum tutelae nomi-

nomine administrare: (§. CXXXVIII, 1.) consequi videbatur, 1) vt, quidquid liberis bonorum alicunde obtigisset, ex eo vterque parens fructus, constante matrimonio, communiter perciperet, (tutelam enim legitimam fere fructuariam fuisse, suo loco demonstrabimus,) at, 2) mortuo patre, vsusfructus vel totus, vel pro parte, matri viduae relinqueretur. *)

LEX WISIG. *Lib. IV. Tit. II. §. XIV.* LEX BVRG. *Tit. LIX.* LEX RAVVAR. *Tit. VI. et VII.* Ex quo non difficile est intellectu, 3) vsufructum bonorum aduentitiorum patribus in Germania non primum ex iure Romano accessisse; sed ex antiquo iure Germanico superesse: 4) eiusdemque originis esse vsufructum maternum, *) qui etiamnum obtinet apud Gallos, MOLIN. *Consuet. Paris. Art. CCXL.* ANGLEBERM. *Consu. Aurelian. artic. CCXVI.* SAINSON. *Consuet. Turonensium §. CCCLVIII.* LAMB. GORIS. *Prodrom. Adu. Iur. Cap. XXI. n. 5. p. 165.* Belgas, BECK. *de Testam. coniug. Lib. V. Cap. VI. n. 2. p. 645.* LAMB. GORIS *ibid. n. 3. §. 12.* SUECOS, LOCCEN. *Iur. prou. Suec. Tit. II. cap. XV.* Francos hodiernos, IVST. VERAC. *Consuet. Bamb. Part. II. quaest. I. et II.* Thuringos, RICHT. *Decis. XVIII. n. XI.* Colonienfes, Mindenses, reliquosque Westphalos, Hamburgenses, aliosque, de quibus ex instituto egimus *in dissert. de vsufruct. matern. iur. German. in primis Hamb. §. XIV. sequ.*

*) Fuere tamen gentes Germanicae, quae tantum abest, ut liberos in potestate matris viduae esse, aut usufructum ex eorum bonis percipere paterentur, ut potius ipsam matrem filiorum, aliorumque vel agnatorum, vel cognatorum, tutelae subiicerent. Diuersi enim ea in re erant mores Francorum et Saxonum Vid. LEX SAL. Tit. XLVI. §. I. sequ. LEX SAX. Tit. VII. §. II. III. sequ. Et tamen postea Saxonibus quoque hic usufructus maternus placuit. Vide *Diff. nostr.* paullo ante citatam §. XXI. sequ. Quamuis et ibi, uti in plerisque Germaniae ciuitatibus, hunc morem ita aboleuerit ius Romanum, ut passim nec vola eiusdem, nec vestigium superfit.

§. CXL.

Libero-
rum a-
ctiones
quare-
nus diri-
gant?

Quumque ipsa naturalis ratio parentibus permittat ius, actiones liberorum dirigendi, iisque et in futurum consulendi: (§. CXXXVIII, 2.) ne Germanis quidem parentibus deneganda erit haec facultas. Atque inde est, quod 5) pater materque in communibus liberis educandis socias sibi operas praestent, 6) immorigeros aequali iure coerceant, et in ordinem cogant, 7) iis de futuro vitae genere prospiciant, et 8) liberi matris non minus, quam patris, facta praestare cogantur, nisi hereditate abstinere malint.

§. CXLI.

Sine eo-
rum
consen-
su nihil
agunt li-
beri.

Quandoquidem etiam sine parentum consensu nihil alicuius momenti suscipere possunt liberi: (§. CXXXVIII, 3.) facile patet, 9) cur iure Germanico nullae sint nuptiae sine consilio et consensu parentum factae, quamuis, matrimonii honori parcendum esse,

esse, quidam malint, ac proinde diuellendas non putent huiusmodi nuptias. *) SPEC. SVEV. *Cap. CCCLXXXI.* SIM. VAN LEVWEN *Cens. for. Part. I. Lib. I. Cap. XIII. n. 9.* 10) Cur, dissensu inter parentes orto, ceteris quidem paribus patris; CARPZ. *Iurispr. Confist. Lib. I. tit. III. def. XLIV.* alioquin eius, qui iustiores sui consilii rationes habet, voluntas sit praefenda: idemque 11) statuendum videatur, si circa educationem liberorum, eligendumque iis vitae genus, in diuersa abeant parentes.

*) Veteres Germanos diremisse nuptias, inuitis parentibus contractas, satis patet ex LEG. ALAMANN. *Tit. LIV. §. I.* Quum enim mulier perueniret in mundum mariti, (§. CXXXII.) et de tutela parentum, in qua erat mulier, sine eorum consensu nihil omnino deminui posset: consequens erat, ut, deficiente eo consensu, hae nuptiae nullae essent, nec vir in feminam quidquam potestatis consequeretur. Eadem principia hodie seruare ius Hennebergicum, obseruat SCHILTER. *Exerc. III. §. XII.* Sed et in Marchia idem obtinere, discimus ex EDICTO BRAND. *de Matrimon. anni MDCXCIV. §. XIV. sequ.* At, quod non vbique hic rigor obseruatur, id inter reliquias principii Romanensium de sacramento matrimonii videtur referendum.

§. CXLII.

Quum porro communis sit in Germania Mater
 vtrique parenti illa potestas: (§. CXXXVIII,) etiam
 4) non mirum est, 12) ea fere eodem iure tutorem
 agere matrem, quae patri, inualescente iustamen-
 ris Romani vsu, accesserunt, veluti 13) ut to-
 ipsa quoque liberis tutorem testamento con-
 stituat.

stituat. Nec obicij potest, tutorem tamen, a matre testamento datum, esse confirmandum, quum comuune id sit iure Germanico tutoribus omnibus, etiam a patre rite datis.

§. CXLIII.

Parentum in Germ. potestas ex iure naturae est.

Denique quum parentum in Germania potestas non alia sit, quam quae ex iure naturae et gentium proficiscitur: (§. CXXXVIII, 5.) facile intelliges, 14) eam non esse perpetuam, sed cessare illico, si vel filius sua quadra vivere coeperit, vel filia per nuptias in aliam familiam transferit. 15) Eam potestatem etiam ad nepotes non porrigi, sed hos, viuo et superstite auo, esse in potestate parentum suorum. 16) Cessare ergo iuris Romani axioma, quod patrem et filium pro vna persona haberi iubet, ac proinde 17) non raro in Germania et pacta inter parentes et liberos iniri, et 18) actiones, nulla licet intercedente emancipatione, nasci. BEYER. *Specim. Iur. Germ. ibid. §. XLI. sequ. p. 116.* Quamuis 19) hic multa nouarint iureconfulti, soli iurisprudenciae Romanae, tamquam glebae, adscripti. THOMAS. *Diss. de quasiemancip. Germ. nec non de usu practico doctrin. Inst. quib. mod. patr. pot. solu. Cap. II.*

§. CXLIV.

Nihilque commune habet cum pa-

Ex quo simul intelligitur, 20) quam inanis sit quaestio, an ius patriae potestatis Romanorum in Germania abolitum sit? quamque male 21) is, qui constitutiones Augusti

Ele-

Electoris Saxoniae fecit, rationes inierit, dum scripsit: *Weil in den Sächsischen Rechten nirgends zu befinden, daß die väterliche Gewalt insonderheit aufgehoben, so bleibe auch dieselbe nochmals nicht unbillig bestehen.* Part. II. *Constit. X.* quum potius 22) expendere ille debuisset, id, quod numquam in vsum venit, abrogatione non indigere, et 23) hodie quoque verissimum esse, quod scripsit IVSTINIANVS §. 2. *Inst. de patr. potest. Ius potestatis in liberos PROPRIVM esse civium Romanorum, nec esse ALIOS HOMINES, qui talem in liberos potestatem habeant, qualem Romani habuerint.* tria potestate Romanorum.



TIT. VII.

QVIBVS MODIS IVS ILLVD POTESTATIS ADQVIRATVR.

§. CXLV.

Modi
adqui-
rendi
potesta-
temGer-
mauis
non ii-
dem,qui
Roma-
nis.

T Alis fuit, et etiamnum apud nos est parentum potestas: iam, quomodo illa adquiratur, facile intelligitur. Quum enim illa apud Germanos in mundio vel tutela constiterit, (§. CXXXVIII, 5.) ac proinde, vt recte obseruat BEYERVS *Spec. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XXVI. §. VII. sequ.* magis ad prolis, quam patris, vtilitatem fuerit comparata: vix suspicandum est, parentes in Germania admodum fuisse sollicitos, vt liberos ADOPTIONE VEL LEGITIMATIONE sibi quaererent, sed modum acquirendi hanc potestatem vnicum fere, et maxime naturalem, illis fuisse IVSTAS NVPTIAS.

§. CXLVI.

Liberi
legitimi
ex iustis
nuptiis
nati.

Itaque et in Germania liberi legitimi videbantur, quotquot ex iustis nuptiis erant procreati. Et quidem si verum est, quod refert TACITVS *de Morib. Germ. Cap. XVIII. et XIX.* quod *seuera ibi matrimonia: quod mulieres septa pudicitia egerint, nullis conuiuiorum irritationibus corruptae: itemque, quod paucissima in tam numerosa gente adulteria, eorumque poena praesens et maritis permissa fuerit: fieri non potest, quin paucissimi etiam fuerint liberi ex adulterio procreati.* At quia vitia

vitia erunt, dum erunt homines: non difficile probatu fuerit, etiam in Germania liberos *naturales*, *spurius*, denique ex *adulterio* atque *incestu* natos, repertos fuisse, quamuis pauciores. *)

*) Miris laudibus veteres celebrant Germanorum pudicitiam. *Solos barbarorum singulis vxoribus contentos viuere*, scribit TACIT. *Cap. XVIII.* Idemque refert, *esse ciuitates, in quibus tantum virgines nubant, et cum spe votoque vxoris semel transigatur.* Adstipulatur TACITŌ CAESAR, qui *Lib. VI. de Bello Gall. Cap. XV.* *intra vicesimum annum feminae notitiam habuisse, in turpissimis rebus ab iis haberi,* tradit, quin, si eidem fidem habemus, nudi homines virginibus parum a statuis differre visi sunt, quia nulla pubertatis occultatio fuit, utroque sexu *promiscue lauante in fluminibus, magna parte corporis nuda.* Aliquot saeculis post IULIANVS in *Misopog. p. 107.* Gallos et Germanos Venerem, nuptiarum Deam, γάμος τε ἕνεκα καὶ παιδοποιίας μόνον, coniugii prolisque tantum gratia nosse, scribit. Vandali, teste SALVIANO *de gubernat. Dei Lib. VII. p. 256.* ed. BALVZ. gladio coercebant impudicitiam. Varnis femina, de cuius nuptiis tantummodo actum, etiamsi corpore esset integra, pro corrupta habebatur, nec vnquam ab iis sponsae, nisi ob stuprum, repudium dabatur. PROCOP. *de Bello Gotb. Lib. IV.* Saxones quoque *crudelitate efferos, sed castitate mirandos,* vocat SALVIAN. *ibid. p. 223.* et similes laudes addit de Gothis, quos *mundare castitate,* ait, *quae Romani fornicatione polluerint.* Enimuero fuere et tum, qui ob nobilitatem plurimis nuptiis ambirentur: TACIT. *Cap. XVIII.* exemplumque Ariouisti memorat CAESAR *de Bello Gall. Lib. I. Cap. XXXVIII.* qui duas vxores secum in Galliam duxerat, Sueuam alteram, alteram Noricam. Et quidquid de insigni maiorum castitate iactant veteres, id omne comparate intelligendum. Sanctiora vtique Celtis omnibus

mnibus erant matrimonia, quam Romanis, sed ideo non ignota genti erant supra, adulteria, aliaeque foedae libidines, quae eò magis gliscabant, quo frequentior illis ab Augusti temporibus cum Romanis consuetudo intercedebat.

§. CXLVII.

Medio aeuo inter Regum filios legitimos et illegitimos nulla differentia fuit.

At quae temporibus illis liberorum illegitimorum fuerit conditio, hodie non constat, nisi quod IULIANVS *Epist. ad Maximum p. m. 181.* Gallos liberos recens natos Rheno immerfisse refert, vt explorarent, natarentne, an mergerentur, hinc impurae originis; illinc honestorum natalium argumentum petituri. Adde LIPS. *ad TACITI de Mor. Germ. p. 556.* Medio aeuo, quod ad Regum liberos illegitimos, et ex impare natos matrimonio, attinet, inter hos et legitimos, saltim apud Francorum primae stirpis Reges, *) parum discriminis fuit. Illos enim non minus regnum patrium creuisse, quam hos, probari potest exemplis Theodorici, G. EST. FRANC. EPITOM. *Cap. XIV.* Theodebaldi, GREG. TVRON. *Hist. III, 27.* Sigeberti et Chilperici, GREG. TVRON. *ibid. IV, 3.* Similia exempla sufficiunt annales Visigothorum, ISIDOR. HISP. *Chron. Goth. ad eram DXLV.* Danorum, ADAM. BREM. *Hist. Eccl. Lib. II. Cap. LIV.* et Normannorum. STVRLES. *Hist. Noruag. p. 67. sequ.*

*) Generatim enim GREG. TVR. *Hist. Lib. V. Cap. XXI.* obseruat, praetermissis feminarum generibus, regis vocatos esse liberos, qui de regibus fuerint procreati. At sub altera stirpe iam dubitatum est, an regum nothi ad successionem essent vocandi? Caroli M. filii

filiis naturales, Hugo et Drogo, vitam monasticam sectabantur. Carolomanni notho, Arnulfo, sola Carinthia ex regno paterno cessit. REGINO *ad ann. DCCCLXXX*. Carolus, Crassus, Bernardo, ex concubina filio, successionem destinauerat, sed irrito consilio, ceu patet ex ANNAL LAMBEC. *ad ann. DCCCLXXXV*. Magis ex voto res cesserat Arnulfo, Imperatori, qui post multa cum Lotharingis certamina Zuenteboldo, notho, Lotharingiae regnum vitius contulit in comitiis Wormatiensibus, REGINO et ANNAL. MET. *ad ann. DCCCXCIV. et DCCCXCV*. quamuis aegre principem hunc ob natalium maculam ferrent Lotharingici proceres, nec prius quiescerent, quam eum vita ac imperio priuassent. REGINO *ad ann. DCCCC*.

§. CXLVIII.

Idemne institutum etiam inter priuatos fuerit, non facile dixerim. LEGE sane ALAMANNICA non nisi ii liberi patris in potestate erant, in quorum matrem hic potestatem vel *mundium* acceperat. *Mundium* autem in aliam, quam vxorem, nec ab aliis, quam eius parentibus vel priore marito, cui fortassis subducta erat mulier, impetrare nemo poterat. LEX ALAM. *tit. LI. §. II. et Tit. LIV. §. III*. Apud LANGOBARDOS quoque ex incestis nati nuptiis non erant patri heredes: *Lib. II. Tit. VIII. §. III*. nec legitimi habebantur, qui ex aldia vel ancilla aliena, licet vxore, non impetrata manumissione, *) fuerant editi. LEX LANGOB. *Lib. II. tit. I. §. IX*. Similia de incestuosis ad hereditatem non admittendis sunt in CAPITVL. REG. FR. *Lib. VI. cap. CCCVII. et Addit. Ludou. III. cap. LXIX*. quin et multo ante in LEGE SAL. *tit. XIV. §. XII*. quae et infamia huiusmodi liberos notat.

Spurii ac illegitimi priuatorum nec in potestate, nec heredes erant sub Francis.

*) Vocatur mahumiffa LEGE LANGOBARDICA *ibid. et §. VIII.* WIDERBORAN, id est, *wiedergeboren*, eamque loquutionem procul dubio Langobardi a Romanis didicerant, qui natalibus restitutos, quales ex IVSTINIANI lege erat omnes libertini, *regentos*, ipsamque illam natalium restitutionem *παλιγγενεσία* seu *regenerationem* vocabant. NOVELL. LXXVIII. Cap. I.

§. CXLIX.

Quin in-
sequen-
tibus
tempo-
ribus in-
fames
habe-
bantur
et ser-
uilibus
condi-
tionis.

Multo magis odio esse coeperunt liberi, extra matrimonium nati, insequentibus temporibus, quum canones pontificumque constitutiones omnem coniunctionem extra matrimonium prohiberent, ipsumque concubinatum, quamvis usu fatis frequentem, pro illicita coniunctione haberent. Ex eo enim inualuit, ut liberi illustrium, ex concubinato vel ex matrimonio ad morganaticam nati, hereditatis exsortes essent, ceu vel turbae inter Albertum Thuringiae Landgravium, eiusque filios legitimos ortae ostendunt: HIST. LANDG. THVR. Cap. LXXIII. spurii vero priuatorum, quin omnes illegitimi, plane infames, *) (IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXXVII. IVS PROV. SVEV. art. CCCCX.) immo et seruilis conditionis, ac intestabiles haberentur, nisi illis ea conditio principum indulgentia remitteretur. MIR. Dipl. Belg. Lib. I. Cap. LXXXV. Privileg. Palat. apud THVLEMAR. de Ocfouir. Cap. XVIII. §. XXVII. p. 257. sequ. ZYP. Notit. iur. Belg. p. 186. sequ.

*) Hinc

*) Hinc exclusi sunt ab honoribus nothi, non modo plebeiorum quorumuis, sed et clericorum, qui in focariarum amplexus ruisent. Sane in *Ottonis I. Regis Addit. ad Leg. Langob. Tit. VII. apud ECCARD. ad Leg. Sal. p. 200.* legimus: *Diaconorum, episcoporum, presbyterorum filios notarios, sculdafios, comites, iudices fieri, omnibus modis prohibemus.* Et *Fridericus I. Imp. teste ABB. VRSPERG. ad ann. MCLXXXVII; filios presbyterorum, diaconorum, rusticorumque, cingulum militare aliquatenus adsumere vetuit, eosque qui iam adsumserint, per iudicem prouinciae a militia pelli iussit.* At principum liberis naturalibus tantum abest, vt macula aliqua herere visa sit, vt ipsi titulum *bastardi* adscripserint nominibus suis, e. g. *Ego Guillelmus cognomento Bastardus.* *CAR. DV FRESNE Gloss. Tom. I. p. 502.* Et in Belgarum annalibus satis notus est *Antonius, filius naturalis Philippi, Burgundiae Ducis, quem tum vulgo vocabant de groote Bastard van Burgund.*

§. CL.

Quum itaque haec esset illegitimorum conditio: mos paullatim inualuit, vt liberi huiusmodi per LEGITIMATIONEM in parentum potestatem redigerentur. Ad quam tamen consequendam non suffecisse subsequens matrimonium, vel inde colligo, quod, quum *Albertus, Degener, Thur. Landgravius, Cunegundim, concubinam, postea vxorem duceret, Apicius tamen nothus iura filii legitimi non consequeretur.* *HIST. LANDGR. THVR. ibid. ad ann. MCCLXXXVII.* Solebant tamen filius vel filia, ante initum matrimonium nati, dum parente ritu ecclesiastico iungebantur, sub palla matris latitare, eoque modo iura legitimorum consequi,

Legitimatione per palium.

dicti inde *Mantel-Kinder*. CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. Tom. III. p. 102.* DIETHERR. *Contin. Thesaur. Besold. p. 384.* Legitimationis, papae rescripto saeculo XIII. factae, exemplum est in CHRONICO MONT. SER. *ad ann. MCCI. p. 71.* auctoritate Imperatoris apud AVCTOREM *Hist. de Landgr. Thur. p. 443. edit. Ecardi.*

§. CLI.

Adoptionis in Germania antiqua nullum vestigium.

ADOPTIO an Germanis nota fuerit TACITI temporibus, ego scire me fateor cum ignarissimis. Scribit quidem auctor iste celeberrimus, *Cap. XX. sororum filiis eundem apud avunculum, qui apud patrem, honorem fuisse, et quosdam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis esse arbitratos: sed haec non magis ad adoptionem pertinere videntur, quam ad tutelam, ad quam locum istum retulit HERT. Notit. vet. Germ. pop. Part. I. Cap. III. §. IV.*

§. CLII.

Varii adoptionis ritus sed nullius fere effectus.

Medio aevo varii memorantur adoptionis ritus, veluti PER ARMA, id est equos, enses, clypeos, et reliqua instrumenta bellica, quorum traditione vel transmissione Theodericus, Ostrogothorum Rex, Regem Herulorum; Iustinianus Imp. Athalaricum, Ostrogothorum regem; Iustinus Imp. Cabadem Persam, alii alios, adoptasse dicuntur: CASSIODOR. *Var. Lib. IV. Cap. II. et Lib. VIII. Cap. I.* PRO COP. *de Bello Persic. Lib. I. Cap. XI.* IORNAND. *de reb. Getic. Cap. LVII.*

LVII. itemque PER GOMAM vel CAPILLVM refe-
ctum, de quo PAVLL. WARNEFR. *de Gest. Lan-*
gob. Lib. VI. Cap. LIII. OTTO FRISING. *Chron.*
Lib. I. Cap. XVI. PITH. *Aduers. Lib. I. Cap. I.*
CAR., DV FRESNE *ad Ioimuill. Diff. XXII.* EV. OT-
TO *Iurisp. Symb. Exerc. III. Cap. IX.* nec non
PER TACTAM vel RESECTAM BARBAM, quo ritu
ab Alarico, Gothorum rege, adoptatus est
Chlodouaeus, rex Francorum, AIMON. *de Gest.*
Franc. Lib. I. Cap. XX. a Gregorio, Romano-
rum patricio, Taso. IDEM *Lib. IV. Cap. XXXII.*
PAVLL. WARNEFR. *Lib. IV. de gest. Lang. Cap.*
XL. Sed omnes hae adoptiones non ad ad-
quirendam patriam potestatem, sed vel ad
honorem, vel ad religionem fuere compa-
ratae, *) vti adoptiones per baptismum, per
catechismum, per confirmationem, micram,
mantum, poenitentiam, de quibus EV. OTTO
Iurisp. Symb. Exerc. III. Cap. VII. et VIII.

*) Sic Luitprandum Pipino adtondisse capillos, scribit
OTTO FRIS. *Chron. Lib. I. Cap. XVI, ut pater illi*
spiritualis existeret. Alaricus, tacta Clodouaei bar-
ba, factus dicitur eius patrinus. COLLECT. HIST. *Lib.*
III. Cap. X. apud CANIS. *Ant. Lect. Tom. II.* Per
arma adoptatus filii quidem vel nepotis nomen su-
mebat, sed sine effectu civili, quum nec in pa-
triam potestatem perueniret, nec hereditatis esset
particeps. PITH. *Aduers. I, 1.* Nec alia fuisse vi-
detur adoptio, qua Carolus Crassus Imp. Ludon-
nicum, Bosonis filium, in filii locum suscepisse
dicitur. Vid. HERM. CONTRACT. *Chron. ad ann.*
DCCCLXXXVII. edit. CANIS.

§. CLIII.

At aliquando tamen iisdem similibusque Raro ad-
ritibus utebantur, si non solum filii vocabu- optiui
H 3 lum, iura fi-
liorum

vere
confe-
quuti.

lum, sed et ipsam hereditatem, aliaque liberorum iura in adoptatum transire vellent. Sic Guntchramnus, Rex Francorum, quum liberos mares non suscepisset, Childeberto, ad se vocato, porrexit hastam, addiditque: *Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradidi.* GREG. TVRON. *Lib. VII. Cap. XXXIII.* Aliquando et TESTAMENTO eum in finem fiebat adoptio, vt adoptivus in gentem, nomen, et bona testatoris transiret. Quod immediatos imperii equites saepe olim factitasse, obseruat LERCH. *de Ord. equestri Part. I. n. 12.*

§. CLIV.

De mo-
dis ad-
quirendi
potesta-
tem axi-
omata.

Ex quibus patet, I) Germanis etiam liberos legitimos esse, qui ex iustis nuptiis prodierunt. II) Spurios, et alios illegitimos nec potestati patris subesse, nec eius hereditatem cernere, et III) plerumque satis abiectae conditionis esse, nisi a patribus illustribus agnoscantur alanturque. IV) Legitimationem, proprie sic dictam, tum quae *per subsequens matrimonium*, tum, quae *per rescriptum principis* fit, e iure Romano adoptasse Germanos, et eam tamen saepe in Germania cum Romana nihil omnino commune habere. V) Adoptiones quoque hodie fieri rarius, easque magis Romanae, quam Germanicae, originis esse.

*) Sunt tamen, qui non quidem adrogationes, sed adoptiones illas, quae ad acta fiunt, originis Germanicae esse, contendunt. REINHARD. *Differ. iur. civil. et Saxon. Part. I. Diff. LI.* Eas enim praesidium

fidium reperire putant in IVRE PROV. SAX. *Lib. II. art. XXX.* Wer iemand erbe zusaget, nicht von sipe halber, sondern von der gabe des gelübdes wegen, das soll man halten vor vnrecht, vnd nicht glauben, man mag denn bezeugen, daß das gelübde vor Gerichte bestättiget sey. Geminum huic locum habes in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit. XVI: Qui filium legitimum non habuerit, et alium quemlibet sibi heredem facere voluerit, coram comite, vel coram rege et scabinis, vel missio dominico, traditionem faciat.* Quem itidem de adoptione accipit clariss. POLAC. *Syst. iuris. Germ. Lib. I. Cap. XI. §. IV. p. 43.* Sed sane neuter locus agit de filiofamilias, aut vel verbo meminit adoptionis, adeoque vterque potius ad pacta successoria, vel donationem omnium bonorum in euentum mortis, quam ad adoptionem, pertinet.

§. CLV.

Quum itaque et Germanis liberi legitimi sint, qui ex iustis nuptiis prodierunt: (§. CLIV, 1.) sequitur, 1) vt et iure Germanico pater sit, quem iustae nuptiae demonstrant. 2) Vt nati ex connubio ad morganaticam *) legitimi quidem, et in parentum potestate sint, nec tamen ab intestato succedant vna cum legitimis, sed ex pacto cum matre, et aliquando etiam cum liberis prioris matrimonii, vel agnatis, inito: MYLER AB EHRENBACH *in Gamol. pers. illustr. Cap. VI.* 3) Vt liberi huiusmodi nec legitimam petere possint, nec 4) eiusdem cum patre dignitatis et ordinis sint. 5) Vt, si pater cum sola matre huiusmodi pacta inierit, ea in fauorem liberorum mutari possint, non autem, si pactus sit cum liberis legitimis vel agnatis, qui-

Condi-
tio libe-
rorum
ex iustis
nuptiis,
et matri-
monio
ad mor-
ganati-
cam na-
torum.

bus ius ex eo pacto quaesitum auferri non potest. Vid. HENR. COCCEII *Diss. de lege morgantica*. BEYER. *Specim. Iur. Germ. Lib. I. Cap. XXIV. §. XVI. sequ.*

*) Quamuis hoc pactum ita comparatum sit, vt nihil ob stare videatur, quo minus et priuati illud inire possint, adeo, vt ne consensu quidem principis ad id opus esse videatur HORNIO *Iurispr. Feud. Cap. VI. §. II.* non facile tamen se hodie offeret exemplum eius matrimonii, nisi inter personas illustres, quarum interest, gentis ac familiae splendorem huiusmodi pactis conseruari. Quin exstant Principum constitutiones, quae ne equestris quidem ordinis viros vxores ad legem morganticam ducere patiuntur, de quibus infra suo loco plura monebimus.

§. CLVI.

Illegit-
morum.

Deinde ex altero axiomate (§. LXIV, 2.) con-sequitur, 6) vt nihil admodum moribus Germaniae intersit inter naturales, spurios, adulterinos, incestuosos, quum isti non magis, quam reliqui, iuribus liberorum fruuntur. Vt contra 7) non accenseri oporteat spurii aut naturalibus eos, qui contracto quidem iusto matrimonio, at maturius, quam id natura exigit, nati sunt, modo eos patres pro suis agnoscant. 8) Vt illegitimi, iure etiam Germanico, nec patri, nec agnatis ab intestato succedant, multoque minus 9) feudi capaces habeantur. *II. Feud. XVI. §. naturales.* IVS FEVD. ALAM. *Cap. I. §. IV.* IVS FEVD. SAX. *Cap. II.*

§. CLVII.

§. CLVII.

Nec minus ex tertio axiomate facile intelligitur, 10) cur spurii nec ad opificia addiscenda, nec 11) facile ad dignitates admitti soleant. Quod adeo verum est, vt rustico, extra matrimonium nato, a praefecto vero sculteti honore ornato, status controuersiam a reliquis rusticis moueri, meminerim. Vid. *RESPONSVM lurid. in Diss. nostra. de leuis not. mac. §. XXXV.* Praeterea inde discimus, 12) cur olim et in conferendis honoribus academicis ratio habita sit natalium, adeo, vt iureiurando adfirmare cogentur candidati, se ex iusto matrimonio natos esse: *ITTER. de grad. acad. Cap. VII. §. XVIII. sequ. p. 233. sequ.* et 13) cur hodiernum spurii in Palatinatu cum reliquis *wildfangis*, ceu vocant, a fisco in seruitutem vindicentur, eorumque intestatorum hereditas, 14) liberis non relictis, fisco cedat. *IVS PROV. PALATIN. tit. VIII.*

An ad opificia et honores admittantur?

§. CLVIII.

Ex quarto axiomate (§. CLIV, 4.) reddimus rationem, 14) cur in Germania non modo liberi naturales, sed et spurii, et adulterini, quin et matres eorum, legitimentur. *THOMAS de vsu pract. doct. Inst. de legitimat. Cap. II. §. II.* 15) Cur ea legitimatio raro causa patriae potestatis, at plerumque ad eluendam natalium maculam comparata sit, ac proinde vocetur *das Ehrlich-machen*. *STRYK. Vj. pandect. tit. de his qui sunt sui vel. al. iur. §.*

Legitimatio hodie a Romana diuersa, cum quae fit per subsequens matrimonium.

XV. 16) Cur et per subsequens matrimonium aequae, ac per rescriptum, hodie spurii legitimentur. STRYK. *ibid.* §. XX. THOMAS *ibid.* §. III. 17) Cur per illud contra *Nouell. LXXXIX, II.* et inuiti legitimentur. *) THOMAS *ibid.* p. 54.

*) Scilicet hodie ea in re magis sequimur ius canonicum, quam Romanum. Canones vero legitimationem inseparabilem esse a legitimo matrimonio, statuunt, ac proinde canonistae existimant, et spurios, et adulterinos, incestuosos, si dispensatio accesserit, per subsequens matrimonium legitimari. GONZAL. TELLEZ *ad cap. I. X. qui fil. sint legit. n. ult.*

§. CLIX.

Tum
quae
per re-
scrip-
tum
princi-
pis.

Praeterea, 18) quum legitimatio maxime eluendae natalium maculae causa fieri soleat: (§. CLIIX, 15.) rescriptum plerumque non a principibus et ordinibus imperii, sed ab Imperatore, vel constitutis ab eo comitibus palatii Lateranensis, peti solet: quamuis 19) principes, iurium suorum multo, hodie, quam olim, seruantiores, illam comitum palatinorum potestatem in prouinciis suis variis rescriptis ac constitutionibus coercuisse, sciamus. THOMAS. *ibid.* §. IV. Sed 20) huius quoque legitimationis effectus raro est patria potestas, vel ius patri ab intestato succedendi.

§. CLX.

Adop-
tionis
vsus ho-
diernus.

Denique ex axioma postremo (§. CLIV, 5.) colligimus, 21) adoptiones pariter ac adrogationes hodie non quidem extra usum esse,

esse, earumque exempla passim exstare in Germania et Belgio, qualia sunt collecta a KVLPIſ. *Diff. de adopt. et emancipat. Princip. §. VII. sequ.* STRYK. *Vf. Pand. tit. de adopt. et capite minut.* HVBER. *Prael. ad tit. Inst. de adopt. §. XIV:* sed tamen 22) iis non transferri patriam potestatem Romanam, sed Germanicam, ac eatenus eas recte vocari posse improprias. THOMAS. *Vf. pract. doct. de adopt. Cap. II. §. II.* Potius 23) praecipuum earum effectum esse ius succedendi ab intestato. *) Non semper autem 24) adoptiuos nomen adoptantis adsciscere, et 25) numquam aliquem adoptione vel arrogatione iura nobilitatis succedendique in feudis consequi, nisi princeps, qui adrogationem rescripto suo firmat, simul sit feudi dominus, et eum in finem aliquem adrogari patiatur, et nullus denique agnatus vel simul inuestitus sit, cui hac adrogatione ius quaesitum auferatur. D. KNORR *Diff. de nobilit. adopt.*

*) Ex quo patet, falsum esse, quod quidam ICti scribunt, adoptiuos hodie non fieri filiosfamilias, sed alumnos. GVDELIN. *Iur. nouiss. Lib. I. Cap. XIII.* VINN. *ad pr. Inst. de adopt.* GROENEWEG. *de Leg. abrog. ad pr. Inst. et tit. C. de adopt.* GREGOR. THOLOS. *Syntagm. Lib. I. Cap. VI.* Alumnis enim hereditas ab intestato non debetur, quum tamen debeat adoptiuis.

§. CLXI.

Postremo 26) nemo non animaduertet, nihil commune cum adoptione habere vnionem prolium, neque 27) eam in adoptione
 An eius in loco cum furrogata vnio prolium?

nis locum apud Germanos surrogatam esse, ceu vulgo existimant, GIPHAN. *ad L. 2. C. de adopt.*. HAHN. *ad Wesemb. Paratitl. eod. tit. n. VI.* BESOLD. *Thesaur. pract. voce Einkindschaft*: sed 28) nihil aliud esse, quam pactum, inter coniuges initum in fauorem liberorum prioris matrimonii, vt hi vna cum liberis communibus vniuersam hereditatem vtriusque coniugis aequa lance diuidant. Quod pactum, miris captionibus obnoxium, 29) non nisi adhibitis liberorum tutoribus vel curatoribus, 30) ad acta, et 31) praecua causae cognitione, expensisque vtriusque patrimonii viribus, denique 32) interpolito decreto, iniri potest, RICK. *de vnion. prol. Cap. III. n. 64.* MVSC. *de success. conuent. et anomal. membr. III.* STRYK *de success. ab int. Diss. VIII. Cap. VI.* BEYER. *Spec. iur. Germ. Lib. I. Cap. XXV.* et 33) ob eandem causam, saltim in hoc Germaniae tractu, satis rarum est. STRYK. *Vf. Pandect. tit. de adopt. §. IX.*



TIT. VIII.

QVIBVS MODIS PARENTVM
POTESTAS IVRE GERM.
SOLVITVR.

§. CLXII.

Q Via potestas, parentibus in Germania concessa, non est illa Romana, sed iuris gentium, eaque magis ad liberorum, quam ad parentum, commodum pertinet: (§. CXXXVIII, 5.) nemo, credo, suspicabitur, eam iisdem modis apud nos, ac olim Romae, solui, sed, tacite liberos exire facris paternis, et in suam tutelam peruenire, simul ac a parentibus ali educarique desinant, facile vnusquisque intelliget.

Difference
inter ius
Rom. et
Germanicum
hac in re
fundamen-
tum.

§. CLXIII.

Et in antiqua quidem Germania id obseruasse parentes ingenui *) videntur, vt liberos iustae aetatis masculos, iam paternis exituros penatibus, et suo sibi sudore victum et necessaria vitae praesidia quaesituros, armis in publico aliquo conuentu incingerent, eoque signo ostenderent, se eos e potestate sua dimittere. TACITVS sane *de morib. Germ. Cap. XIII.* vbi descripsit sollempnem ritum, quo armis ornari solebant ingenui iuuenes, (§. LXIV.) statim addit: *Haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos. Ante hoc domus pars, mox REIPUBLICAE.* Itaque domus seu familiae pars esse desierunt armis cincti, adeoque

Separatio filiorum
tempore
Taciti.

que nullum est dubium, quin parentum potestate illico exierint.

- *) Idem procul dubio obseruatum a nobilibus. Viue sane patre Sigimero, Arminius Cheruscis praefuit, suisque auspiciis cum Romanis bellum gessit, et Quintilium Varum fudit. *FLOR. Lib. IV. Cap. XII.* Serui autem potestatem aliquam habuerint in liberos suos, non constat. Si quam habuerunt, eam cessasse verosimile est, simul ac filii vel praedium a domino acciperent, vel alio laboris genere vitam tolerare coepissent. In re obscura coniecturas sequi non iniquum videtur.

§. CLXIV.

Filiae
quomodo potestate parentum exierint?

Quod ad filias attinet, eas, matrimonio inito, exiisse potestate parentum, nemo negauerit. Primo enim elocabantur, datis quibusdam rebus, quibus tum pretium statuebatur, armis puta, quae ad virum ferrent. *TACIT. de Morib. Germ. Cap. XX.* Deinde tota foederis istius connubialis descriptio, quam ibi reperimus, manifesto docet, vxorem in potestatem tutelamue mariti transiisse. Id quod denuo argumento est, potestatem vel tutelam parentum solutam esse. Hinc nubere Germanis iam ab antiquissimis temporibus fuit et etiamnum est *freyen*: *) et puella, iam matura viro, iam plenis nubilis annis, Belgis etiam hodie vocatur *eine Freyfter* vel *Freyster*, quasi quae iam veluti statulibera, mox parentum penetibus exitura sit.

- *) Antiquissimum sane est hoc vocabulum. Nam in *VLPILAE Euangeliis Gothicis* legimus *fragiptim*, quali *freygeben* pro despondere: *Luc. I, 27. Du magathai in fragiptim abim, thizei namo Iosef. id est: Zu einer*

*einer Magd, die freyen wolte einem, dessen Name Ioseph. Et Luc. II, 5. Mith Mariin sein Fragif-
tim, id est: mit Maria, seiner Vertraueten. Et in LEGE
SALICA Tit. LXX. glossam Malbergicam: FRIFRA
SIGENA GEORG. ECCARDVS p. 111. interpretatur: frey-
en umb eine Frau, vnd sich hernach zurück ziehen,
quod et rubrica istius tituli ostendit: De eo, qui
filiam alienam adquisierit; et se retraxerit.*

§. CLXV.

Medio etiam aevo non alius erat ex pote- Iidem
state parentum exeundi modus, quam illa, de modi
qua paullo ante diximus, separatio, filiarum- medio
que nuptiae. Et quidem, quum vxor coe- aevo ob-
menda esset a parentibus vel propinquis: ne tinue-
dubitare quidem fas est, quin maritus in eam runt.
mundium, seu potestatem, acceperit. De
qua re infra, vbi de potestate maritali agen-
dum fuerit, plura dicemus. Id modo iam
obseruamus, iure Francico proditum esse
modum vel rationem, non modo parentum
potestate, sed et familia tota, sese eximen-
di, *) quem ita describi videmus in LEGE SA-
LICA tit. LXII. *Si quis de parentela tollere se
voluerit, in mallum, aut in tunchinium admal-
lare debet, et ibidem quatuor fustes alminos,
super caput suum frangere debet in quatuor
partes, et illas in mallo iacere debet, et ibi di-
cere: Quod se et de iuramento, et de heredi-
tate, et de tota ratione illorum tollat; et sic po-
stea, si aliquis de suis parentibus aut morietur,
aut occidetur, nulla ad illum compositio here-
ditatis perueniat. Simili modo, si ille moria-
tur, ad suos parentes non pertineat caussa, nec*
heredi-

hereditas eius, sed amodo cum duodecim iuratoribus se exinde educat.

*) Id vero facere solebant Franci ob onera inimicitarum, quas more maiorum aequae, ac amicitias, tota familia suscipere tenebatur. TACIT. *de Morib. Germ. Cap. XXI.* Nec minus frequenter id faciebant ob onus vindicandi mortem propinquorum, et iurisiurandi, saepe pro cognatis, et cum iisdem, praestandi. Vid. HIER. BIGNON. et GEORG. ECCARD., *ad b. l. p. 108.*

§. CLXVI.

Separatio liberorum ex iure Sax. et Sueuico.

Sed luculentiora sunt, quae de separatione liberorum inculcant iura Saxonica et Alamannica. Maiorenes enim liberos, et suo in posterum sudore victum sibi quaesituros, parentes a se separabant, adsignata simul illis certa patrimonii parte, et ex lege quidem Alamannica, si vna esset proles, quinta, si plures liberi, duplici quinta, simulque bonis aduentitiis redditis. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XI, et XIII.* IVS PROV. SVEV. *Cap. CCCLXXXII.* Quin idem aliquando fiebat, liberis adhuc minorennibus, et tunc circa bona aduentitia parentes tutela fructuaria fungebantur.

§. CLXVII.

Eius differentia a Lubecensi.

Quamvis vero neutrum ius liberos separatos spe futurae hereditatis priuet, sed ipsa aequitas illos vna cum reliquis fratribus et sororibus, modo accepta conferre velint, ad parentum hereditatem vocet, nisi ei ultro renunciarint: IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XIII.* aliter tamen hic rationes subduxerunt Lubecenses, quibus separati liberi pro mortuis sunt,

funt, vt adeo, licet diferte hereditati parentum non renunciarint, eius tamen plane exsortes habeantur. *) *IVS LVREC. Part. II. tit. II. Art. XXXIII.* Quod ius Hamburgenses etiam fequuntur. *STAT. HAMB. Part. III. tit. III. §. II.*

*) Si nulla alia re ea, quae in *Hift. iur. Lib. II. §. LXXXVI. fequ.* de origine iuris Lubecenfis ex iure Sufatico diximus, probari poffent: vel hoc caput fufficeret. Similis enim mos separandi liberos, fimilisque huius separationis effectus in illo Westphaliae tractu ad noftra vſque tempora permanfit, et ſero demum illum ſanctione pragmatica aboleuit Fridricus, Rex Pruffiae.

§. CLXVIII.

Quo minus dubitandum eſt, quin et filiae familia paterna exierint, quamprimum nupſiſſent, ſiquidem tunc in mundium vel poteſtatem maritorum tranſibant, *IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXXI. et art. XLV. IVS PROV. SVEV. cap. CCLIX.* et partem aliquam bonorum paternorum vna cum aduentitiis ſuis accipiebant, adeoque liberis ſeparatis vere accenſeri poterant. Vnde iure Germanico magnum diſcrimen erat inter *FILIAS NVPTAS*, et eas, *QVAE IN CAPILLIS PERMANEBANT*, ſiquidem illae non vbique cum his pari iure hereditatem paternam cernebant, *) quamvis alia fit ſanctio *LEGIS LANGOB. Lib. II. tit. XIV. §. XX. fequ. et tit. XX. §. I. CONSTIT. SICVL. Lib. II. tit. IX. Lib. III. tit. XXIV. §. II.*

Separatio filiarum per nuptias.

*) Regulariter enim praedia nobilia cedebant primogenitae. In reliquis bonis innupta excludebat nuptam. Atque inde eſt, quod familiae equeſtres

in superiore Germania filiabus dotatis vix quidquam iuris in bonis paternis aliodialibus concedunt, quamvis iis non renunciarint. Sed multae hinc lites, maxime ex inueto iuris Romani et canonici vsu natae, de quibus nuper Ill. Cancellarium a LVDEWIG in nouellis publicis, (*in den Wöchentlichen Anzeigen,*) ex instituto agere meminimus.

§. CLXIX.

De modo
disfoluendi
patr. potestatem
axiomata.

Ex quo facile patet, I. Germanos olim emancipationem, *) reliquosque patriam potestatem soluendi modos, plane ignorasse. II. Liberos ibi vel separari solere, vel III. tacite exire potestate parentum, et masculos quidem, simulac res suas sibi habere, suosque regere penates coeperint; feminas, quamprimum nupserint. IV. Separatos liberos alibi spem hereditatis amittere, alibi eandem retinere, quamvis prius, quod ad filias attinet, frequentius factum esse videatur.

*) Quum patria potestas Romanis nihil aliud esset, quam dominium iuris Quiritium in liberos, (§. CLXVIII, §.) dominium vero Quiritarium non nisi modis quibusdam alienandi ciuilibus, quorum praecipuus erat *mancipatio*, transferri posset: fieri non poterat, quin eodem modo liberi quoque, e patria potestate dimittendi, ter vendendieffent per aes et libram, seu per mancipationem, siquidem tertium demum venditi, et tertium manumissi sui iuris fiebant. (*Inst.* §. CXC. *) Haec omnia non quadrabant principiis Germanorum, quibus parentum potestas non consistebat in dominio. Nec ergo moribus Germanorum quadrabat emancipatio.

§. CLXX.

§. CLXX.

Quum ergo sollemnem emancipandi ritum plane ignorent Germani: (§. CLXIX, 1.) consequens est, 1) vt nec vetus ille venundandi ritus, nec emancipatio Anastasiana per rescriptum principis, nec ea, quae ex IVSTINIANI constitutione apud acta fieri potest, in Germania frequentis vsus sit. 2) Vt postrema quidem aliquando tum inter illustres, *) tum inter priuatos, et maxime mercatores, adhiberi soleat: attamen illa non sit ex iure Germanico, sed Romano, moribus Germanicis, nulla necessitate urgente, adplicato. THOMAS. de Quasiemancip. Germ. §. XXVIII. sequ.

An in Germania nota emancipatio?

*) Notissimum est exemplum Ludouici, Löwenst. Com. liberos suos anno MDLXXXVII. sollemniter emancipantis in Camera Imperii, cuius emancipationis acta integra KVLPIVS. subiunxit *Dissert. de Adopt. et Emancip. Princip.* Alia exempla collegerunt BETS. de *pactis fam. illustr. Cap. X. p. 366.* EYBEN. ad *Inst. Diff. III. Obs. XIII.*

§. CLXXI.

Quumque non minus reliqui modi soluendi patriam potestatem, ex iure Romano orti, extra vsum sint: (§. CLXIX, 1.) consequens est, 3) vt, cessante apud Germanos capitis deminutione, et effectus eiusdem, qui in soluenda patria potestate consistit, cesset, nisi quod proscriptioni imperii eum effectum tribuere solent. *) THOMAS. de *vsu pract. doct. Inst. quib. mod. patr. pot. solu. Cap. II. §. IV.* 4) Vt, quamuis nulla dignitas liberos

An capitis deminutione et dignitate finiatur parentum potestas?

eximat parentum potestate: raro tamen in potestate sint filii, dignitate aliqua, cum emolumento coniuncta, ornati, non quidem ob dignitatem, sed ob separatam oeconomiam, quam tunc plerumque solent instituire. THOMAS. *ibid.* §. VI. Vnde insipida est distinctio dignitatum maiorum et minorum, publicarum et priuatarum, qua se torquet SIM. A LEEVWEN *Cens. forens. Lib. I. Cap. IX. §. XVII. p. 2.*

*) Saltem id creditum a Caroli V. administris, quippe qui in diplomate, quo Io. Fridericus, exelector Saxoniae, in integrum restitutus est, disertis verbis expresserunt, principi etiam restituta esse iura patriae potestatis in liberos. Edidit hoc diploma post alios LVNIG. in *Archiuo Imp. Part. Spec. Sect. IV. p. 64.* At quum potestas parentum Germanorum non sit iuris ciuilibis, sed gentium, (§. CXXXVIII, §.) *ciuilibis vero ratio ciuilia quidem iura corrumpere possit, naturalia vero non vtrique: §. 3. Inst. de legit. agn. tut.* magis verum est, durante proseriptione, pendere iura patriae potestatis, quam ea morte hac ciuili periri.

§. CLXXII.

Finitur apud nos paren- tum po- testas se- paratio- ne. Contra certissimum est, 5) antiquum in eo obtinere Germanos, quod solam quidem separ- ratam oeconomiam hodie etiam filios liberare a parentum potestate, putant, nec tamen 6) sta- tim res suas sibi habere dicunt filios, qui seorsum a patre habitantes, eorum sumptibus viuunt. 7) Separatam illam oeconomiam tollere qui- dem ius dirigendi liberorum actiones, non tamen hos priuare iure succedendi, multo- que

que minus 8) reuerentiam et obligationem, quae ἐκ τῆς ἀντιπελαργίας nascitur, extinguere, ac proinde 9) liberos etiam separatos, et suos regentes penates, sine parentum consensu nuptias facere non posse.

§. CLXXIII.

Idem porro tenendum est 10) de filia nupta, nisi quod ea ex potestate vel *mundio* parentum in potestatem vel tutelam mariti transit, et 11) hic iure Germanico hic statim est *der Ehevoigt*, vel *der Eheliche Vormund seiner Frauen*. Vid. *Diss. de marito tutore vel curat. uxoris legit. Cap. II.* 12) Non reuiuiscere parentum potestatem in viduam, nisi forte illa egena et aliorum ope destituta, ad patrios Lares veluti postliminio reuertatur, siquidem tunc, quod ad domesticam disciplinam attinet, vix a filiafamilias differre solet, quamuis in foro pro femina sui iuris habeatur. SIM. VAN LEEVWEN *Cens. forens. Lib. I. Cap. IX. §. XIV. p. 32.*

Et filiarum nuptiis.

§. CLXXIV.

Denique ex secundo et ultimo axioma (*§. CLXIX, 34.*) patet, 13) separationem hanc fieri posse tacite, non intercedente auctoritate magistratus. BALTHAS. *Pract. Resol. Tit. III. Ref. III. n. VI.* 14) Separatos liberos quidem patresfamilias ratione adquaestus esse, at 15) patrem tamen, si velit, tutorem

Separationem liberorum conditionem.

vel curatorem huiusmodi liberorum minorrennium esse, adeoque, 16) facta separatione, eadem potestate iuris gentium in eos uti, ac ante separationem. 17) Liberos etiam, hac instituta separatione, non amittere iura familiae, adeoque 18) non minus spem hereditatis retinere, ac non separatos, nisi quod 19) iure Lubecensium ac Hamburgensium, quin et Westphalorum, aliud obtinere, iam paullo ante monuimus. (§. CLXVII.)

§. CLXXV.

Reliqui
casus
quo ea
potestas
finitur.

Superuacuum esset addere, 20) apud Germanos quoque hanc potestatem finiri morte, 21) furore, aut 22) prodigalitate patris. Qui enim liberorum actiones reget mortuus, furiosus, vel cui bonis interdictum est, quum hi omnes ipsi in aliorum curatione sint? Attamen 23) hoc casu liberos, qui nondum separatam oeconomiam instituerunt, aut domo patria enupserunt, agnatorum aliorumue tutelae vel curae esse demandandos, facile adsentimur SIM. LEEVWIO *Cens. for. ibid.* §. XVIII. p. 32. Denique 24) et adoptione plena parentum potestatem non quidem finiri, sed tantum in adoptantem transferri, non dubitamus, dumne quis hoc de potestate iuris Romani intelligendum existimet. *)

*) Quum

- *) Quum enim adoptio, qualis hodie aliquando fit, non sit ex iure Germanico, sed Romano: procul dubio etiam obseruanda erit iuris Rom. dispositio, quatenus illa conuenit Germanorum moribus. Non autem conuenit moribus nostris potestas patria Romana, sed Germanica. Ergo et haec tantum transibit ad adscendentem, qui descendentem ritu Romano adoptauerit.



TIT. IX.
DE SPONSALIBVS.

§. CLXXVI.

Nexus
huius ti-
tuli cum
superio-
ribus.

A LIENI IVRIS in Germania esse diximus non modo seruos et filios familias, de quibus hactenus dictum est, verum etiam VXORES. (§. CXXXII.) Itaque iam res ipsa exigit, vt de POTESTATE MARITALI in vxores dicamus. Quod quidem vix rectius exsequemur, quam si quaedam de SPONSALIBVS, NVPTIIS, ac aliis IVRIBVS CONNVBIALIBVS Germanorum, praemiserimus.

§. CLXXVII.

Spon-
salia Tac-
iti tem-
poribus
in con-
uiuiss
facta.

SPONSALIA Germanos praemississe nuptiis, eo minus dubium videtur, quo magis ipsa recta ratio exigit, vt in indiuiduam illam vitae consuetudinem prius consentiant ii, quorum interest, et inuicem iungant manus, quam ipsas taedas accendant nuptiales, et communi toro vtantur. Quemadmodum vero maiores nostri antiquissimis temporibus nihil fere magnae rei, nisi inter pocula et epulas, agebant: ita *et de IVNGENDIS ADFINITATIBVS plerumque in conuiuiss *) consultabant, tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalcescat.* TACIT. *de Mor. Germ. Cap. XXII.*

*) Hinc et hodie *Verlöbniß* non solum pactum sponsaliticium significat, verum etiam conuiuium: quemadmodum et *Hochzeit* cum coniunctionem maris et feminae legitimam, tum conuiuium nuptiale denotat.

denotat. Posterior notio et Graecis non ignota.
 IVL. POLLVX *Onomast. Lib. III. segm. XLIV.* Ὁμη-
 ρος μέντοι ἔ τὸ ἔργον μόνου, ἀλλὰ καὶ τὴν
 ἐξίασιν γάμον καλεῖ. *Homerus autem non mo-
 do rem ipsam, sed et conuiuium, nuptias vocat.*

§. CLXXVIII.

Neque tamen in eo natura sponsaliorum Per em-
 tionem posita erat, sed in conuentione vel pacto, tionem
 vendi-
 tionem. quod tam inter personas desponsandas, quam
 inter earum parentes, inibatur. Id vero non
 aliud erat, quam emtio venditio. Ad spon-
 salia enim, non ad nuptias, pertinere viden-
 tur illa TACITI *de Mor. Germ. Cap. XVIII.*
*Dotem non vxor marito, sed vxori maritus, of-
 fert. Intersunt parentes et propinqui, ac mu-
 nera probant: munera, non ad delicias mulie-
 bres quaesita, nec quibus noua nupta comatur,
 sed boues, et fraenatum equum, et scutum,
 cum gladio frameaque. Tum vero de nuptiis
 pergīt auctor: In haec munera vxor accipi-
 tur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro
 adfert.*

*) Itaque non aliter differebant sponsalia et nuptiae
 veterum Germanorum, ac emtio venditio et
 traditio. In sponsalibus maritus offerebat dotem,
 in nuptiis tradebat. In illis sibi coemebat vxorem,
 in his vxorem coemtam a parentibus accipiebat.
 Nec quemquam turbabit, quod emtio venditio
 fieri non possit, nisi pecunia numerata pro pretio
 soluta: §. 2. *Inst. de emt. vend. l. pen. C. eod.* hic ve-
 ro boum, et aliarum rerum mentionem faciat
 TACITVS. Quum enim ICTI etiam Romani hic in
 diuersa abierint, et Sabini Cassique discipuli,
 etiam alia re loco pretii data, emtionem fieri
 posse, ex loco HOMERI *Iliad. η.* probarint; ipsique

Graeci veteres non alio emtionis genere vfi sint, indeque emere et vendere ipsis fit: ἀρνυδάαι, ἀνείδαι, πολέιν, ἀπὸ τῆ ἀρνυ, ὄνυ, πώλυ, i. e. ab agno, asino, pullo, quae animalia loco pretii dabant: MVRET. *Var. Lect. X, 3.* quis Romanorum subtilitates in siluis Hercyniis quaerat apud Germanos, quibus armenta solae et gratissimae opes erant, aurum et argentum propitiis, an iratis, Diis negantibus? TACIT. *de Mor. Germ. Cap. V.*

§. CLXXIX.

Sponsalia indisfolubilia, nisi ob stuprum.

Quemadmodum vero nulli mortalium armis et fide ante Germanos erant: TACIT. *Annal. XIII, 54.* ita, semel facta mentione et repromissione futurarum nuptiarum, non locus erat repudio, sicuti apud Romanos, qui alii desponsatam renunciare conditioni, et nubere alii non prohibebant. *l. 1. C. de sponsal. l. 2. in fin. C. de repud.* sed adeo sacrosanctum videbatur hoc vinculum, *) vt de Varnis, Germanica gente, memoriae prodiderit PROCOPIVS *de Bello Goth. Lib. IV. barbaros illos sponsas, nisi ob stuprum, non dimittere.*

*) Et hinc erant gentes quaedam Germanicae, apud quas tantum virgines nubebant, et cum spe votoque uxoris semel transigebatur, TAC. *de Mor. Germ. Cap. XIX.* Eae ne nubere quidem alii patiebantur sponsam, cuius nuptias fata sponsi turbauerant. Vnde iterum PROCOPIVS *ibid.* Tanto enim honore, inquit, pudicitia apud barbaros colitur, vt femina, de cuius nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integra, pro corrupta habeatur. In his ergo Germanorum ciuitatibus aut sponso nubendum erat, aut nulli.

§. CLXXX.

§. CLXXX.

Hi mores patrii et posteris placuerunt. Franco-
 Nam et medio aevo Franci sponsalia celebra-
 bant per emtionem venditionem, seu, vti in sponſalia
 vetuſtiſq; monimentis legimus, PER SOLIDVM per ſoli-
 ET DENARIVM. *) Pertinet huc FORMVLA BI- dena-
 GNON. v. p. 498. Tom. II. Capitul. Dum et ego rium.
 te PER SOLIDVM ET DENARIVM, ſecundum legem
 Salicam, viſus ſum ſponſare. Et FORM. LINDEN-
 BROG. LXXV. p. 532. ap. Baluz. Tom. II. Dum
 taliter parentibus noſtris vtriuſque partis com-
 placuit atque conuenit, vt ego te SOLIDO et DE-
 NARIO, ſecundum legem Salicam, ſponſare de-
 berem, quod et feci. Similia ſunt apud GREG.
 TVRON. vel FREDEGAR. in Geſt. Franc. Epitom.
 Cap. XVIII. Legati offerentes SOLIDVM et DE-
 NARIVM, vt mos erat Francorum, eam partibus
 Chlodouaei ſponſant.

*) Vendebant enim virginem parentes, vel propin-
 qui, ac proinde ſponſalia, ſine parentum vel pro-
 pinquorum conſenſu facta, ipſo iure nulla erant,
 niſi eorum poſtea acceſſiſſet ratiſ habitio. Hinc
 Bertchramnus apud GREG. TVRON. Hiſt. Lib. IX.
 Cap. XXXIII. Quia ſine conſilio parentum, vxo-
 rem cohiugio copulaſti, non erit vxor tua. Et ta-
 men iam triginta annos cum Bertchramno vi-
 xerat mulier, quum marito haec ſtatus quaesti-
 moueretur.

§. CLXXXI.

Dicitur hic ritus promanſſe ex LEGE SALI-
 CA, in qua ſemel tantum, et quidem vbi non
 de virginis, ſed de viduae deſponſatione agi-
 tur, mentio fit TRIVM SOLIDORVM et DENARII.
 Tit. XLVII. §. I. Sed coemtio haec imagi-
 naria, Omnes
 Germa-
 nicae
 gentes
 medio
 aevo
 coeme-
 bant
 ſponſas.

naria, vti vocat BIGNON. *in Notis ad Form. p. 980*, Saliis non modo cum reliquis Francis, verum etiam cum populis Germanicis tantum non omnibus communis fuit, ceu ex instituto probavit GVNDL. *de coemt. vxor. Cap. I.* nisi quod pretium non omnibus gentibus idem esset. Sic LEGE SAXONVM *tit. VI.* cauetur, vt *vxorem ducturus trecentos solidos det parentibus eius.* Eiusmodi pecunia in LEGE BVRG. *tit. XII. et XXXIV.* PRETIVM, in LEGE SAXONICA *tit. VII. §. III.* PRETIVM EMFIONIS EIVS; in LEGE BVRG. *tit. LXVI. §. I. sequ.* WITTEMON; in LEGE LANGOBARDICA *Lib. II. tit. I. §. VII.* META; in LEGE SALICA *tit. XLVI. §. II. sequ.* si viduae quis ambiret nuptias, REIPVS vocatur. *)

*) META vel, vti *Lib. II. tit. IV. §. III. et tit. XIV. §. XV.* vocatur, METHVM veteres glossae interpretantur *pecuniam vel donationem sponsalitiã vel nuptialem.* Ea vox vere Germanica est, vti Langobardicae pleraeque. *Mietbe* enim vocatur merces locationis, eoque vocabulo veteres etiam pro pretio emtionis vsi videntur. Nam et in EVANGELIIS GOTHICIS *Matth. V, 46. et Luc. VI, 23.* *Mizdo* generatim est *merces, vel praemium.* Nec dubium est, quin REIPVS sit Germanicum *Reu - Busse,* quae iam GVNDLINGII coniectura fuit. WITTEMON vero veteribus fuisse pretium vel mercedem, LINDENBR. *in Glossa 1409.* eleganter probat ex WILLERAMI versione *Cantici Cant. Cap. III. Tho ber bimmo selvemo mabelda mit dema witherno fines billigen Bluedes.* Id est, *Da .er sich selbst verlobte mit dem mablshaz seines heiligen Blutbes.*

§. CLXXXII.

Cautè vero existimes, hoc pretium fuisse Arrhae, ipsam dotem. Praeter illud enim, quod sollemnitatis tantum causa intercessisse videtur, sponsae et alia dabantur, veluti arrha, largitas sponsalitia, et in ipsis nuptiis dos Germanica. Sic apud FREDEGARIVM *Gest. Franc. Epit. Cap. XVIII.* Chlototaeus anulum Chrotechildi misit per Aurelianum, et ab ea anulum recepit. Qui annuli loco arrhae fuerunt. *) Praeter hanc autem in formulis supra laudatis futuris sponis integra praedia, pecora, boues et vaccas, porcos et verueces, auri et argenti solidos donant sponsi, adduntque legem, *ut haec omnia superius nominatae sponsae, quandoquidem euenerit nuptiarum dies, et Deus eos coniunxerit, ab illo die haberent, tenerent, atque possiderent, vel quidquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus haberent potestatem.* BALVZ. *Tomo II. p. 533.* Vbi sane praedium loco dotis; pecora, aurum et argentum loco sponsalitia largitatis fuerunt.

*) Addit GREG. TVRON. *in vitis Patr. Cap. XVI. et XX.* sponsum sponsae prisco Francorum ritu cum osculo et annulo calceamentum quoque obtulisse. Quod cuius rei fuerit symbolum, ex instituto disquisiuit EV. OTTO. *Iurispr. Symbol. Exerc. II. Cap. XI. p. 64.*

§. CLXXXIII.

Ceterum eae donationes omnes non modo in scripturam redigebantur, quales libelli dotis. dotis apud MARCVLF. *Lib. II. Cap. XV. et in Append.*

Adpend. Cap. XXXVII. FORM. SIRM. Cap. XIV. BIGNON. Cap. V. LINDENBR. Cap. LXXV. et sequ. et alibi passim supersunt: sed et firmabantur apud acta, adhibitis sollemnitatibus,) et, ut eo certior esset sponsa de commodis omnibus, quae ipsi a sponso propter futuras nuptias fuissent promissa, comminatio addebatur, hac similitudine formula: Si quis deinceps contra hanc chartulam libelli dotis, quod fiendum esse non credo, venire, aut eam temerare praesumserit, si se exinde non correxerit, illum, qui ab initio masculinum et feminam condidit, contra se ultorem sentiat, et insuper auro uncias tantas, argento libras tantas, coactus exsoluat, et, quod repetit, nullatenus euindicare praeualeat, sed praesens haec epistola tam a me, quam ab heredibus meis, defensata, omni tempore firma ac stabilis permaneat, stipulatione interposita. FORM. LINDENBR. Cap. LXXXV.*

*) Hinc in FORM. LINDENBR. Cap. LXXXII. sponsus proficitur, se per epistolam compositionis, siue per FESTUCAM et ANDALANGVM donationem illam firmasse. Vbi festuca pertinet ad ritum effestucationis, de quo infra suo loco. ANDALANGVS, quidquid argutiarum sectentur glossarum scriptores, est ipsum Germanicum *Hand-langen*, id est traditio manu facta, vel saltem stipulata manus. WENDEL. in *Gloss. Sal.* adeoque sensus est, donationem illam, facta sollemniter traditione symbolica, vel manu porrecta, esse perfectam. Non quidem hoc ad palatum est CAR. DV FRESNE *Gloss. med. Lat. Tom. I. p. 187.* qui, indicata illa WENDELINI diuinatione: *Wendelinus, inquit, andelangum idem sonare, ait quod traditio in manus, mancipatio, ex in Handen langhen, tradere in manus: at in formula haec vox quidpiam corporale*

porale sonat. Sed quid magis, quaeso, corporale est traditione festucae, vel alterius symboli, manu facta?

§. CLXXXIV.

In eo quoque mores maiorum seruabant Hoc
 Franci, aliaeque originis Germanicae gentes, quoque
 quod iuncta hoc ritu sponsalia nullo temere tempore
 colore irrita fieri paterentur, nisi iustissima sponsalia
 esset causa repudii. *) LEX LANGOB. *Lib. II. tit. I. §. XI.* Hinc et vni desponsam alter
 non ducebat impune, CAPITVLAR. *Lib. VI. Cap. XLI.* et speciatim apud Alamannos, qui
sponsam alterius contra legem acceperat, vel reddere eam cum CC. solidis, aut, si reddere nollet, eam soluere, et mortuam etiam cum CCCC. solidis componere cogebatur. LEX ALAM. *tit. LII.*

*) Quam quidem liquidam esse oportebat, qualis erat mora, si sponsa sponsum biennium frustra expectasset. LEG. WISIG. *Lib. III. tit. I. §. IV.* itemque LEG. LANGOB. *Lib. II. Tit. I. §. I.* Sed haec Romana sunt ex *l. 2. C. de repud.* ceu docuimus in *Comm. ad Leg. Iul. et Pap. Popp. Lib. II. Cap. V. §. II: p. 179. sequ.* Id vero notatu non indignum est, indissolubile tunc praecipue visum esse pactum istud sponsalitium, si annuli vtriusque dati essent. LEX WISIGOTH. *Lib. III. tit. I. §. III.*

§. CLXXXV.

Nec alia post Francorum tempora sponsa-
 liorum fuit ratio, adeo, vt ne pretium qui-
 dem emtionis plane ab vsu recesserit. Nam
 ad nostra vsque tempora sponsi sponsaeque
 ex plebe sibi inuicem praeter anulum offerre
 solent

An et
 post
 Franco-
 rum in
 Germa-
 nia im-
 perium
 coemptio

manfe-
rit in
vfu?

solent aliquot numos aureos argenteosue, quamuis ii magis hodie pro arrha, quam pro pretio, habeantur. At quemadmodum in aliis iuris antiqui capitibus; (§. X. *) ita et in hac vxorum coemtione Galli maiorum mores multo religiosius, quam ipsi Germani, seruarunt. Nam illi et hodie in sponsalibus numos quosdam dare solent, venditionis causa, idque frustra vulgo ex iure Romano repetunt viri docti. *) BARN. BRISSON. *de ritu nupt.* p. 20. *Cuius moris, (a Romanis in vxorum coemtione vsurpati,) vestigia a nobis in nostris nuptiis vsurpari, quidam opinantur, TREDECIM NUMORVM numeratione. Verum ego ex barbararum coloniarum, quae in Gallias ex Germania migrarunt, ferroque et armis sedes occuparunt, moribus id in vsu mansisse, potius crediderim.*

*) Simile quid in Sueonum ritibus hodiernis contingit, quamuis et hos viri docti perperam a moribus Romanorum arcessant. 10. LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. XXIV.* p. 105. *Ille vero legitimus et posteris traditus mos est, vt si quis ambiat nuptias virginis, illius parentes, aut, his defunctis, tutores, propinquos, aut consanguineos eo nomine conueniat, qui si adsentiantur cum desiderata petentis desiderio, sponsalia in praesentia testium ineuntur: vbi mutuis promissis et donis sponsus et sponsa futuri fidem paciscuntur. Id quod COEMTIONIS et IMAGINARIAE VENDITIONIS ex prisco Romanorum ritu, et tandem in manum conaentionis formam quandam sapit. Quam firmat ista vetus Sueonum formula: BRVDKÖP DRICKA, i. e. coemtionem sponsalitiã bibere.*

§. CLXXXVI.

Mansit et mos, adfuitates in conuiuibus An con-
iungendi, a quo ne hodie quidem discedunt uiuia
posterius, parum firma atque auspicata existi- sponsali-
mantes sponsalia sicca, et in quibus adhibiti tia, et dos
auspices a maritis
consti-
tuta?

Cynica traducunt tempora coena.

Satis diu quoque mansit consuetudo, vt do-
tem non vxor marito, sed vxori maritus of-
ferret, eamque dotis constitutionem firma-
ret litteris, quales plures supersunt, veluti
Henrici I. Germaniae Regis, apud GVNDLING.
in Henr. Aucup. p. 312. et ex ipso authentico
emendatiores apud ECCARD. *Hist. geneal. Sax.*
p. 27. Ottonis II. Imp. apud LEVKFELD. *in Ad-*
pend. Antiqu. Pold. p. 208. Henrici Rasponis,
Landgrauii Thuringiae, quas ex BVTKENII
Trophaeis Brabantiae extulit GVNDL. *de coemt.*
vx. Cap. II. §. XXIII. qui et §. XIX. p. 51. plu-
res alias recenset. De Ottone M. refert
CHRONOGR. SAXO ad ann. DCCCCXXIX. *illum E-*
dithae, vxori, urbem Magdeburg, inter ceteras
opes, pro dote obtulisse. Et Henricum II. do-
tem Cunigundi suae constituisse in vrbe et
tractu Bambergensi, ex SIGEB. GEMBL. *ad ann.*
MV. discimus. Similia exempla dabunt MO-
NACHVS BRAVVILER. *Cap. I. §. VII.* et Diploma
Ottonis M. apud ECCARD. *in Probat. Hist. Ge-*
neal. Sax. n. VII. p. 135.

§. CLXXXVII.

Mansit denique mos, non temere rumpen- An et
di foedus sponsalium, nisi iustissima causa tunc
K sponsa-
id lia indis-
solubi-
lia?

id suaderet. Probat hoc exemplum Henrici IV. Regis Germ. qui desponsam sibi puero a patre Bertham odio plus quam Vatiniano prosequeretur: et eam tamen inuitus ducebat. BRVNO *Hist. bell. Sax.* p. 176. *Vxorcm suam, quam nobilem et pulchram, suasionibus principum, INVITVS duxerat, sic exosam habebat, ut post nuptias celebratas eam sponte sua numquam videret, quod et ipsas nuptias NON SPONTE SVA celebrauerat.* Quin et mansisse videtur opinio, eam iam conditioni renunciare non posse, quae annulum pronubum sua sponte acceperit, dederitque. *)

*) Huc enim merito referimus paroemiam iuris Germanici, quam ex BESOLDI *Thesauo pract. voce Hafft-Geld* profert suoque more interpretatur HERT. *Paroem. Iur. Lib. I. par. LXV. p. 516.*

Ist der Finger beringet,

So ist die Jungfrau gedinget.

Cuius sensum non satis adsequutus videtur vir doctissimus. Nec enim haec paroemia indicat tantum, annulum pronubum esse signum: ex quo praesumantur sponsalia, sed eum certissimum eorum argumentum haberi. Ex nouo enim iure est, quod annulus pronubus non probat sponsalia, nisi ipsum pactum sponsalium simul liquido possit probari. MASCARD. *Concl. MXXIII. n. 2. MEV. Decis. VIII, 39, 5.*

§. CLXXXVIII.

Axiomata de sponsalibus.

Itaque ex his omnibus liquet, I. semper Germanos sponsalia pro nullis habuisse, quae non cum consensu tum ipsarum personarum, nuptias meditantium, tum II. vtriusque familiae, *) facta essent. III. Semper sponsum sponsae et arrham, et IV. aliquam sponsaliam

tiam

tiam largitatem obtulisse, quae inter plebeios plerumque in veste, vel ornamento, vel aliquot numis maioribus, constitit. V. Semper in scripturam redactum esse pactum, quo sponsus sponsae dotem constituerebat. VI. Semper denique in sponsalibus adhibitos esse cognatos, testes, ac veluti auspices, eosque vna cum sponsis lautiore exceptos esse conuiuio.

*) TACITVS de Mor. Germ. Cap. XVIII. non modo parentum meminit, quorum arbitrio res omnis gestafit, sed et propinquorum. Suscipere enim tum amicitias seu patris, seu propinqui, quam inimicitias, necesse erat. IDEM Cap. XXI. Medii aevi leges PARENTVM tantum consensum exigunt. Sed parentes hoc aeuo vocabantur omnes cognati, qui et Gallis sunt *les parens*, idque perspicue patet ex LEGE LANGOB. Lib. II. tit. II. §. II. *Componat PARENTIBVS mulieris, id est, patri vel fratri eius, vel ad quem mundium pertinuerit, pro anagripp. fol. XX.* Ceterum quamuis omnes cognati adhiberi solerent: sponsa tamen coemenda erat ab vno ex illis, cuius in mundio seu potestate erat femina. Neque enim illud mundium in alterum transferre poterat, nisi qui ipse illud habebat. Habebat vero apud Wisigothos hoc mundium pater, LEX WISIG. Lib. III. tit. I. §. II. eoque defuncto mater, vel, ea quoque praemortua fratres, vel his non exstantibus aut adhuc minorennibus, patruus. IBID. §. VII. Idem fere apud Burgundos obtinuit, nisi quod mater et sorores tertiam tantum partem *witteomonis* acciperent. LEX BVRG. tit. LXVI. §. I. sequ. Secundum LEGEM SALICAM tit. XLVI, si nepos esset, viduae mundium habebat sororis filius senior, sine neptis tantum, eius filius senior, sine nec neptis filius, consobrinnæ ex materno latere filius, hoc non existente, auunculus, et hoc quoque deficiente prioris mariti frater, et post hunc proximus ad sextum gradum, ac postremo, his omnibus deficientibus,

entibus, fiscus. Quem penes autem mundium erat, is et *reipus* accipiebat. Secundum LEGEM SAX. tit. VII. §. II. *sequ.* viduae tutelam habebat, pretiumque emtionis accipiebat primo priuignus, deinde frater defuncti mariti, ac demum proximus paterni generis, vel eius consanguineus.

§. CLXXXIX.

Consen-
sus spon-
salitius?

Quum itaque sponsalia sine consensu personarum, quae pactum inire cupiunt, consistere nequeant: (§. CLXXXVIII, 1.) non abs re inde colligunt Germani, 1) perinde esse, siue per litteras, siue per internuncium, siue per sponsum sponsamque, iste consensus explicetur: nec 2) moribus suis concinnam esse differentiam inter *pactas* et *sponsas*, quae Romanis erat familiaris. NON. *de Propriet. Serm. V, 69.* ARNOB. *adu. Gent. Lib. IV. p. 140.* Permultum tamen 3) interesse inter declarationem priuata, *das Ia-Wort*, et sollemnem, quae fit in ipsis sponsalibus, quia prior plerumque ea conditione fieri solet, si de reliquis conuonire possint, et publica subsequantur sponsalia: et hinc, 4) antequam haec accesserint, locum dari poenitentiae. *) THOMAS. *de pact. fut. sponsal.* BOEHM. *Ius eccl. Protest. Lib. IV. tit. I. §. XL.*

*) Multa tamen hic turbauit iuris canonici doctrina de sponsalibus de praesenti et de futuro, de cuius genuino sensu fulius disputauit laudatus BOEHM. *ibid. §. X. sequ.* Quin generatim obseruandum est, ius canonicum hic tantum non peruertisse simpliciora iuris Germanici principia, et quidem non modo inter Romanenses, verum etiam inter ipsos protestantes, Theologis aequae ac ICris, se non rectius consulturos putantibus conscientiae, quam receptis

receptis iuris canonici conclusionibus, etiamsi ea ex principiis, ab ecclesia sua expolis, profuerent.

§. CXC.

Quandoquidem etiam Germani semper v- Consen-
triusque familiae consensum exegerunt: (§. fus pá-
CLXXXVIII, 2.) facile reddetur ratio, 5) cur rentum
non, vti apud Romanos, patris consensus suf- et pró-
ficiat, sed et maternum accedere oporteat. pínquo-
rum.

CARPZ. *Iurispr. Consistor. II, 3, 54.* CYPR. *de Spons. Cap. VI. et VII.* 6) Cur hodiernum quibusdam

statutis id exprimatur, sponsalia, mortuis pa-
rentibus, agnatorum cognatorumque consi-
lio ac consensu, esse contrahenda: vid. illustris A
LVDEWIG *de Consensu compub. extra patrem*
Diff. III. multoque magis 7) eo consensu o-
pus visum sit ad conficienda pacta dotalia.

STAT. MIND. *Lib. I. tit. IV. §. IV.* *Wann zwi-*
schen zweyen Personen eine Ehe bedinget, vnd
ihres Gutes vnd Beybringens halber, in Gegen-
wart der Freunde vnd Bedinges-Leuten, verab-
scheidet, und durch einen Ausspruch oder durch
schriftliche Ehe-Pacten sich verglichen, soll vnd
muß es dabey billig verbleiben, vnd soll dagegen
nichts gehandelt werden.

§. CXCI.

Praeterea quum sponsalia sine arrha vix vi- Arrhae
derentur subsistere: (§. CLXXXVIII, 3.) in- Sponsali-
tellectu non difficile est, 8) cur hodiernum vel tiae.
annuli, *) vel numi quidam aurei argenteiue,
sponsae dari soleant. 9) Cur inde, ceteris pa-
ribus, petatur praesumptio, sponsalia vere esse
facta, dummodo satis constet, pecuniam illam

datam esse, tamquam arrham sponsalitiã, vel anulum esse pronubum, vel denique ita ferant loci alicuius consuetudines, vt anulum non accipiant puellae, nisi desponsationis causa. BROWER. *de Iur. Connub. Lib. I. Cap. XXIII n. VII.*

*) Antiquus fatis est annuli pronubi vsus, de quo plura ANT. HOTOM. *de vet. rit. nupt. Cap. X.* BARN. BRISS. *de ritu. nupt. p. 4. §.* KIRCHMANN. *de Annul. Cap. XVIII.* Quum ergo hi, iam pridem Romanos annulis vsos esse in subarrhandis feminis, luculenter probarint, et de Germanis contra vix credibile sit, eos antiquissimis temporibus permultum impendisse eiusmodi ornamentis: nemo dnbitauerit, quin Franci aliaque Germanicae originis gentes hunc annulorum vsum a Romanis didicerint.

§. CXCII.

Sponsalitia largitas.

Et quia sponsalitia largitas, quamuis minus necessaria, non temere tamen omittitur: (§. CLXXXVIII, 4.) nemo dubitabit, 10) quin ea nihil aliud sit, quam donatio sub conditione sequuturi matrimonii facta, et, quamuis ii) pro facultatum et conditionis discrimine ea non in omnibus sponsalibus esse possit eadem, *) plerumque tamen sponsi, etiam quibus curta fatis supellex est, ea occasione prodigi sint, et liberalitatis laudem etiam cum rei familiaris detrimento adfectent, vel saltem aureos montes polliceantur, vix minima praestent. Vnde Germanorum adagium: *Alle Freyer reich; alle gefangene arm.* HERT. *Paroem. Iur. Lib. I. paroem. LXVI. p. 517:*

*) Hinc inter rusticos obtinere videmus idem, quod supra apud TACITVM et in Francorum monumentis

mentis notauimus, vt futuri coniuges sibi inuicem aliquot vaccas, oues, porcos, vel offerant, vel promittant, vt optime elocatae videantur filiae, quibus vel pecoris aliquid, vel aliquantum frumenti a parentibus ad instruendam rem familiarem datum est.

§. CXCIII.

Sed et 12) in eo maiorum mores custodire videmus Germanos, quod, quae inter eos de dote conuenerunt, ea plerumque in scripturam referant, *) eaque instrumenta, 13) a Germanis vocata *Ehe-Pacten*, *Ehestiftungen*, *Ehe-Zarter*, in Hassia *Ebelich*, non modo a patientibus, verum etiam a parentibus, cognatis, auspiciis, aliisque personis praesentibus, (quas in Hassia *Weinkauffs-Zeugen* vocari, ex actis forensibus obseruauimus,) signentur, quin et 14) aliquando ad acta confirmentur. Quod 15) quibusdam locis, si rustici pacta dotalia inire velint, abscessisse necessarium esse, ex CONSTITVTIONIBVS ANHALTINIS, nisi fallor, didici.

*) Id quoque a Romanis ad Francos; ab his ad nos permanasse arbitror. Nam, vti Germani tardius aliquem litterarum usum habere coeperunt: (§. IV.) ita iam inde ab antiquissimis temporibus solenne erat Romanis, tabulas conficere super pactis dotalibus. Hinc illa IUVENALIS: Sat. X. v. 336.

Veniet cum SIGNATORIBVS auspex

Et Sat. VI. v. 109.

*Si tibi legitimis pactis iunctaque TABELLIS
Non es amaturus.*

Add. BRISSONII *de rit. nupt.* p. 24. ANT. HOTOMANN. *de vet. rit. nupt.* Cap. IX. p. 266.

§. CXQIV.

Epulae
sponsa-
litiae.

Denique quum Germani semper indulserint epulis, nec ullam sollempnitatem hoc veluti condimento carere passi sint: (§. CLXXXVIII, 6.) non mirum est, (16) eos et in sponsalibus lautiores dapes struere, et boni veluti ominis causa se tunc invitare largius, imprimis vero (17) ad hoc conuiuium vocare viros graues, qui testimonium perhibeant, sponsalia illa non clandestina fuisse, sed omnia esse recte et ordine facta, *signatas tabulas, dictum feliciter!* *)

- *) Hoc quoque, licet origine Romanum, tamen et in Germanorum mores iuit. Solent itaque quando probatio sponsaliorum suscipitur, articuli, quos vocant probatoriales, ita saepe formari: *Wahr, daß alle Anwesende beyden Verlobten gratuliret, vnd diese solche Gratulation angenommen? Wahr, daß über der Taffel des Bräutigams vnd der Braut Gesundheit von allen Gästen getruncken worden? Wahr, daß diese nebst beyderseits Eltern solche Ehre angenommen, vnd sich davor bedancket? Wahr also, daß die Verlobung, damals würcklich geschehen, vnd es nicht bey bloßen Traßaten verblieben?*



TIT. X.

DE RITV NVPTIARVM.

§. CXCIV.

Sponsalia sequuntur NVPTIAE, quem vi- Nup-
 tiae humanae nouum veluti actum tanti- tiae a-
 omnes fere gentes fecerunt, vt nulla pud o-
 fuerit, quin eum, adhibitis quibusdam riti- mnes
 bus, condecorandum putarit, siue vt eo au- gentes
 spiciatius esset connubiale hoc foedus, siue vt sollempni
 eo minus dubitari posset de legitimo eorum ritu ce-
 matrimonio, qui tam sollempniter, tantoque lebratae
 cum adparatu, manus iunxissent. Nos iam
 ea tantum consecretabimur, quae in iuribus
 connubii alicuius sunt momenti, certo satis
 persuasi, idem fuisse consilium veterum iure-
 consultorum, quando in Digestis titulum DE
 RITV NVPTIARVM extare voluerunt, quamuis
 ei rubricae ipsa fragmenta, sub illa posita, vix
 hodie respondeant. Vid. THOMAS. *Diss. de vsu
 pract. doct. Inst. de nupt. Cap. I. §. I.*

§. CXCVI.

Et hic quidem plura haut proletaria iam Germa-
 collegit PAVLLVS HACHENBERGIVS *Germ. med.* nis seue-
Dissert. V. Sed dabimus operam, vt inuen- ra ma-
 tis aliqua addamus, ad illustrandum ius Ger- trimo-
 manicum vel maxime pertinentia. Nimirum nia.
 laudi hoc in primis cedit maioribus nostris,
 quod sancta in primis ipsis fuerint connubia,
 et a probris, quibus infamatae sunt aliae gen-
 tes pleraeque, maxime sibi cauerint. *) Et

nescio, an vlli alii nationi quadret, quod de maioribus nostris, sibi alioquin haud parum inuisis, scripsit TAC. *de Mor. Germ. Cap. XVIII. Seuera illic matrimonia: nec vllam morum partem magis laudaueris.*

*) Equidem iam supra fassi sumus, non videri maiores nostros ea in re tam ab omni labe puros, vt nullum vsquam profligati pudoris exemplum exstiterit. At verum tamen est, eos sanctius habuisse matrimonium, quam Romanos, qui se omni flagitiorum genere polluebant, quorum vxores annos non consulum, sed maritorum, nominibus notabant, quibus denique ne spiritus quidem purus erat. Vere QVINCTILIANVS *Declam. III. Nihil tale nouere Germani, et sanctius viuitur ad Oceanum.* Quod testimonium iure opponimus SEXTO EMPIRICO, qui nefandam Venerem Germanis non turpem visam, sed plane in mores iuisse, turpiter calumniaetur.

§. CXCVII.

Nuptiae
fero a
Germanis
contractae.

Nuptias apud Germanos faciebant non quatuordecim annorum pueri, et virgines duodecennes, quam aetatem sufficere procreandae soboli, putabant Romani, *) sed iuuenes iustae aetatis, et qui quaeue iam viros matresque familias agere scirent, nec ad parentum nomen erubescerent. CAES. *de bello Gall. Lib. VI. Cap. XXI. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali statueram, ali vires, neruosque confirmari, putant: intra annum vero vicesimum feminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus.* Et TACITVS *Cap. XX. Sera iuuenum Venus, eoque inexhausta pubertas: nec virgines festinantur: eadem iuuenta, similis proce-*

proceritas, pares validique miscentur, ac robora parentum liberi referunt.

*) Quin quamuis apud Romanos non prius viri et vxoris iuribus fruerentur coniuges, quam eam aetatem attigissent: *l. 68. ff. de iure dot. l. 4. ff. de rit. nupt.* saepissime tamen illi vxores ducebant vere adhuc pueri, nubebantque virgines immaturae et quae vix infantia excessissent. Mariti sane annorum XI, mensium V. mentio fit in marmore apud GRVTER. Inscr. p. *DCCLXXXVIII. 8. vxorum VIII. et VII. annorum ibid. p. CXXIV. 1. et MXLVI, 6.* Plura huius generis exempla collégimus in *Comment. ad Leg. Iul. et Pap. Lib. II. Cap. V. p. 183.*

§. CXCVIII.

Deinde id etiam dedisse operam videntur, ne vxores ducerent, nisi Germanas, ne natiuus ille vigor, et propria nationi vniuersae virtus, exterarum mulierum consuetudine elanguesceret. *CONRING. de habitus corp. Germ. caus. p. 27. sequ.* Nam id ipsum innuere arbitror *TACITVM de Morib. Germ. Cap. IV.* dum Germanos vocat gentem, nullis aliarum nationum connubiis infectam, adeoque propriam, et sinceram, et sui similem. Et quae, quae so, femina, deliciis Romanis Germanorum frugalitatem praetulisset? *) Et quomodo mulier, non modo lautiori vitae, sed et stupris foedisque libidinibus, adsueta, durasset in Germania, vbi nemo vitia ridebat, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocabatur? *TAC. ibid. Cap. XIX.*

Nec alias vxores ducebant, quam origine Germanas.

*) Attamen

- *) Attamen ne a peregrinis quidem connubiis abhoruerunt, postquam pars a Romanis victa in longinquas terras militiae causa protracta est, aut ipsi extera petierunt, et in vicinia per Romanas colonias morum feritas aliquantum est correcta, ceu recte obseruat CONRING. *ibid.* p. 28. Vbi saltem, sese Romanis *per connubia sociatos esse*, multosque, *qui inde prouenerint*, coloniam Agrippinam *patriam habere*, fatentur apud TACIT. *Histor. Lib. IV. Cap. LXV.*

§. CXCIX.

An a cognatis et adfinibus abstinuerint?

An sanguini honorem habuerint veteres Germani, et a propin quarum nuptiis abstinuerint, non satis constat. Neque iam immorari placet coniecturis CLVERI, quibus et hanc laudem adferere maioribus nostris coriatus est. Vt abhoruerint ab earum nuptiis, quas natura tamquam matres vel auias reuereri iubet: saltem a reliquis cognatis eos abstinuisse, liquido adfirmari non potest. *)

- *) Primo enim omnes fere Germanorum leges, a Christianis latae principibus, magna cura incestas prohibent nuptias, id non facturae, nisi frequentiores iusto fuissent commixtiones huiusmodi turpissimae. Deinde inter EPISTOLAS FRANCORVM apud PITH. *Script. Rer. Franc. T. I. p. 195.* exstat quaedam *Mapinii* vel *Maximi Ep.* ad Nicetium, qua sibi relatum scribit a Theobaldo Rege, *Nicetium, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripuerit, ac pro incestis conditionibus a communiōe ecclesiastica remouerit, scandala seu anxietates multumodas sustinere.* Id vero fieri non potuisset, maxime sub regibus Christianis, nisi id vitium ita inueteratum fuisset, ut illi existipando impares essent Christianorum antistites.

§. CC.

Certius est, Germanos veteres non plures ^{Abstine-} vna vxores habuisse, adeoque abhorruisse ab ^{bant a} orientalium moribus, qui inter greges vxorum concubinarumque vitam agebant: quam ^{πολυ-} ^{γυνία.} uis fatendum sit, nobiliores sibi plus indulgisse, et non vixisse vna contentos. Locum TACITI iam supra dedimus, (§. CXLVI. *) addimusque exemplum Ariouisti, cui CAESAR *de Bell. Gall. Lib. I. Cap. LIII.* duas tribuit vxores, vnam Sueuam natione, quam domo secum adduxerit, alteram Noricam, regis Vocionis sororem, quam in Gallia duxerit, a fratre missam.

§. CCI.

Ex eodem vero Ariouisti connubio colligas, id vel maxime cauisse Germanos veteres, ^{Et impa-} ne impare se polluerent matrimonio, ^{re ma-} ^{trime-} ^{nio.} virique nobiles in plebeiarum, aut plebei in feminarum illustrium amplexus ruerent. Indigna Ariouisti toro videbatur alia, quam nobilis: et hinc Vocionis, Noricorum siue reguli, siue ducis, soror mittebatur. Praeterea idem docet Arminii exemplum, qui solam Segeftis, viri principis, filiam dignam existimans suo thalamo, eam et inuito patri rapuerat. TACIT. *Annal. Lib. I. Cap. LV. LVI.*

§. CCII.

Denique id Ariouisti exemplum docet, non ^{Mariti} raro cognatos feminis honestam conditionem ^{non ob-} ^{dorem} vltro quaesuisse, et parum sollicitos de do- ^{sed ob-} ^{te,} ^{nobili-} ^{tatem}

quaere-
bantur.

te, ambiisse potius adfinitates eorum, qui vir-
tute ac rerum gestarum gloria excellerent.
Hinc Vocion misisse Ariouisto dicitur foro-
rem, et TACITVS *de Mor. Germ. Cap. XX.* vi-
ros principes *ob nobilitatem plurimis nuptiis
ambiri solitos, testatur.**)

- *) Haec quoque fere omnia, quae haecenus obserua-
uimus, multo aliter se habuere apud Romanos.
Primo enim ex quo plebeiis libertinas ducere per-
miserat Lex Iulia et Papia, et Antoninus Caracalla
ciuitatem Romanam cum vniuerso orbe Romano
communicarat, *l. 17. ff. de statu hom.* fieri non po-
tuit, quin saepe in ciuis Romani aedibus vel Sy-
ra aliqua, vel Cilix, vel Tressa, vel Afra domi-
naretur, qualis in Septimii Seueri palatio erat Iu-
lia Domna. Deinde quamuis incestas nuptias et
πολυγυνίαν damnarent: eo magis tamen ruebant
in feminarum imparis conditionis amplexus, a-
deo vt vel ob eam maxime causam Augustus fe-
rendam putaret legem celeberrimam de maritan-
dis ordinibus. Vid. *Comment. nostrum ad Leg. Iul.
et Pap. Lib. II. Cap. I.*

§. CCIII.

Medio
etiam
aetate fe-
ra iuue-
num ve-
nus.

Pleraque haec medio aetate mira religione
custodiebant gentes Germanicae. Tunc quo-
que fera erat iuuenum Venus, nec prius de
nuptialibus taedis cogitabant iuuenes, quam
plenaes saltim pubertatis annos attigissent. *)
Hinc Childeswinthus in *LEG. WISIG. Lib. III.
tit. I. §. IV.* *Si aut aetate, aut personarum in-
competenti conditione adnectitur copula nuptia-
lis: quid restat in procreationis origine, nisi vt,
quod nasciturum est, aut dissimile maneat, aut
deforme?* Hinc ea lex sponsum perfectae ae-
tatis esse, sponsum vero non aliam, quam spon-

sponfo natu minorem, eligi iubet. Sed et
LEX LANGOBARDICA similis existat. *Lib. II. Tit.*
VIII. §. X.

*) Diuissime Germanis mansit hunc morem, multa exempla ipsorum principum, qui alioquin citius, quam priuari, nuptiis adijciunt animum, luculenter ostendunt. Henricus Auceps natus est anno DCCCLXXVI. primam vxorem Hathburgim duxit anno DCCCXVIII. adeoque tum annos natus xxxii. Sic et Otto Editham, priorem vxorem duxit anno DCCCCXXX, quumque, teste HROSWITHA, natus sit octo dies ante Ottonis aui mortem, adeoque anno DCCCXII, sponsus fuit annorum xviii, rotidemque fere annorum fuit Otto II, quum anno DCCCLXXII Theophaniam sibi iungeret. *LEVKE. Antiqu. Pold. adpend. p. 208.* in lucem quippe editus anno DCCCCLV. *CÖNTIN. REGINON ad ann. 955.* Henricus III. Cunechildem sibi iunxit anno MXXXVI. *HERM. CONTR. in Chron. ad ann. 1036.* Itaque annos habuit xix. quippe qui in lucem prodiit anno MXVII. *WIPPO in vita Cönradi p. 436.* Henricus V. eiusdem nepos, natus anno MLXXXI, *CHRONOGR. SAXO ad ann. 1081.* Mathildem vxorem domum duxit anno MCXIV. *OTT. FRIS. Chron. Lib. VI. Cap. XV.* adeoque iuuenis tum fuit annorum xxiii. Si principum filii tum non festinabant: quid fecisse dixerimus plebeios, quibus prius de re familiari, quam de nuptiis, cogitandum erat?

§. CCIV.

Sed non tam religiose postea id semper obseruabant Germani, vt Germanas ducerent domum. Saltim principes frequentissime sibi vxores peregrinas arcessiebant, nec id frauderat liberis, inde natis, dum aequalis dignitatis ac conditionis femina in torum fuisset recepta. Sic inter Reges et Imperatores Germanorum Otto M. Anglam et Burgundam; Saepius tamen et exterae ducebantur.
Otto

Otto II. et Philippus Graecas; Henricus III. Anglam et Pietaviensem; Henricus IV. Italiam et Ruffiam; Henricus VI. Siculam; Fridricus II. Hispanam, Palaestinam, Anglam, habuerunt in matrimonio: nec raro principes exterarum nuptias ambibant.* Cum Iudaeis tamen nullum ius connubii esse Germanis patiebantur Franci, CAPITVL. *Lib. VII. §. LIX. LX.* quia ita cautum fuerat in CONCIL. AVREL. II. *Can. XIX.* et in CONCIL. ARVERN. *Can. VI.*

*) Sic Ethico I. Dux Alamanniae duxit Berfwindam Burgundam. ECCARD. *Orig. Habsb. Lib. I. Cap. III. p. 12.* Hermannus Dux Sueviae Gerbergam, Burgundam. Sed et in Witichindi stemmate apud EVMDEM *Hist. Geneal. Princ. Sax. super. p. 37.* Witichindo vxor tribuitur Geua, Danica; Theodorico Comiti Reinhilda, Dano-Frisica, *Ibid. p. 74.* Herfiboni femina Noruegica; Wolfo Pomerano regis Daniae filia; Wicberto Iuditha, Bohema, *Ibid. p. 179.* Gunzelino, Marchioni Misnensi, et Herimanno, Marchioni Polonae; *Ibid. p. 247.* Wilhelmo et Vdalrico Marchionibus Hungariae. Omitto alia exempla, quorum innumera colligere liceret, nisi vel pauca haec sufficere viderentur,

§. CCV.

Nuptiae
incestae
prohibi-
tae.

At in eo laudandi insequentium temporum Germani, quod de incestis nuptiis certiores leges ferrent, simul ac illis Christianae pietatis lumen adfulgere coepisset. LEGE sane SALICA *Tit. XIV. §. XVI.* prohibentur nuptiae cum sororis vel fratris filia, aut alterius gradus consobrina, fratrisque aut auunculi vxore, caeque nuptiae *sceleratae* vocantur, nec progeneri inde liberi legitimi, sed *infames* esse iubentur.

iubentur. CHILDEBERTVS quoque in *Decretione anni DXCV. apud BALVZ. Tom. I. Capitular. p. 17.* factim in futurum coniunctiones incestas vetat, praeteritas episcoporum doctrinae ac dehortationibus sanandas relinquit Similes prohibitiones extant in LEGIBVS LANGOB. *Lib. II. tit. VIII. §. III. XIII. et XIV.* BAIUVAR. *tit. VI. §. I.* ALAM. *tit. XXXIX.* et maxime in CAPITVLARIB. *Lib. V. §. CLXVIII. et CCCIV. Lib. VI. §. CCCIX. et Lib. VII. §. CXLIII.* vbi inter collaterales plane *ad sextam propinquitatem carnis* prohibentur nuptiae, quamuis haec omnia magis ex canonibus ecclesiasticis sint, quam ex moribus Germanorum. *)

*) Hinc Reges Francorum Merouingicos parum pensi habuisse videntur haec ecclesiae praecepta, quantumuis rigida. Nam Charibertus, Rex, duas sorores, Merofledam et Marcouefam, in torum recepit. GREG. TVR. *Lib. IV. Cap. XXV. sequ.* Theodebal- dus nouercae sororem, Vuldetradam, vxorem duxit. GREG. TVR. *ibid. Cap. IX.* Chlotharius et duas vna sorores, et alteram ex his fratris vxorem, in matrimonio habuit. Sed paullo maiorem pudoris ac verecundiae rationem habuerunt Carolinae stirpis reges, et postea, glifcente Pontificis potentia, nemo vel regum vel principum impune tulit, si non dicam ius diuinum, sed canones ecclesiae, etiam iuri diuino parum conuenientes, violasset.

§. CCVI.

Idem de *πολυγυνία* dicendum est. Quam-An πο- uis enim nec plures simul vxores habere, nec λυγυ- pellicem vxori superinducere liceret: CAPIT. *via Lib. VI. §. CCXXX. et CCCXXXIII. et Lib. et pelli- VII. §. CCCXXXVI.* tamen, et huiusmodi le- catus li- cibus sese haud stringi, existimabant Franco- rum

rum Merouingicae stirpis reges, *) . qui et plures ducebant vxores, et inter pellicum ac concubinarum greges volutabantur, vt parum inter lupanaria eorumque gynaecea interesset. Sic Chilpericus Rex, quum iam plures haberet vxores, Galswinthae, Wisigothorum Regis filiae, nuptias adfectauit, fidemque dedit per legatos, se reliquis repudium daturum. Et de Dagoberto I. Rege AVCTOR VITAE PIPINI DVCIS *apud DVCHESN. Tom. I. p. 595: Coepit, inquit, praeter concubinas, quarum multiplex erat numerus, contra ius canonicum, decus regium, trium reginarum, incestus abuti complexibus.*

*) Nescio an castiores multo fuerint principes alterius stirpis. Caroli enim M. concubinas EGINARD. *in vit. Cap. XX.* haut paucas recenfer, sed mortuis demum vxoribus, vti videtur, adscitas. Ast vti concubinatus, ceu infra demonstrabimus, diu factis in Germania mansit in vsu: ita pellicatui grauiter sese opposuere Pontifices maximi et Episcopi, et ne Regibus quidem pepercerunt, hoc se probro polluentibus. Quas turbas sibi conciuerit Lotharius Rex, Waltrada Thietbergae Reginae susperinducta, notum est ex ANNAL. FVLD. *ad ann. DCCCLXIII. sequ.* OTTON. FRISING. *Lib. VI. Cap. III.* et HINCM. *opusc. de diuortio Lotharii et Thietbergae.*

§. CCVII.

An im-
pares
nuptiae?

Sed Reges isti, in Venerem procliuiiores, tam parum rationem habebant pudoris ac dignitatis suae, vt ne ab imparibus quidem nuptiis abstinerent. Quamuis enim filias ac sorores suas non temere aliis, quam regibus, elocarent: HADR. VALES *Lib. XI. rer. Franc. ad ann.*

ann. DLXVII. et legibus impares nuptias cohiberent: LEX FRIS. *tit. VI.* (§. LXXV.) ipsi tamen puellas, non modo ignobiles, sed et ancillas, iustis nuptiis sibi adiungere non dubitabant. Tales sane fuere Austregildis Guntchramni, Merasleda et Marcouefa Chariberti, apud GREG. TVRON. *Lib. IV. Cap. XXV. XXVI. XXVII.* Nantechildis Dagoberti, apud FREDEGAR. *in Chron. Cap. LVIII.* Balthildis Chlodouaei II, et aliae complures. Quamuis fatendum sit, alterius stirpis atque insequentium temporum reges et principes non modo indecoras huiusmodi nuptias seueris legibus prohibuisse, sed et ipsos his legibus vixisse plerosque.

§. CCVIII.

Denique et in hoc prisci moris mansit custodia, quod et mariti sibi vxores, non tam opulentas, quam nobiles et pudicas, eligent, et virgines ac feminae nobiles non dotis ac opum, sed praecipue nobilitatis ac virtutis causa, maritos adpeterent. Sane enim et principes, a fortuna bonis euolutos, at origine rebusque gestis claros, saepe fuisse fortunatioribus praelatos, exempla quam plurima euincunt, veluti fata Henrici Saxonis, quem, principis proscripti, ac bonis fere omnibus exuti, Henrici Leonis, filium, solius nobilitatis ac virtutis causa, ipsi Philippo, Regi Francia, sponsum praetulit Agnes, Palatinatus ad Rhenum heres vnica, nullis Henrici VI. Imp. vel precibus, vel minis, se

se a consilio illo dimoueri passâ. *) GVIL. NEVBRIG. *Hist. Angl. IV, 30.* GERARD. STEDERB. *de gest. Henr. Leon. ad ann. MCXCIV.*

*) Similia multa habet matrimonium Ezonis, vel Ehrenfridi, Comitis Palatini, cui non maximae fortunae principi Otto III. Imp. non ob aliam causam desponsauit sororem, Mathildam, quam quod esset corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnitudine fortissimus, ad disponenda negotia, tam priuata, quam publica discretissimus. MONACH. BRAVVILER. *Vit. Ezon. et Matbild. Cap. I.* Sic vere in Germanos etiam quadrat, quod de sua gente scribit SAXO GRAMM. *Hist. Dan. Lib. V. p. 69.* Nulli quondam illustrium feminarum connubiis idonei censebantur, nisi qui sibi ingens famae pretium gestarum insigniter rerum fulgore struxissent. Summum in proco vitium desidia fuit. Nihil magis in nuptiarum petitore, quam claritatis inopia, damnabatur. Sola gloriae ueritas ceterarum rerum opulentiam exhibebat. Puellae quoque non tam procantium se formas, quam edita speciose facinora, mirabantur.

§. CCIX.

Ritus
nuptiarum
tempore
Taciti
per iun-
ctos bo-
ues et
arma.

Hactenus de personis, quas nuptias secundum Germanorum instituta obseruamus fecisse: proximum est, ut de ritu illas celebrandi quaedam adiiciamus. Is qualis fuerit temporibus TACITI, hodie fere scimus cum ignarissimis, nisi quod ille, et armorum aliquid, et pecorum, quod in sponsalibus promissum fuerat, cum ipsa puella marito traditum esse, innuit. Huc enim pertinet locus ex eius *de Mor. Germ. Cap. XX.* In haec munera (vid. §. CLXXVIII.) uxor accipiebatur, atque inuicem ipsa armorum aliquid viro adferebat. Hoc maximum vinculum:
haec

baec arcana sacra, hos coniugales Deos arbitrabantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio, passuram ausuramque. *) Hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciabant. Sic viuendum, sic pereundum. Accipere se, quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

*) Iuncti ergo boues communem rei familiaris curam; arma commune in bello periculum denunciabant. Quemadmodum enim domus officia vxor et liberi exsequiebantur: ita et in bello comitabantur viros, et in praelium proficiscentes milites passis crinibus flentes in clamabant, ne se in seruitutem traderent. CAESAR. *de Bell. Gall. Lib. I. Cap. LI.* Feruente praelio feminae vulnera exfugebant, cibos et hortamina pugnantibus gestabant, inclinatas et labantes acies constantia precum et obiectu pectorum, et monstrata cominus captiuitate, restituebant. TAC. *de Mor. Germ. Cap. VII. et VIII.* Exempla dabit PLVTARCH. in *Mario. p. 421.* TACIT. *Hist. Lib. IV. Cap. XVIII.*

§. CCX.

Hic ritus ne medio quidem aevo videtur Cuius et plane exoleuisse. Arma enim et tum in nuptiis passim fuisse adhibita, satis constat: auctorque est IO. LOCCEN. *Antiqu. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. XXIV. p. 108.* in nuptiis veterum Sueogothorum contum vel lanceam aut hastam vexillarem complicatam, sericis vinculis ornata, ad sponsi sponsaeque pedes deponi consueuisse, eamque contactam XII. testibus

medio
aevo fu-
per sunt
vestigia.

praesentibus in doni matutinalis stabilimentum, ab vno eorum extra fenestram domus nuptialis proiectam, et ab accurrente plebe direptam fuisse, lanceae tamen cuspidem chalybeam a sponso, in rei memoriam, argento redimi solitam. Cuius ritus rationem redditurus OL. MAGNVS *rer. sept. Lib. XIV. Cap. IV. Significatione*, inquit, *interuenientium armorum in nuptiis declarabatur, etiam uxores, fortibus ac bellicosis coniunctas, seuerum et minime effeminatum, sed virilem cultum magna operando probare debere, itemque meminisse, se ex illustri, seu nobili stirpe, vt eam communiter cum marito defenderent, prodiisse.*

§. CCXI.

ἱερολογία ecclesiastica Sed priscus ille ritus paullatim exoleuit, ex quo *ἱερολογία* ecclesiastica, vel copula sacerdotalis, inualuit. Factum id apud Germanos, simul ac Christo dederunt nomen. Quemadmodum enim iam primi Christiani, quibus nihil *ἀνευ ἑυλογίας* agere moris erat, sponso in ecclesiis precibus Deo commendare consueuerant: TERTVLL. *ad Vxor. Lib. II. Cap. vlt. **) ita sollempnem benedictionis ritum cum ipsa fere Christiana doctrina receperunt Wisigothi, (vid. LEG. WISIGOTH. *Lib. XII. tit. III. §. VIII.*) Langobardi, (LEX LANGOB. *Lib. I. tit. XXX. §. XV.*) ac Franci. (CAPITVL. *Lib. VII. Cap. CLXXIX. et CCCLXIII. Lib. VI. §. CXXXIII. CCCXXVII. CCCCVIII.*) Sed ei caerimoniae, ecclesiasticae potius, quam Germanicae, ac proinde potissimum ex
ri-

ritualibus sacris illustrandae, iam non immoramur. Vid. SELDEN. *uxor. Hebr. Lib. II. Cap. XXVI. seq.*

*) Sunt equidem, qui ritum illum ante Leonis Imp. tempora inoleuisse negant, et loca omnia TERTVLLIANI aliorumque veterum scriptorum de precibus et congratulatione fidelium, itemque de oblationibus interpretantur, veluti SELDEN. *uxor. Hebr. Lib. II. Cap. XXIX.* Euiumero loca TERTVLLIANI, AMBROSII *Lib. IX. Epist. LXX.* SYNESII. *Epist. CL.* nimis clara esse, quam vt eludi possint, ipse fateatur ZIEGL. *de Episc. Lib. III. Cap. XX. §. IV. sequ.* At facile largimur, non fuisse *ισολογίαν* istam publica lege sancitam ante Leonis tempora, cuius *Novella LXXXIX.* huic vel maxime omnino pertinet.

§. CCXII.

At quamuis hi ritus omnes essent adhibiti: In Germaniam tamen abest, vt vel consensus nuptialis, vel *ισολογία*, ad producendos effectus civiles matrimonii sufficere videretur, vt potius praecipue requireretur concubitus, vel in-torum receptio. *) Hinc veteribus nuptias facere est *copulare aliquam suo strato.* GREG. TYRON. *Hist. Lib. IV. Cap. IX.* Et ob eandem causam plerisque libellis dotis expressum est, dotis dominium in sponsam tum demum transiturum, quando dies nuptiarum aduenerit, et Deus sponsum sponsamque coniunxerit. FORM. LINDENBR. *Cap. LXXV. LXXVII. LXXVIII. LXXX.* Hinc denique in IVRE PROV. SAXONICO *Lib. III. Art. XLV. et Lib. I. Art. XLV.* legimus: *Sie ist seine Genossm, vnd tritt in sein recht, wenn sie in sein Bett tritt.*

*) Id Germani vocant: *die Decke beschlagen*. Quod adeo videbatur ad essentiam matrimonii pertinere, vt adimpletum hoc videretur, simul ac sponsus sponfaque vel vno momento eodem lecto cubuisent. Hinc AENEAS SYLV. in *Vita Fridrici III.* refert, Imperatorem, excepta Neapoli sponfa, Eleonora, Lusitanica, tempus nuptiarum traxisse, siue nolentem, sanguinem Italicum sibi nasci, siue aliud religionis in mente gerentem. Moefta ob id virgine, seque contemni suspicante, Alfonso, regem, vehementer rogasse Imperatorem, vt sponfam tandem aliquando in torum reciperet. Hunc itaque *iussisse Teutonico more stratum adparari, iacentique sibi Eleonoram in vlnas amplexusque dari, ac, praesente Rege, cunctisque proceribus adstantibus, superduci culcitram: neque aliud actum esse, nisi datum osculum. Fuisse enim arbores vestitos, moxque inde surrexisse. Addit AENEAS: Sic consuetudinem Teutonicorum se habere, quum principes primum iungantur: mulieres vero Hispanas, quae adfuerint, arbitratas, rem serio geri, quum superduci culcitram vidissent, exclamasse, indignum fieri facinus, regemque, qui talia permitteret, increpasse. Hunc autem non sine risa et iucunditate spectasse peregrinos mores.* Hinc plane Germanicus fuit ille ritus, quo olim legatus vel procurator, a principe ad adimplendum matrimonium missus, pedem, vel nudum, vel armatum, lecto, in quo cubabat sponfa, immittere, eumque illico retrahere solebat. Vid. ill. A LVDEWIG. *de matrim. per procurat. Diff. VIII. Cap. III.*

§. CCXIII.

Quod et legibus ac statutis variis expressum.

Sed, vt ad concubitum illum nuptialem reflectamus orationem: quam necessarius ille visus fuerit Germanis, ad effectus nuptiarum ciuiles consequendos, vel inde patet, quod et quaedam in Germania ciuitates, et exterarum originis Germanicae gentes, illud legibus exprime-

primerent, nuptias intelligendas esse demum, ubi coniuges concubuerint. Hinc Gallorum paroemia: *Femme gagne son doaire, à mettre son pied au lit.* ARGENTR. *Consu. Brit. art. 429.* Add. IVS PROV. WVRTEMB. *Part. IV. tit. II. §. I.* REFORM. FRANCOF. *Part. II. tit. III. §. V. ill.* A LVDEWIG. *de Matr. per procur. Diff. VIII. Cap. II. §. II. et III.*

§. CCXIV.

Vbi primam noctem exegerant coniuges: Morgengabae aliquod exigebat mulier, quod iam ab antiquissimis temporibus DONI MATVTINI, seu MORGENGABAE, nomine venit. Id siue primae noctis praemium fuerit, ceu vulgo tradunt, siue signum adprehensae tori possessionis, quod visum GVNDLINGIO *Diff. de coemt. vxor. Cap. III. §. XIV. sequ.* et antiquissimum, et gentibus Germanicae originis tantum non omnibus commune fuisse, animadvertimus. *)

*) Ac proinde ex iure Germanico originem procul dubio cepit, per axioma nostrum II. (§ XIV.) De quo eo minus dubitare licet, quo magis constat, ipsum quoque vocabulum MORGENGABAE, Germanicae manifeste originis, tot gentibus commune esse. Occurrit enim id vocabulum apud Burgundos in LEG. BVRG. *tit. XLII. §. II.* Francos in LEG. RIPVAR. *tit. XXXVII. §. II.* et GREG. TVRON. *Hist. Lib. IX. Cap. XX.* apud Langobardos, LEG. LANGOB. *Lib. II. tit. I. §. IV. VIII. tit. IV. §. I. et IV. tit. XII. §. I. et tit. XIV. §. XV.* Anglos in LEG. CANVTI. *Regis. Cap. LXXI.* Alamannos. LEG. ALAM. *tit. LVI.* Saxones in IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. XX.* Quin et de Suelo-Gothis LOCCEN. *Antiqu. Suelo-Goth. Lib. II. Cap. XXIV. p. 107.* scribit: *Vxor marito dotem non adfert,*

*ut Germanis vxoribus hodie moris est, quamuis TA-
CITYS priscis Germanis illud in vsu fuisse neget: sed
loco dotis coniux marito animum et amorem suum
donat. Maritus tamen eam DONO MATUTINALI adfi-
cit, et honorat, de quo in Synopsi Iur. Diff. VII. mem-
bro II. ex professo et prolixè egi. In monumento,
quod IUSTVS FONTAN. vindiciis antiquorum diplo-
matum subiicit, hæc morgengaba vocatur PRETIUM
IN MANE, quando surrexit de lecto.*

§. CCXV.

An hæc eadem cum dote Germanica? Sunt viri doctissimi, qui eandem esse pu-
tant hanc donationem matutinam cum dote
Germanica. Sed quo minus ei sententiae suf-
fragemur, prohibent tot veterum loca, in
quibus DOS ET MORGENGABA diserte distinguun-
tur. Ex pactione enim, inter Guntchram-
num et Childebertum Reges inita, quam in-
tegram edidit GREGOR. TVRON. *Hist. Lib. IX.
Cap. XX.* patet, Guilelmuam, germanam
Brunichildis, *ciuitates Burdegalam, Lemoui-
cum, Cadurcum, Benarno et Begorram tam IN
DOTE, quam in MORGANEGIBA, hoc est, matu-
tinali dono, adquisiuisse, in Franciam venien-
tem. Et in LEGE RIPVARIA tit. XXXVII. §. II.
Si vir per seriem scripturarum vxori nihil con-
tulerit, si virum superuixerit, quinquaginta
solidos IN DOTE recipiat, - - - vel quidquid
ei in MORGENGABA traditum fuerat, similiter
faciat. *)*

*) Similiter distinguitur DOS a MORGENGABA in LEGE
ALAM. tit. LVI. §. I. et II. Siquidem illam vidua
vel sacramento cum quinque consacramentalibus
praestando, vel singulari certamine *cum spatha
tracta*; hanc solo sacramento *per pectus*, quod vo-
cabatur *Nastaid*, adquirebat. Fatendum tamen o-
mnino

mino est, apud Langobardos, vbi vsque ad quartam bonorum partem, quin' aliquando ad tertiam et ultra donabant locó *morgengabae*, hanc amplam donationem dotem absorpsisse videri. Sane enim in monumento, quod paullo ante ex FONTANINO adduximus, (§. CCXIV. *) anno MCLXIII. contra legem Langobardicam. *Folo dedit dominae Gerlins omnia sua, propter PRETIUM IN-MANE, quando surrexit de lecto, et protulit ei, quidquid ad suum dominatum pertinuit.* Quid ergo hic dotis nomine dederit, quum omnia absorbeat *morgengaba*?

§. CCXVI.

Ceterum illam *morgengabam*, vel donum *Mor-*
matutinum, non eiusdem vbiq; quantitatis *genga-*
 fuisse, arbitramur. Apud Langobardos enim *bae*
 in mariti erat arbitrio, quantum dare vellet, *quanti-*
 dumne istud excederet partem quartam bo- *tas.*
 norum. *) LEX LANGOB. *Lib. II. tit. IV. §. I.*
 Et saepe tamen quartam excessisse hanc do-
 nationem, iam vidimus, docuitque pluribus
 IAN. A COSTA *ad c. Raynut. X. de testam.*
 Apud reliquas gentes cuiusuis voluntati re-
 lictum fuisse videtur, quantum donare vxo-
 ri vellet.

*) Solebant Langobardi ante nuptias libello dotis' ex-
 primere, quantam donationem *matutinam* con-
 stituerint, facultatemque sponsae dare, litteras
 illas altero nuptiarum die producendi ac cognatis
 amicisque ostendendi. Sed et ipse hoc sollempni-
 bus verbis faciebat sponsus, de quibus vt eo rectius
 constet, adscribere hic non nulla placet ex
 tabulis dotalibus Vdebrandi, Langobardi, apud
 DACHER. *Spicil. Tom. XII. n. XXXVI. p. 155.* vbi an-
 no MXLVIII. Vdebrandus ille *per scriptum MORGIN-*
CAP donat, et tradit INGAE, integram quartam suam
portionem de omnibus rebus proprietatis suae, se-
cundum ritum gentis Langobardorum, promittit-
que,

que, se hanc paginam ante parentēs et amicos ostensurum, et scriptum a testibus roboratum, ut dicat: QVIA ECCE, QVOD CONIVGI MEAE MORGINCAP DEDI, ET IN FVTVRVM PRO HAC CAVSSA PERCVRRAT. Et alio, quod edidit STEPH. BALVZ. in Append. Capitular. n. CXLVII. p. 1550. ANNO MXLIV. promittit Ioannes Miczae sponfae suae, se alia die post noctem nuptialem, qui sit dies votorum suorum, ante parentes et amicos suos ostensurum hoc scriptum, testibus roboratum, et dicturum: ECCE, QVOD CONIVGI MEAE IN MORGINCAP DEDI, ET SIC AB ILLO DIE FIRMVM ET STABILE MICZAE VEL EIVS HEREDIBVS MANEAT,

§. CCXVII.

Morgengaba et insequentibus faeculis in Germania in vsu fuit.

Mansit hoc institutum et insequentibus temporibus, quin inter Saxoniae, vicinarumque prouinciarum ingenuos ac nobiles homines quoque perdurat. Vt rem quibusdam mediū aeuī exemplis vere Germanicis illustremus: apud ALB. ARGENT. p. 113. sequi mentio fit *dominii de Kyburg, matri Ioannis Austriaci morganatico iure donati.* IVS PROV. SVEV. Cap. CCXCVI. *Nun mercket, und vernemet, was ein ieglicher Mann, der von ritterlicher Art ist, seinem Weib zur Morgengab geben mag, ohne seiner Erben Vrlaub. Des Morgens an ihrem Bett, oder so er zu Tisch gehet, oder ob dem Tisch, so mag er geben seinem Weibe ohne seiner Erben Vrlaub einen Knecht, oder ein Magd, die zu ihren Iaren kommen sind, vnd Zewn und Gezimmer ob der Erd.* Qualia etiam sunt in IVRE PROV. SAX. lib. I. art. XX. Exstant etiam diplomata, in quibus anno MCCCXIII. fit mentio *der Wiederlegung, Widdem vnd Morgengab* apud T.OELN. Cod. *Diplom.*

Diplom. Palat. n. CXIX. pag. 82. et anno MCCCXV. antiphernae, Morgegeban vulgo dictae *) apud IO. IS. PONTAN. *Hist. Gelr. Lib. VIII. p. 363. vt alia recentiora omittam exempla, quorum permulta sunt apud LVNIGIVM.*

*) Ita se habent verba apud IO. IS. PONTANVM. Sed quum ipse fateatur *p. 362. se tabulas illas nuptiales Reinaldi, luliacensis, vernaculo idiomate conceptas, Latine reddidisse: non dubito, quin illud antipherna male exprimat vocabulum Belgicum, quod fuit in tabulis authenticis, et in his nihil aliud lectum fit, quam sponsum sponsae praeter dotalitium constituisse morgengabam.*

§. CCXVIII.

Quemadmodum vero sponsalia non teme- Epulae
re sine epulis inibantur: ita multo magis ad nuptia-
condecorandas nuptias pertinere videbantur les.
conuiuia opipara, pocula largiora, tripudia,
inter quae cum alia per iocum fiebant, tum
id inprimis, quod noua nupta aeque ac
sponsus in altum tollerentur. Istum ritum
iam suo aeuo in nuptiis notauit OPTAT. MILE-
VITANVS *de Schism. Donat. Lib. VI. ex eoque*
PETR. PITH. *Aduers. Lib. II. Cap. VI. Sed*
eumdem Germanicae etiam originis gentibus
non ignotum fuisse, docet IO. LOCEN. *An-
tiqu. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. XXIV. pag. 109.*
Caerimoniis istis confectis, sponsus per iuuenes
et viros, sponsa per virgines et feminas de-
saltatur, ad suum quisque ordinem, et sexum.
Inter tripudium sponsus iuuenis a subeuntibus
paranymphis sociisque iuuenibus attollitur at-
que

que sustinentium humeris vibratur. Id quod tamen et in aliis, extra septentrionem, prouinciis factum esse, ego quidem pro certo haud adfirmauerim.

§. CCXIX.

Dona
nuptialia.

Denique et iste mos vere Germanicus est, et iam inde ab antiquissimis usque temporibus ad nos deductus, quod, qui sollempnibus istis epulis intererant, sponsum sponsamque non modo piis votis, faustissimisque adclamationibus, verum etiam donis et muneribus, pro suis quique facultatibus, prosequerentur. Sane enim GREGOR. TVRON. *Hist. Lib. VI. Cap. XLV.* describens nuptias filiae Chilperici: *Franci vero, inquit, multa munera obtulerunt: alii aurum, alii argentum, nonnulli equos, plerique vestimenta, et unusquisque, ut potuit, donatiuum dedit.* Haec dona et munerera et hodiernis moribus obtinent, vocanturque: *Hochzeit-Geschencke*, itemque *die Braut-Taffel.* *)

*) Inter plebeios et rusticos nuptialia haec munuscula non tam ad locupletandos nouos coniuges, quam ad ferendos sumtus, in conuiuium nuptiale factos, conferuntur. Quod et in Suecia fieri docet IO. LOCCEN. *ibid. p. 109.* *In nonnullis locis sumtus nuptiales ab inuitatis hospitibus in erant et collectis solent adiuari, ac subleuari: quum plures vnum facilius, quam vnus et solus seipsum, impensa maiore instruere possit.*

§. CCXX.

Varia de
nuptiis
axiomata.

Inde ergo colligimus, I. iure Germanico nuptias facere non pueros puellasque, sed iustae

iustae aetatis iuuenes, qui parentum nomen sine rubore audiant. II. Non facile Germanos, si principes excipias, exteras ducere, quamuis, praeterquam cum Iudaeis, aliisque a Christo alienis, cum omnibus sit ius conubii. III. Numquam Germanos permisisse *πολυγαμίαν* ac pellicatum: at IV. inter nobiles ac ingenuos hodie quoque non impune esse impar matrimonium. V. Inter plebeios non raras esse opulentarum cum tenuioris census viris nuptias, quos virtus ac industria commendat. VI. In nuptiis quidem ritus ecclesiae seruare Germanos: lucra tamen pactis dotalibus promissa non adquiri, nisi concubuerint coniuges. VII. Dona nuptialia communia esse vtrique coniugi, nisi quod ea sponsae plebeiae parentes saepe sibi stipulantur in compensationem impensarum, irrogatarum in conuiuium nuptiale.

§. CCXXI.

Quum itaque in Germania semper fuerit ^{ius co-}fera iuuenum Venus, longaue pueritia: (§. ^{ronae} CCXX, I.) facile pater, I) cur sponsi aequae, ^{nuptia-} ac sponsae, olim inceserint coronis ornati, ^{lis.} quasi qui ad nuptias vsque, libidinum superato impetu, pulcherrimam retulerint victoriam, castitatisque laudem integram seruarint. Quod frustra dixeris de pueris et puelis, quibus huius victoriae laudem eo minus attribuas, quo minus plerumque hostilem insultum passi sunt. *)

*) Hinc

*) Hinc ius sponsæ, capillis solutis et sine velo incendi, quod tanti semper visum maioribus, vt illud et liberis honori fuerit, si parentes hoc ornamento vsi essent in nuptiis, (*wann sie mit fliegenden Habren zu Kirchen und Strassen gegangen,*) quippe quod olim in testimoniis ingenuorum natalium exprimi solebat. Hinc et defloratae, ereptae sibi virginitatis pretium exigentes, vrgent, *daß ihnen der Kranz bezahlet werden möge.* Hinc tanti fit id ius coronae, vt postridiē nuptiarum mira esse soleat aemulatio sponsæ et conuiuorum caelibum, illa coronae vsum etiamnum adfectante, his ei eripere hoc decus, et velum capiti iniicere, conantibus, quasi periculum esset, ne pollueretur id virginitatis ornamentum, si haereret capiti eius, quæ virum passa esset. Quem lusum nuptialem, cum pluribus verbis nuptis ac praetextatis plerumque coniunctum, exprimere solent verbis: *man wolle der Braut den Kranz nehmen, und ihr die Haube aufsetzen.* Similem ritum et apud veteres Graecos deprehendimus, nisi quod apud hos sponsæ, soluta zona, ipsæ coronas cum osculo et lacrymis ponerent. VALER. FLACC. *Argonaut. Lib. VIII. v. 6.*

Vltima virgineis quae flens dedit oscula vittis.

Quin et Deae cuidam, veluti Palladi vel Veneri coronam nuptialem dedicasse nuptas, maxime vbi primum peperissent, patet ex elegantissimo epigrammate vetere, quod est apud HEINS. *Not. ad Horat. p. 16:*

τῇ παφίῃ σεφάνως τῇ παλλαδί τὴν πλακαμίδα

Ἀρτέμιδι ζωνὴν ἀνθετο Καλλιρόη.

Ἔυρετο γὰρ μνηστῆρα τὴν ἠθελε, καὶ λάχεν ἥβην

Σώφρονα, καὶ τέκνον ἄρσεν ἔτιπτε γένος.

*Has Paphiae fertas, crinem hunc tibi, maxi-
ma Pallas,*

*Diclynnae hanc Zonam Calliroe posuit:
Quod placido iam functa viro est, casteque iu-
uentam.*

Transiit, et prolem masculineam genuit.

§. CCXXII.

Et quia iustae tantum aetatis iuuenes de-^{Pueriles}
cere videbantur nuptiae: (§. CCXX, 1.) non^{feniles}
modo 2) sua sponte hodie paullo serius ani-^{et vi-}
mum ad eas adpellere solent Germani, sed et^{duarum}
3) statutis quibusdam id expressum videmus,
ne minores xx. annis aram Iunonis tangant.
Quale statutum Nordlingense laudat HOFF-
MANN. *de aetat. contrah. matr. idon. Cap. II. §.*
II. Ob eandem etiam rationem 4) parum
laudis apud nos habent nuptiae senum, quin
et 5) viduarum, adeo vt hae ex quarundam
ciuitatum statutis quasi mulctam quamdam,
tenuem illam quidem, at mulctam tamen, ex-
soluere teneantur magistratui, *) quemadmo-
dum cognato olim debebatur REIPVS, (quasi
Reu-busse.) (§. CLXXXI. *)

*) Halae nostrae viduae, iterum nubentes, praetori
ciuitatis offerre tenentur marsupium cum numo
argenteo: (*mit einem Silber-Groschen.*) OCKEL. *de*
Praescript. immemor. Cap. II. §. XI. ill. A LVDEWIG.
vom Münz-Wesen Cap. ult. p. 266. Similem confue-
tudinem Kirchscheidingae obseruari, tradit BESOLD.
in Thesaur. pract. voc. Leben. Die Braut muß den er-
sten Tag dem Herrn geben einen Kuß, darzu geben sie
in einem roten ledernen Beutel ohne Nath 30. Gro-
schen. Henburgi ad vota secunda transitura mu-
lier itidem Praefecto debet faccum sine futura cum
duobus numis, qui olim vocabantur *Schreckenber-*
ger. Quod ius, ab Hidda, vrbis domina, si IER.

SIMONI in *Chron. Ilburg. Part. II. p. 286. et Part. III. p. 502.* credimus, olim introductum, singulari dissertatione *ad legem Hiddae de sacco sine futura* Lipf. MDCCCXIX. illustravit D. CHRISTOPH. DONDORFIVS.

§. CCXXIII.

An Germanis ducere liceat exteras?

Quamvis vero Germani, si a principibus discesseris, non facile domum ducant feminas exteras: (§. CCXX, 2.) tamen et statutis quibusdam prohibetur, ne ciues extra communem patriam vel tribum, sibi coniuges quaerant. *) Saltim 7) opifices multis in ciuitatibus obstrictos adhuc fuisse nouimus ad magistri eiusdem opificii vel filiam, vel viduam, ducendam, adeo, vt 8) sponſarum nomina profiteri teneantur, qui iura magistri ambiunt: id quod exprimere solent verbis: *Mann müsse auf eines Meisters Tochter, oder auf die Meisterin muthen.* Qualia collegiorum statuta **) recenset, et ad iusti ac aequilancem expendit HADR. BEIER. *de orig. specieb. et interpr. Iur. opific. Cap. VII. §. X. n. 498. sequ. et de Domesticis opific. Cap. III.*

*) Legibus Mediolanensibus cautum esse, refert BODIN. *de Rep. Lib. I. Cap. VI* vt bona eius publicentur, qui peregrinum in torum receperit. Cui tamen si simile statutum in Germania ipsa nondum reperisse fatear: vere tamen Germanicae originis esse arbitrator illud Mediolanensium institutum, et a Langobardis primum inuectum, ibi perennare.

**) Quin quibusdam locis eadem lex praescripta est, pastoribus ecclesiae, siquidem alicubi non facile praeficiuntur parochiis, nisi qui pastorem defuncti vel viduam vel filiam aliquam se ducturos promittunt: pessimo profecto exemplo, et in ecclesiae dedecus ac opprobrium reperto, si vera facti

teri velis. Sunt equidem, qui patrociniū commodant huic consuetudini, suis circumscriptae limitibus: sed facile legum repagula p̄rumpit vitium, si semel ei rimam dederis. Quid vero aliud cōsequitur, more hōc semel admisso, quam vt homines indigni sacro ministerio obrudantur ecclesiis, vt par coniugum tam male conciliatum non sine offendiculo plebis bellum perpetuum gerat, vt denique status quaestio huiusmodi ministro ecclesiae moueatur à parochis, nec his facile persuaderi possit, eum diuinitus vocatum esse, cui ducenti vxorem munus sacrum pro dote cessit? Vid. FINKELTH. *de Iure patron. Cap. VI. n. 38. sequ.* TARNOV. *de Ministr. eccl. Lib. I. Cap. XXIII. Quaest. II.* et MENGERING. *Inform. Consc. Part. I. ser. pentecost. quaest. 4.*

§. CCXXIV.

Quemadmodum porro veteres Germani Odium *πολυγαμίαν* et pellicatum numquam admiserunt: (§. CCXX, 3.) ita 9) eandem pudicitiae ac castitatis laudem etiam nostris temporibus seruant, et hinc 10) non modo *διγαμίαν*, adulterium, pellicatum, sed 11) passim etiam stuprum, a marito virgini vel viduae illatum, grauiore poena dignum iudicant, quin et hoc pro adulterio habent, quamuis stuprator non persultarit alienum thalamum. Qua de re infra, vbi de criminibus agendum fuerit, plura dicemus.

§. CCXXV.

Ex quarto axiomate (§. CCXX, 4.) reddimus rationem, 12) cur inter regum quidem, principum ac comitum liberos ius sit connubii, quia hi omnes accensentur nobilibus: (§. CLXXXIX.) non autem 13) inter princi-

πολυγαμίαν,
similiumque
coniunctionum.

Impar
matrimonium
nobilitum.

pem et equestris vel plebeii generis feminam, adeoque 14) nec eiusmodi vxor, *) (secus ac iure Romano *l. 9. C. de incol. l. pen. ff. de rit. nupt.*) nec 15) liberi inde nati, participes sint dignitatis nobilitatisque paternae, sed tunc obtineat regula IVRIS FEVD. ALAM. *art. CII. §. I. Das Kind gehöret zu der ärgern Hand:* conf. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. LI.* nisi mater maioris nobilitatis ornamenta Imperatoris codicillis impetrarit. Et hinc quum saeculo XIII. Reinhardus, Comes Hanouienfis, Adelheidam, ministerialis filiam, vxorem duxisset, ex eaque sustulisset liberos, pater veritus, ne hi status controuersiam patèrentur, diplomata, quibus matri liberisque nobilitatis iura conferrentur, anno MCCLXXIII. non modo a Rudolpho I. Rege, sed et a singulis electoribus, impetrauit, quae primus edidit 10. CAR. CRANZIUS *Dissert. de S. R. I. Comitum austregis §. LVI.* ex eoque ill. a LVDEWIG *de dign. vxor. Diff. I. p. 6.* vbi et ex weckii *Topogr. Dresd. p. 159.* profert similes Rudolphi I. Regis, tabulas quadriennio post scriptas, quibus Elisabetham Maltitiam, nuptam Henrico, Misniae Marchioni, non modo ingenuitatis, sed et nobilitatis, liberosque ex ea natos et dignitatis paternae, et iuris succedendi, facit participes.

*) In alia omnia quidem hic discedunt MYL. AB EHRENB. in *Gamolog. cap. V.* VVLTEIVS in *Consil. Marp. Vol. III. Conf. XVII.* SALMVTH *Resp. singulari pro matr. virg. cum virg. nob.* et alii: sed inducti in hanc sententiam partim principiis iuris Romani, quae numquam receperunt Germani, partim locis quibus-

quibusdam IVRIS PROV. SAX. *Lib. III. art. XLV. et Lib. I. art. XLV.* quae tamen de aequali mariti et vxoris multa (*vom Webrgeld, Buße vnd Wette*) agere, obseruat illustris LVDOLPH. *de Iur. femin. ill. Cap. I. Sect. I. §. X. p. 25.* Certissimum sane est, mores hodiernos sententiae nostrae suffragari, et plurima existere exempla negatae huiusmodi vxoribus natisque ex iis liberis, nobilitatis maritalis ac paternae. Vid. VFFENB. *de Consil. Aul. Cap. X. Sect. I. p. 84. 85. ill. a LVDEWIG. ad Aur. Bull. Tom. II. p. 1385. sequ.* et BOEHMER. *de secund. illustr. person. nupt. Cap. II. §. XVI.*

§. CCXXVI.

Contra ea 16) inter ingenuos et plebeios Nec non non tam seuerè prohibitaè sunt nuptiae, et ^{inge-} quamuis 17) bilem eae mouere familiis eque-^{nuorum.} stribus, et despiciatui esse soleant tum ipsae plebeiae mulieres, tum mariti, qui istas in torum receperunt, quin et 18) liberis, ad dignitates ecclesiasticas *) et hastiludia adspirantibus, (§. LXXX. LXXXIII.) non leui impedimento sit haec materna origo: ea tamen 19) non impedit, quo minus hi et paternae ingenuitatis participes, et 20) feudorum paternorum capaces habeantur.

*) Neque his tantum casibus ad originem maternam respicitur, verum etiam si quis in numerum *ganer-biorum*, quos vocant, veluti Fridbergensium, vel Geilenhufanorum, recipi velit. Nam et tunc requiritur, vt ex materna aequè, ac paterna, familia maiorum imagines recenseantur, eamque profapiam iureiurando tum suo, tum aliorum probet candidatus. Hinc in ACTIS IVDICIAL. in *Sachen Herrn Rudolph Ioann Grassen von Wallpott zu Bassenheim contra Hrn. Burggr. Baumeist. vnd Regiments-Burgmannen zu Friedberg p. 2.* legimus: *Vnter denenjenigen Statutis aber, welche dieße in bemeldter Kayßerlichen*

und Reichs-Burg Friedberg sich' vnrte Adeliche Gannerben ex iure Statuum immediatorum, priuilegiorum Caesareorum, et superioritatis territorialis vnter sich errichtet, ist besonders auch diese Vorsehung mit enthalten, daß wer in dieser Adelichen Gannerbschafft recipiret werden, vnd darinnen bleiben will, entweder vor Geburt eines Burgmanns Sohn seyn, oder eines Burgmanns Tochter beurathen, dabey seine Väterliche vnd Mütterliche Abnen von Schild vnd Helm altadelichen Geschlechtes, vnd Stifft-mässig geböhren, wie in andern Erz-vnd Stifftern zu geschehen pflaget, probiren, vnd andenen zwölff Regiments-Burgmannen vier als Lu-
tanten dazu erhitten, vnd produciren müsse.

§. CCXXVII.

An filia
regis vel
principis
nobilita-
tis gra-
dum
maio-
rem a-
mittat,
nubendo
nobili
minori
gradus?

Verum quemadmodum ingenua vel plebeia iura nobilitatis ideo non consequitur, quod nobili nupsit: (§. CCXXV, 14.) ita contra. 16) femina maioris nobilitatis, modo nobilem, licet inferioris dignitatis, maritum fortita fuerit, iura nobilitatis suae haut amittit. Hinc 17) regis filia, nupta principi *Ibro Hobeit*; principis filia, licet comiti nupta, *Ibro Hochfürstl. Durchlauchtigkeit* vocatur: DN. a LVDEWIG de Nobil. femin. Diff. III. p. 40. LVDOLPH. *ibid.* §. XII. p. 28. 29. quin 18) vxorem comitis, principe natam, aliis comitum vxoribus in itu sessuque praelatam fuisse, ipse non semel obseruauit, vid. LVDOLPH. *ibid.* pag. 28. quamuis 19) liberos, quos eius dignitatis femina enixa est, ideo non esse dignitate principes, facile vnusquisque sit animaduersurus. GVNDL. Diff. an nobilit. vent. Cap. III. §. XV. p. 44.

§. CCXXVIII.

§. CCXXVIII.

Sed et nullum est dubium, 20) quin, si Illustris, ita gente enubat filia principis vel comitis, vt ingenuo vel plebeio nupta, nobilitatis suae ornamenta: G V N D L. *ibid.* §. LIII. p. 89. nec 21) Germani vumquam receperint Gallorum, Anglorumque mores, quibus nobilitas tam firmis radicibus infixata videtur huius dignitatis feminis, vt, tametsi cum viris plebeijs signauerint tabulas, principum tamen elogia ac praerogatiuas retineant, et in Anglia postea quoque *My Ladys* salutentur. FELTMANN, *de tit. honor. Lib. I. Cap. XXVI.*

§. CCXXIX.

Quum vero et hodie non raras sint opulentiarum feminarum cum tenuioris census viris nuptiae: (§. CCXX, 5) consequens est, 22) vt diuitis cum paupere matrimonium non noceat liberis, nec 23) dedecori id sit ipsis conjugibus, sed potius hoc ipso laudem mereatur vterque, alter, quod virtutem non habuerit post numos, alter, quod fortunam sibi moribus finxerit, et solo ingenio, virtuteque sibi amorem coniugis opulentioris conciliarit. Laudem dignum habetur, virtutem doti anteferre.

§. CCXXX.

Quamuis porro ritus ab ecclesia institutos in nuptijs feruent Germani: (§. CCXX, 6.) certum tamen est, 24) sacris illis ritibus multos accedere alios, quos iam supra notauimus.

mus in vetere Germania receptos fuisse, veluti coronas, concentus musicos, dona ac munerà nuptialia, et inter illustres coniuges *morgengabam*: tam etsi 25) fatendum sit, plebeios et rusticos morum, a maioribus veluti per manus traditotum, multo esse seruantiores, quam in dignitate aliqua constitutos, qui noua ac singularia quaedam plerumque adfectant etiam in nuptiis. *) Apud Hibernos, quos Germanorum nepotes vocat, sua etiam aetate *equum militarem cum framea inter iugalia munera sollemnia fuisse*, in *Glossario archaeologico obseruat* SPEELMANNVS.

*) Sic e. g. qui genere vel dignitate eminent, non ter, sed semel, e suggestu promulgari volunt nuptias: nec sollemniter procedunt ad templum, sed, paucis comitati cognatis amicisue, eo vehuntur, vel plane intra priuatos parietes rem omnem confici malunt. Raro etiam hic deprehendes coronas, saltim sponforum: raro dona nuptialia sollemniter accipi, animaduertes. Quibus omnibus tamen mordicus inhaerent plebeii et rustici. Inter hos etiam alicubi sancte seruatus est ritus, vt sponsus arae imponat pileum, eique sponsa velum adponat, et tunc nuptias fecisse dicantur sub lege: *Schleyer bey Huth*. De ritu hoc, in Hassia potissimum, ad significandam reciprocam coniugum successionem, recepto, ex instituto differuit IO. GEORG. WERNERS *de pactis dotal. Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth. Marp. MDCCXIV. vbi §. X. refert, relatum sibi esse a viris fide dignis, in quibusdam Hassiae inferioris pagis, nominatim auf dem Hohn, ante annos non ita multos, instante benedictionis sacerdotalis actu, personas desponsatas ista capitum suorum tegumenta, Huth vnd Schleyer, sollemni ritu et certis verborum formulis deposuisse, et coniunxisse*. In actis, ex Hassia transmissis Francofurtum iuxta Viadrum, reperi huiusmodi pactum dotale, in initum die
XXVII.

XXVII. Aug. MDCCXII. inter Io. Elmshauerum, Gieselbergensem, et Christinam Neben, cuius §. VII. huc pertinet: *Die Sterbensfälle beyder verlobten Personen belangend, so setzen sie HVTH BEY SCHLEYER. vnd SCHLEYER BEY HVTH, also, daß das letztlebende das verstorbene erben solle, alles treulich sonder gefehrde vnd arglist. Wein - Kauffs-Freunde sind hierbey gewesen, auf des Bräutigams seiten der Vater obenbenandt: etc. auff der Braut seiten, cet.*

§. CCXXXI.

Quumque non capiantur lucra ex pactis ^{Effectus} dotalibus, nisi coniuges concubuerint: (§. ^{conscen-} CCXX, 6.) ^{si tori.} consequens est, 26) vt, si, antequam coniuges communem lectum habuerint, solum sit matrimonium, nec dotalitium, nec portio statutaria, nec promissa morgengaba peti possit, multoque magis 27) id obtineat, si sponsa fugerit sponsum, eique dolo malo numquam sui fecerit copiam, isque postea sepulcrum pro geniali lecto inuenerit. *) Quod adeo verum est, vt vel ideo sponsae illustres per procuratores iungi soleant spon-
sis suis. (§. CCXII. *) Ill. a LVDEWIG *Diff. iur. Rom. et Germ. in dote diff. XI. litt. c. p. 31. et de matrim. per procuratorem Diff. VIII. Cap. III.*

*) Quamuis vero hoc ius ad solam Saxoniam vulgo restringant: id tamen commune Germanorum omnium fuisse, facile potest demonstrari. Sane enim in pactis dotalibus. Ruperti III. Comitis Palatini apud TOELNERVM *Cod. Dipl. Palat. n. CC. p. 160. anno MCCCXCIII. promittitur dotalitium, sed ad-*

dita claufula: *Vnd ſollen wir vnd ſie auch keine Forderung darum thun, er habè dann vor bygeſchlaffen by der obgenanten vnſer Enkelin vnd Tochter. Promittitur deinde augmentum dotis: ſed denuo addita illa conditione: Wir dürffen auch dem obgenannten Hertzog Karle die Schloſſe Zweyenbrück, Hornburg vnd Bergzabern, als wir ihm die für das Zugeld verſetzt vnd verſchrieben haben, nit ingeben vor dem byſchlaffen, vnd wan das byſchlaffen geſchehen iſt, ſo ſoll das inentworten der Schloſſe vſ beede Syt geſchehen eins nit dem andern.* Conſenſionem tōri et hodie exigunt IVS PROV. WVRTEMB. *Part. IV. tit. II. §. I.* REFORM. FRANCOF. *Part. II. tit. III. §. V.* IVS PRVSS. *Lib. V. Art. V. §. VII.* LVBECENSE *Part. II. tit. II. Art. XII.* vbi vid. MEVIUS n. 271. *Quin et in Gallia hunc morem ſuperèſſe, teſtantur GER. MAYNARD. Decif. Tholoſ. Lib. I. Dec. LIV. ARGENTR. Conſuct. Britann. Art. CCCCXXIX. gloſſ. III.*

§. CCXXXII.

Quid iu-
ſtum
circa do-
na nu-
ptialia?

Denique ex vltimo axiomate (§. CCXX, 7.) colligimus, 28) communia vtrique coniugi eſſe xenia nuptialia, ſiue verbis ſoli ſponſo, ſiue ſoli ſponſae, ſiue vtrique oblata ſint: CARPZ. *Part. III. Conſt. XXII. def. I.* PETR. MULLER *de dono nupt. Cap. II. §. XII.* IVS WVRTENB. *Part. III. tit. VII.* adeoque 29) contra mores quotidianos philoſophari, qui, vel dona, a cognatis ſponſi oblata, ſponſo; a ſponſae cognatis tradita ſponſae adquiri contendunt, MOLLER. *ad conſtit. Elect. Part. III. conſt. XXII. n. 2.* vel 30) cum ZASIO *Lib. ſing. intell. Cap. IX.* omnia ſponſae donata ſponſae; vel cum aliis omnia ſine diſcrimine ſponſo cedere, exiſtimant. CARPZ. *Part. III. Conſt.*

Const. XXII. def. II. 31) Non capere spon-
fos haec munera, si ea sibi stipulati sint pa-
rentes, impensas facientes in conuiuium nu-
ptiale. Quin 32) si inter plebeios sponsae
parentes in conuiuium impensas fecerint,
xeniaeque nuptialia reliquerint genero, ea na-
turam dotis induere, et, soluto matrimonio,
repeti posse, tacita interim hypotheca vxori
competente. PETR. MVLLER. *ibid.* Cap.
IV. §. VII.



TIT. XI,

DE IVRE DOTIVM, DOTALITHI,
MORGENGABAE, SIMILIVMQUE
LVCRORVM NVPTIALIVM.

§. CCXXXIII.

Dotem
apud
Germanos
vxor
offere-
bat ma-
rito.

Sponsalibus et nuptiis iam inde ab antiquissimis usque temporibus accessisse varia dona ac munera, iam supra monuimus. (§. CXXXVIII.) In his praecipuum dos, quam plane aliam apud Germanos apprehendit TACITVS *de Mor. Germ. Cap. XVIII.* ac apud Romanos. Siquidem de illis scribit: *Dotem non vxor marito, sed vxori maritus offert, **) quum constat, Romanos ab vxoribus expectasse dotes, propter quas et nubere poterant Romanae mulieres. *l. 2. ff. de iur. dot. l. 1. ff. solut. matrim.* quum contra *virgines grandes et dote cassae*, viderentur *illocabiles*. *PLAVT. Aulul. act. I. scen. II. v. 14.*

*) Quum vero olim similes plerumque fuerint Gallorum, Germanorumque mores: (§. I. *) nescio an illorum instituta satis peruiderit CAESAR, qui *Lib. VI. de Bello Gall. Cap. XIX.* Gallorum vxores dotem obtulisse maritis, et ab his eiusdem quantitatis donationem in commune collatam, scribit: *Viri, inquit, quantas PECVNIAS ab vxoribus DOTIS nomine acceperunt, tantas ex suis bonis, aestimatione facta, cum DOTIBVS communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque, cum fructibus superiorum temporum, peruenit.* Viderit haec CAESAR in iis Galliae partibus fieri, quas suis moribus Romani imbuerant: at vix credibile est idem

idem reliquos fecisse Gallos, quibus sinceriores et minus inquinati mores placebant. Puto itaque CAESAREM, patriis adfuetum iuribus, ea, quae marito vicissim offerebat vxor, pro dote habuisse, dotem autem veram Germanicam in *ἀντιδότην* mutasse, quod multis post saeculis fecisse etiam iureconsultos Germanicos, soli Romanorum iurisprudentiae innutritos, paulo post adparebit.

§. CCXXXIV.

Quamvis vero maritus vxori offerret dotem, id est munera quaedam vel facultates, in quibus haec, finito matrimonio, vsumfructum nancisceretur, et vnde marito superstes vitam honeste et pro dignitate toleraret: *) non dubitandum tamen est, quin et ipsa vxor pecora quaedam, aliaque, quibus eorum temporum simplicitas insigne pretium statuebat, ad maritum attulerit. Id enim velle TACITVM, arbitramur, dum addit, *vxorem inuicem ipsam armorum aliquid viro adferre*. Nec aliud esse putamus PECVLIVM illud, quod Gallos, (cisalpinos, vti suspicatur MENAG. *Amoen. Iur. Cap. III.*) ab vxoribus in ea, quae Graeci *παράδοτῆρα* dicunt, accipere, testatur VLPIANVS l. 9. §. 3. ff. de iure dot. Quum enim dotes vxorum Gallos ignorare, probe sciret: is aequae, ac CAESAR, (§. CCXXXIII. *) moribus Romanis deceptus, eas parum commode *παράδοτῆρα* adpellauit.

*) Hoc quoque innuere videtur TACITVS, dum scribit, *accipere vxorem, quae liberis inuiolata ac digna reddat, quae nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant*. Ex quo merito colligas, 1) non in solis

folis armis, sed in aliis quoque facultatibus, in primis pecoribus, praecipuis Germanorum diuitiis, constituisse Germanorum dotes. 2) Ob eam causam Gallos cisalpinos, qui, obseruante MENAGIO, Latine quidem loquebantur, sed vocabulis aliam plane notionem subiiciebant, bona, quae vxor ad virum attulerit, vocasse PECVLIVM, quasi quod in pecude potissimum constiterit. 3) In dote viduae constitutum fuisse vsufructum, donec, exstincta illa, rediret ad liberos.

§. CCXXXV.

An *morgengaba* recepta tempore Taciti? MORGENGABAE mentionem non facit TACITVS, nec aliorum lucrorum nuptialium, quae insequentibus temporibus in vsu fuerunt. Quandoquidem tamen, vti paullo post demonstrabimus, paucis post saeculis ista *morgengaba* in plerisque gentium Germanicarum legibus occurrit: dubitare non licet, quin ea quoque iam tum Germanis non ignota fuerit.

§. CCXXXVI.

Medio aeuo dotem maritus vxoriconstituebat, apud Wisigothos. Nimirum vt ad medii aevi mores progrediamur, ne tunc quidem Germani sui fuere dissimiles. DOTE M enim et his temporibus non vxor marito, sed vxori maritus, adferebat. Apud WISIGOTHOS *Lib. III. Tit. I. §. V.* dos eatenus legibus circumscripta erat, vt quisque non vltra decimam bonorum partem dotis loco sponsae constituere posset. Id vero, quod quisque constituerat, in dominium vxoris transibat, et huic fas erat, de eo pro lubitu disponere, praeterquam, si superstites haberet liberos aut nepotes, quibus *do-*
dran-

drantem saltim relinquere tenebatur. LEX WISIG. *Lib. IV. tit. V. §. II.*

§. CCXXXVII.

LEX RIPVARIA *tit. XXXVII.* vnicuique per-^{Apud} miserat, dotem quantamcumque sponsae ^{Francos.} promittere per tabularum seu chartarum instrumenta, idque promissum perpetuo valere iusserat. At, si nihil huiusmodi pactis dotalibus fuerit expressum, dotem legitimam, mortuo marito, quinquaginta solidis definiuerat. Et hinc luculentissimas dotes, tum in pecunia, tum in praediis, agris, mancipiis, pecoribus, non modo a regibus, sed et aliis inferioris ordinis viris, constitutas esse, constat exemplo Chlodouaei apud GREG. TYRON. *Hist. Lib. IX. Cap. XX.* et ex tot libellis dotis a Francis confectis, quales iam supra ex MARCVLFI *Form. Lib. II. Cap. XV. Adpend. Cap. XXXVII.* FORM. SIRM. *Cap. XIV.* BIGNON. *Cap. V.* LINDENBR. *Cap. LXXV.* adduximus. *)

- *) Similes libelli extant in FORMVLIS ANDEGAV. *Cap. I.* apud MABILLON. *Analect. vet. Tom. IV. p. 134. sequ. form. XXXIV. p. 254. et form. XXXIX. p. 257.* nec non apud BALZ. in *Adpend. Capitular. n. CXLVIII. p. 255.* eo sane notatu digniores, quod, quum in iis confecti sint Franciae prouinciis, vbi lege Romana viuebatur, nihilominus tamen dotem non vxor marito, sed maritus vxori, constitueret. Praeterea ex libellis his discimus, dotem, in ipsis sponsalibus promissam, et apud acta confirmatam, et aliquando eo nomine pigiora data esse, vt eo certior esset sponsa, se id lucrum, mortuo marito, consequuturam. Praeterea inde patet, eam dotem conscenso toro, hac lege peruenisse

nisse in dominium vxoris, vt illa liberis in eo matrimonio natis relinqueretur. Quod in FORM. ANDEGAVENS. Cap. XXXIX. ita verbis barbaris exprimitur: *Haec omnia superius nominata ad die felicissimo nuptiarum hoc ad die praesente habeas concessum, dum aduixeris, perpetualiter ad vsufructuario ad possedendum.*

§. CCXXXVIII.

Apud Alamannos.

Nec alia apud ALAMANNOS erat dotis ratio.

Quantitas enim legitima quadraginta solidis definiebatur, siue ea in auro argenteo, siue in mancipiis, aliisque rebus, consisteret. *)

Hac utebatur fruebatur vxor, si liberos marito enixa esset: sin sine prole deceffisset maritus, ipsaque ad secunda vota transire vellet: *dotis haec legitima, et quidquid ei parentes placitauerant, et quidquid de sede paterna secum attulerat, eam sequebatur, praeter id, quod manducasset, aut vendidisset.* Et quidem

si agnatus ei dubiam redderet dotem, ipsaque vel iureiurando, vna cum quinque consacramentalibus praestito, vel singulari certamine eam obtineret: *illa pecunia post mortem mulieris retro numquam reuertebatur, ad-*

eoque tunc dotem non iure vsufructuario, sed iure dominii ac proprietatis, possidebat.

LEX ALAM. tit. LIV. sequ.

*) Libellus dotis Alamannicus exstat apud GOLDAST.

Chart. Alam. num. IV. Tom. II. Script. rer. Alamann.

p. 28. in quo inter alia legimus: Propterea dono tibi

dotem, sicut nostris vtriusque complacuit amicis

tibi donare, in pago illo, in loco, in villa nuncupata,

id est, rectam curtem cum sepe circumcinctam.

Vbi sane miror, GOLDASTVM, rerum Germanicarum

alioquin haud imperitum, in margine notasse: Ita

vocat

vocat *ἀντίθερα*, seu donationem propter nuptias. Ceterum ex eo loco patet, mansisse Alamannis veterem morem, dotes ex amicorum cognatorumque consilio constituendi.

§. CCXXXIX.

Apud SAXONES non minus, ac apud reli- Apud
Saxones
et Boio-
arios. quas gentes Germanicas, dos vxori a marito constituebatur, eaque in re Ostphalis et Angriuariis cum Westphalis omnia conueniebant. In eo tamen erat discrimen, quod apud illos vidua, filiis superstitibus, dote vteretur frueretur, iisdem turbato naturae ordine ante matrem extinctis, eam ad proximos heredes; si filios non enixa esset, ad dantem eiusue heredes transmitteret: apud hos vero vxor, filios enixa, dotem amitteret, liberis non exstantibus, eandem iure usufructuario haberet, ea mortua, ad dantem eiusue heredes proximos redituram. LEG. SAXON. tit. VIII. Apud BAIUVARIOS quoque dotem legitimam fuisse vxoribus constituendam, patet ex eorum LEGE tit. XIV. Cap. VII. §. II.

§. CCXL.

Apud BVRGVNDOS *wittemon*; apud LANGO- Saeculis
X. et se-
quenti-
bus. BARDOS *meta* et *morgengaba* dotem maritalem absorpsisse videtur: neque in earum gentium legibus occurrit dotis, a pretio nuptiali et dono matutinali distinctae, vestigium. Hinc notasse sufficiat, multo post ea tempora, in vniuersa paene Germania et Gallia, quae moribus patriis viuebat, dotem hanc marita-
N lem

lem in vsu mansisse. *) Exstant sane ex faeculo X. instrumenta dotalia Henrici Aucupis; apud ECCARD. *hist. geneal. Sax. pag. 27.* et Ottonis II. apud LEVKFELD. *Antiqu. Pold. p. 208.* ex faeculo XI. Rainoldi, Comitis Senonensis, et Richardi apud MARTENE *The-saur. anecdot. Tom. I. p. 142. et 123.* itemque Richardi, Normanniae ducis, apud LVC. DACHER. *Spicileg. Tom. VII. p. 204.* ex faeculo XII. Henrici, Brabantiae Ducis, apud MIR. *Cod. donat. pidr. Cap. XCIX. p. 106.* et Ingeranni, Comitis S. Paulli, apud EVMDEM *Notit. eccl. Belg. Cap. XCV. p. 704.* ex faeculo XIII. Wallerami, Ducis Limburgensis, apud MIR. *dipl. Belg. Lib. I. Cap. LXXVII.* in quibus omnibus mariti vxoribus dotem, et quidem iure vsufructuario possidendam, constituunt.

*) Quin tantum abest, vt priscum morem ea in re migrarent, vt potius profiterentur in instrumentis dotalibus, leges patrias id officii iniungere marito, vt vxosi dotem promittat. Sic sane RAINALDVS, Comes Senonensis, in pactis dotalibus, anno MXXXIII. scriptis: *Ego RAINALDVS, inquit, Comes Senonensis, volo coniungere mihi mulierem, nomine LVVILLAM: sed praecipunt LEGES humanae, sponsum sponsam suam ex propriis dotare.* MARTENE *The-saur. anecdot. Tom. I. p. 142.*

§. CCXLI.

Vxores quoque aliquid ad maritos adferrebant.

Nec tamen existimandum est, nihil ad maritos attulisse vxores. Nam iam inde ab antiquissimis vsque temporibus aliquid pecorum, argenti, aliarumque rerum ex facultatibus paternis accipiebant. Eius sane, *quod de sede paterna secum attulerat vxor, meminit*

nit

nit LEX ALAM. *tit. LIV.* Nec minus filiabus, ad maritos ituris, aliquid bonorum dabant Wisigothi. LEX WISIG. *Lib. III. tit. I. §. V.* In primis apud Langobardos eius generis bona vocata sunt FADERPHIVM, *) cuius passim meminit LEX LANGOB. *Lib. I. tit. IX. §. XII. Lib. II. tit. I. §. IV. et tit. XIV. §. XV.* quemadmodum apud Anglos aliosque MARITAGIVM. GLANVILL. *Lib. VII. Cap. I.* PETR. DE VIN. *Lib. III. Epist. V.*

*) GLOSSA apud LINDENBROGIVM: FADERFIVM, *id est, dotem.* Sed scripsit eam glossam nescio quis, loquutionibus iuris Romani adfuetus, cui dos erat, quam vxor viro adferebat. LINDENBROGIO *p. 1398.* vocabulum natum videtur a Germanicis *Vater*, et *erbe* vel *erffe* hereditas, vt *faderfium* idem sit, ac *Vater-Erbe*, *hereditas paterna.* Sed magis rem acu attinges, si illud interpreteris *Vater-vieh*, partim quod plerumque in pecoribus consisteret illud sponsae peculium; partim quod saepe filiae daretur a patre viuente, cuius nulla erat hereditas.

§. CCXLII.

Enimuero, qui dotes vocant hasce pecunias, non parum, ex mea quidem sententia, falluntur. Quamuis enim p. DANIEL *Hist. Franc. Tom. I. p. 156.* existimet, Pipini ac Caroli M. temporibus dotes mulierum ita inualuisse, vt concubinae, non vxores, viderentur, quae indotatae ad maritos peruenerint: nescio tamen, an firmo satis talo stet haec istius sententia. Id saltem certum est, peculium istud qualecumque, filiabus datum, nihil commune habuisse cum dotibus Romanis. Nec enim necessario dabatur, nisi forte

Nec tamen id erat dos.

apud WISIGOTHOS, et maritus eo fruebatur, non tamquam dominus, sed tamquam legitimus ac fructuarius tutor vxoris suae. *) BERGER *de discrim. bon. vx. §. XVII.* GAERTN. *de distinct. inter dot. et paraph. §. VI.*

*) Testis est SPECULATOR SAX. *Lib. I. art. XXXI.* vbi de bonis vxoris: *Wann ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er in seine Gewehr alles ihr Gut zu rechter Vormundschafft.* Quem locum exposuimus in *dissert. de marito, tut. et curat. vxoris legit. Cap. II. §. XVI.*

§. CCXLIII.

Dotes
mulie-
bres
initio
tenues.

Initio id peculium, quod filiabus nubentibus dabatur, tenue erat, et leuitoris pretii. Postea, gliscentibus opibus, satis luculentum esse, et in auro argentoque consistere coepit. Sic Philippus Alsatius, Flandriae Comes, nepti Mathildi, nubenti Henrico, Brabantio, anno MCLXXIX. dedit *mille et quingentas libras Flandrensis monetae*, apud MIR. *Donat. piar. Cap. XCIX. p. 106. sequ.* quumque Guilielmus, Dux Luneburg. saeculo XIII. elocaret filiam: auctor *vitae Magni Torquati, Ducis Brunsv.* apud LEIBNITIVM *Script. rar. Brunsv. Tom. III. p. 219.* scribit: *Aagnetengaff er dem Hertoge van Sassen, mit einem gar groten Brutschatte an Gelde, so tho der tidt vnter den Forsten nicht gebrucklich.* At ex eo tempore vsu satis frequentata sunt luculentiora illa peculia, saltim inter principes, *) et, interiecto tempore, quum in aulis magni fieri coepissent iuris Romani principia, illa DOTIS nomen adsumserunt, dote maritali in

DONA-

DONATIONEM PROPTER NVPTIAS paullatim degenerante. Exemplum Henrici Rasponis, Landgravi Thuringiae, vxori, Beatrici, ducis Brabantiae filiae, anno MCCXI. DONATIONIS PROPTER NVPTIAS loco *dantis castrum Nauenburg, oppidum Sangerhusen, castrum Erkenhaldesberge, (Eccardsberge) oppidum Gotham, et districtum Belgere,* ex BVTKENII *Trophaeis Brab.* adduxit GVNDL. *de emt. vxor. Cap. II. §. XXIII. p. 55.*

*) Hinc introductae *collectae*, quas vocant *die Fräulein-Steuer*, a subditis praestandae, quoties Principes elocant filias. v. C. BVRC. GOTTH. STRVV. *Iur. Publ. Cap. XXVII. §. XVIII.* Et talem collectam sibi a ciuibus oppidi Cranenburgensis anno MCCXXL. stipulatur Dietericus, Comes Cliuensis, apud DIETHM. *Cod. dipl. ad Teschenm. n. XXIV.* et a ciuibus Vdenheimensibus anno MCCCL. Ioannes Comes Cliu. *ibid. n. XXVIII. p. 21.* et quidem in eum casum, si vel filii equestribus armis cingantur, vel filiae nubant. Quin etiam filiabus *apanagiatorum*, quos vocant, dos hoc modo corrogatur a subditis principis, qui regimini praest, SPRINGENS. *de Apanagio Cap. XI. §. XVII.* quamuis, ne pecunia nimis exhauriatur prouincia, pleraeque illustres familiae pactis cauere soleant, quid singulis feminis principibus nupturis a prouincialibus debeatur. Quae omnia multo post nata esse, quum iam dotes feminae necessariae haberentur, facile vnusquisque animaduertit.

§. CCXLIV.

Quamuis vero paullatim inualesceret, vt et Varia vxor marito, et maritus vxori, aliquid bonorum promitteret: variis tamen admodum vocabulis utebantur in designandis istis lucris nuptialibus. *) In diplomate Ermesin-
 N 3 dis, maritalium.

dis, Comitum Luzemburgicae, Margaretha Barrensis, nuptura Henrico Comiti Luceburgico, anno MCCXXXI. sponso adfert *Lineyrum et Castellaniam*, cum dependentiis, hominiis et dominiis, idque vocatur MARITAGIVM: Henricus vero promittit, *se DOTATVRVM Margaretham septingentis libris terrae in castello et castellania, in hominiis et dominiis.* MIRAEVS *dipl. Belg. Lib. II. Cap. LXXXVIII. p. 395. sequ.* In diplomate Alberti I. Imperatoris apud LEIBNIT. *Cod. dipl. Tom. I. p. 40.* id, quod Rudolphus Dux, eius filius, forori regis Franciae promittit, DOTALITIVM, vel DONATIO PROPTER NVPTIAS; quod rex Franciae daturus erat, DOS adpellatur. Quae vocabula etiam occurrunt in instrumento dotali anno MCCXCIX. apud DACHER. *Spicileg. Tom. VIII. p. 259.* Contra in diplomate Casimiri, Regis Poloniae, apud LVDEWIG. *Reliqu. MSC. Tom. V. p. 592.* id, quod sponsa adfert anno MCCCIV. vocatur DONATIO PROPTER NVPTIAS; quod sponsus promittit, DOS dicitur. Adeo ipsas veluti linguas simul confudit iuris Romani et Germanici confusio.

*) Quin promiscue paene vsos esse veteres vocabulis, *dos, dotalitium, donatio propter nuptias, sponsalitium*, multis exemplis constat, quorum quaedam collegit ill. a LVDEWIG. *Diff. de dote mariti p. 28. sequ.* Sic Richardus, Dux Normannorum, anno MXXVI. Adelae, coniugi, dat aliqua, *de IVRE DOTALI, vel LEGE DOTIS, vt iuxta nobilitatis suae lineam dotata sibi iungatur.* Et tamen eam dotem postea vocat *cessionis DOTALITIVM.* DACHER. *Spicileg. Tom. VII. p. 203. Et Tom. VIII. p. 165.* in alio instrumento dotali, anno MCIX. scripto, id,

id, quod vxor marito adfert dos; quod maritus vxori promittit, DONATIO PROPTER NVPTIAS, vel SPONSALITIVM adpellatur. Quam ambiguum vocabulorum notionem confusio iuris Romani et Germanici debere, nemo non animaduertit.

§. CCXLV.

Paullatim quoque mos inoleuit, vt veluti Dotaliti-
 coniungerentur dos muliebris et donatio ista ^{tii, do-}
 propter nuptias, *) a viro constituta, (licebit ^{rii, vi-}
 enim iam ore Romano loqui, *) et ex summa ^{dualitii}
 illa vel vsurae promitterentur futurae viduae, ^{origo.}
 vel ei certae praefecturae et praedia adsigna-
 rentur, ex quibus tantae aestimationis fru-
 ctus caperet. Idque vocatum est DOTALI-
 TIVM, DOARIVM, VIDVALITIVM, *das Witthum,*
Leibgedinge. IVS FEVD. SAX. Art. XXXI. *Ein*
Leibgeding ist eine Gabe, die ein Mann seinem
Weibe giebet an Früchten oder Zinsen. Dota-
 litii autem vocabulum Gallis, Anglis, Belgis,
 Italis, multo ante familiare, demum saeculo
 XII. sub Imperatoribus Hohenstauffis, Ger-
 manis innotuisse, suspicatur GVNDL. *de emt.*
vxor. Cap. II. §. II. p. 52.

*) Nec tamen ea donatio semper, vt apud Roma-
 nos, erat doti aequalis, sed aliquando duplo ma-
 ior. Exemplum ex LVD. ANT. MVRATORI *Antiqu.*
Estens. Tom. I. Cap. XXXIX. p. 381. iam eruit lau-
 datus GVNDLING. *ibid. §. XXIV. p. 56.* vbi anno
 MCCIII. Azo, *Estensis marchio,* in publico conuen-
 tu baronum Lombardiae *warantavit et professus*
fuit, se accepisse in DOTE. a Domina Aliz, filia
quondam Rainaldi, Principis Antiocheni, quam
in matrimonio sibi receperit, duomillia marcharum
argenti, ac inde iure pignoris et DONATIONIS PRO-
PTER NVPTIAS inuestiuisse Dominam Aliz de tantis

de suis bonis et possessionibus et immobilibus, ubicumque habeat, vel adquirere debeat, ut valeant DVPLVM SVPRASCRIPTAE DOTIS et DONATIONIS.

§. CCXLVI.

Nec non **augmen-
ti dotis.** Quum itaque non semper aequalis doti esset donatio illa propter nuptias: (§. CCXLV.*): ad id, quod infra dotis illatae summam datur, exprimentum nouo opus erat vocabulo, ad quod aptissimum videbatur **AVGMENTVM DOTIS**, *) *die Verbesserung* a donatione propter nuptias in eo diuersa, quod nec doti semper aequalis fuit, nec iure proprietatis ad vxorem semper peruenit. Quale fere fuisse Graecorum inferioris aevi *ὑπεβολῶν*, patet ex descriptione **ATTALIATAE** in *Synopsi iur. Graec. tit. XXVII.* apud **LEYNCLAV.** *Iur. Graeco Rom. Tom. II. p. 25.*

*) Alioquin iure Romano **AVGMENTVM DOTIS** erat, quod mulier vel eius pater, addebat doti datae, datae, vel promissae, idque iisdem iuribus, ac ipsa dos gaudebat. *l. 26. §. 2. ff. de pact. dot. l. 8. C. de iure dot.* Tria vero huius accessionis genera facit **HOTOMAN.** *de dote n. IX. sequ.* primum, si initio mille sint promissi, et postea addantur quingenti: *Nou. XXII. Cap. XXXI.* alterum, si maritus quidem, mille acceperit, et apocham tamen mulieri dederit in maiorem summam: *l. 2. C. de dote caut. non numerat.* tertium, si proprietati nudae in dotem datae vsusfructus postea accedat: qui casus est in *l. 4. ff. de iure dot.* Germani vero secundum tantum genus receperunt, et plus repromiserunt vxori, quam ab ea dotis nomine acceperant, idque vocarunt *die Verbesserung.*

§. CCXLVII.

§. CCXLVII.

De MORGENGABA, eiusque apud gentes Germanicae originis tantum non omnes vsu, iam supra, quantum satis est, diximus. (§. CCXIV.) Iam addimus, in illa donatione nuptiali dominium consequutam esse vxorem, *) quum dos plerumque, saltim si liberi extarent, iure tantum vsufructuario ad viduam pertineret, et postea etiam dotalitium morte expiraret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XX. Die Frau erbet die Morgengabe auf ihre Erben, vnd mag damit thun vnd lassen, was sie will; aber Leibgeding nicht.*

*) Probat hoc etiam diploma GERTRVDIS, viduae *Henrici de Brandenberch*, quod edidit ill. BOEHMER. *de secund. nupt. illustr. perf. Cap. II. §. XLII.* quò vidua illa *allodium, situm in Griezzenpach, ad se DONATIONIS titulo pertinens, quod MORGENGAB vulgariter nuncupatur, cultum et incultum, quaesitum et inquisitum, cum omnibus attinentiis ecclesiae S. Petri in monte liberaliter et absolute ordinat, testatur, tradit et legat. Acta sunt apud Rosenbayn, anno Domini MCCLXXII. III. Id. Septembr. Indiç. I.*

§. CCXLVIII.

Itaque, iure Romano in Germania recepto, adeo a moribus patriis paulatim descitum est, vt DOTIS nomen et priuilegia acciperent res, a muliere sponso promissae, vera dos Germanica in DONATIONIS PROPTER NUPTIAS naturam mutaretur, et in MORGENGABA tantum, et AVGMENTO DOTIS, quod quibusdam locis vsu receptum est, aliquod prisca moris vestigium superesset, quamuis inter illustres et ingenuos ius Romanum citius

Ius mu-
lieris in
morgen-
gaba et
dote.

Ius Ger-
mani-
cum vsu
iuris
Rom.
maxime
corru-
ptum
est.

haec tropica instituerit, quam inter plebeios, *) apud quos morgengabae et dotalitii rarior usus est, et sero demum dotes muliebres et donationes propter nuptias admiffae sunt.

*) Cuius rei hanc reddideris rationem, quod ius Romanum et canonicum citius in principum palatia, quam in tuguria priuatorum, penetrauit. LEIBN. praefat. Cod. iur. gent. dipl. Itaque ob illam quoque connexionem gentium Christianarum, quae ex vetere Romanorum potentia superfuerat, factum videtur, ut leges Romanae prope instar iuris gentium communis haberentur. Et paucis interiectis: principes liberos in contractibus et foederibus, in testamentis, aliisque iuris gentium vel publici actibus, easdem leges Romanas seruare solitos, ex hoc ipso codice nostro passim adparet, ita ut interdum in formulis iuris nimii videri possint. Denique additis exemplis: Alibi, inquit, non contenti, renunciare legum auxiliis, etiam renunciant glossis et summis.

§. CCXLIX.

Defini-
tiones
dotis,
dotali-
tii, mor-
genga-
bae, et
aug-
menti
dotis.

Itaque dos Germanica fuit pecunia, uxori data eum in finem, ut vidua inde vitam pro dignitate toleraret. DOTALITIVM, ex allodio debitum, cum dote Germanica fere conuenit. Est enim et ipsum pecunia vel usufructus, quem maritus uxori, ad tuendam in viduitate dignitatem, in allodio constituit: at, quoties ex feudo praestandum est, ponit illatam ab vxore dotem, cuius in compensationem futurae alimentis vidua certos redditus ex praedio feudali, vel vsuras decuntes illatae dotis et donationis propter nuptias, ad dies vitae percipit, *) Per MORGENGABAM intelligimus dona-
tionem,

tionem, uxori postridie nuptiarum factam, in signum initi consortii omnis vitae, iurisque uniuersi cum uxore communicati. Denique AVGVMENTVM DOTIS est *lucrum*, recepta dote muliebri, uxori repromissum in vicem dotis, olim a marito constitutendae.

- *) *Dos Germanica aequae, ac dotalitium, ordinarie uxori dabatur ad dies vitae, adeoque verus erat usufructus. Sic Alabertus quidam apud CAR. DV FRESNE in Gloss. Lat. Tom. II. p. 170: Hanc autem hereditatem tibi dono, tali videlicet ratione, ut, si ex nobis heredes non remanserit, post tuum discessum ad propinquos meos reuertatur. Conf. MIR. donat. piar. Cap. XCIX. p. 107. et diploma apud LEVKF. Antiqu. Poeld. p. 104. At pacta tamen utriusque legem dabant, et hinc aliquando id emolumentum vxor capiebat, dum vidua maneret, aliquando plenum eius dominium capiebat. Prioris generis exempla sunt varia. In pactis enim dotalibus Henrici I. Regis. Germ. legimus: Et ut cuncti cognoscant, eo modo, et ea ratione, si nobis superstes exstiterit, et in sanctae viduitatis pudicitia permanserit, praedicta loca ei concedenda tradidimus. Contra nec posterioris generis defunt exempla. Nam, ut alia praetermittam, Otto II. anno DCCCCLXXII. Theophaniae constituit dotem luculentissimam, additque: Ea per hanc nostri praecepti pagiuam eidem sanctissimae et dilectissimae Theophaniae sponsae nostrae, concedimus, donamus, penitusque largimur, et de nostro iure et dominio in eius dominium iusque transfundimus et delegamus, -- quatenus iure proprietatis ea omnia habeat, teneat, firmiterque possideat, sitque sibi potestas donandi, vendendi, commutandi, vel, quod exinde iuste decreuerit, faciendi, omnium hominum contradictione remota. LEVKFELD. Antiqu. Poeldens. p. 206. sequ.*

§. CCL.

Axioma-
ta de his
lucris
nuptiali-
bus.

Inde ergo colligimus, I. DOTIS a marito constitutae vsufructum duntaxat vxorem ordinarie percepisse. II. Eam postea commutatam esse in donationem propter nuptias, ex eo tempore, quo mulieres dotem inferre coeperint. III. DOTALITIVM in allodio cum dote conuenire; in feudo vel in vsufructu, vel in vsuris certae quantitatis, consistere, IV. MORGENGABAE plenum dominium transire ad vxorem, vti et V. AVGMENTI DOTIS: quod ipsum quoque in locum dotis Germanicae alicubi successisse, arbitramur.

§. CCLI.

Dotis
Germanicae
natura.

Quum ergo DOTIS vsufructus duntaxat olim ad vxorem ordinarie transfret, (§. CCL, I.) nisi pactis dotalibus aliter fuisset conuentum: (§. CCXLIX. *) consequens est, 1) vt, si liberi exstarent, dos regulariter ad dies vitae ad vxorem pertineret, ac post eius demum obitum ad liberos rediret; 2) sin deessent liberi, ea, finito vsufructu, ad proximos heredes deuolueretur, saepe tamen, 3) saltim in hunc casum, ipsa proprietates penes viduam maneret, idemque 4) obtineret, si conuenisset, vt dos in perpetuum vxoris dominium transiret; quo casu 5) et vendi, et alienari, et in pios vsus conuerti dos poterat. *) 6) Vt horum nihil liceret, si vel sub viduitatis conditione, vel ad dies vitae, dos esset constituta.

*) Et haec causa vel maxime mouisse videtur matronas illustres, vt in rebus dotalibus proprietatem ac dominium sibi stipularentur, ne deessent bona, quae conferrent ecclesiis, quibusque, vti tum loqui solebant, animam redimerent. Sic sane Mathildis, Henrici I. Regis vxor, pleraque oppida et praedia, sibi dotis loco data, in coenobia commutauit, quamuis, quum ad dies duntaxat vitae, et sub conditione viduitatis data essent, hoc ipso non leuem indignationem incurreret filiorum, et maxime Ottonis M. VIT. MATHILD. *Cap. apud LEIBNIT. Script. rer. Brunsv. Tom. I. p.* Nec minus Wiltrudis, Giselberti, Lotharingi, filia, Bertholdi Bauari vidua, parthenonem Bergensem excitauit e bonis dotalibus. *RVND. Metrop. Salib. p. 147.* Sed et Agnes, Henrici, Palatini, et Ducis Saxoniae, vidua, dotis loco a marito acceperat, decimam metallorum in monte Ramelino iuxta Goslarium, quam tamen Ottoni, Duci Brunsvicensi, pro mille et centum marcis puri argenti cessit, solutisque sibi DCCCCXV. marcis, pro reliquis LXXXV. marcis proprietatem sibi stipulata est in *Ifenhagen*, vbi deinde anno MCCXLV. monasterium Cisterciensium condidit. *LEVKF. Antiqu. Poeld. Cap. XVIII. §. II. p. 103. sequ.*

§. CCLII.

Quum vero deinde, iuris Romani vsui Eius adfueti, Germani dotem illam paullatim in mutationem propter nuptias commutarent: in donationem (§. CCL, 2.) facile est ad intelligendum, 7) propter cur inuenta sint noua vocabula, dosque illa nuptias. dici coeperit *eine Wiederlage, Gegensteuer, Gegenvermächtnis, Verweiß, Gegengeld*: curque 8) ea plerumque aequalis esset doti illatae, idque 9) et hodie maxime inter coniuges illustres obseruetur. *)

*) Vnde

*) Vnde formulae pactorum dotalium: *Gegen obgefetzte 32000. Gulden Heuraths-Guts wollen wir gedachter Princeffin, N. als vnserer künfftigen geliebten Gemahlin, auf vnsern Aemthern vnd Schlöffern N. N. sambt denen dazugeböhrenden Dörffern, Höffen, Vorwerckern, Renthen vnd Zinsen, Gehölzen, Fischereyen, Jagden, Gerichten vnd Gerechtigkeiten, 32000. Gulden Heuraths-Guths, vnd dann 32000. Gulden Wiederlegung vnd Gegengeldes, welches dann in einer Summa 64000. Gulden austräget, verschreiben: cetera.* Plures huiusmodi pactorum dotalium formulas dedit ill. LVDOLPHVS in *Adpend. libri de iure femin. illustr.*

§. CCLIII.

Natura
dotalitii
in al-
odio con-
stituti.

Quum porro DOTALITIVM in alodio constitutum cum dote Germanica conueniat: (§. CCL, 3.) consequens est, 10) vt debeat, siue vxor dotem intulerit, siue non intulerit, siue plane indotata sit: 11) vt et in vsufructu fundorum praediorumque consistere possit, quo casu vocatur *eine Leib-Zucht*, et 12) in vsuris certae pecuniae vel fortis. 13) Vt ne ad vitae quidem dies hoc lucro ordinarie fruatur vidua, sed illo excidat, si ad secunda vota transeat, nisi adiecta sit ea conditio, vt, non obstantibus secundis nuptiis, dotalitium per omnem vitam percipiat. *) DN. BOEHMER. *de secundis ill. person. nupt. Cap. II. §. XXXVII.* 14) Vt ad constituendum huiusmodi dotalitium nullius opus sit consensu, idque 15) ab heredibus omnibus abscisse praestandum sit. Denique 16) vt nihil obstat, quo minus pactis et ius proprietatis in dotalicio relinqui possit viduae, adeo vt et in er
VIROS

viuos et mortis cauffa de eo difponere poffit femina.

*) Eoque pertinet exemplum Elifabethae, reginae Boemiae, quae conftitutum a Wenceslao, Boemiae rege, dotalitium non modo, quoad vidua manfit, retinuit, verum etiam ad alterum maritum, Rudolphum, Auftriacum, tranftulit, eoque ad dies vitae frui ta eft. Vid. HENEL. *de iur. dotal. Cap. X. §. XVII.* PETR. MULLER *de odio fecund. nupt. Cap. II. thef. IV.*

§. CCLIV.

Quandoquidem vero dotalitium in feudis Nec non in compensationem dotis datur, (§. CCXLIX.) in feudo. et plerumque in vfufructu fundorum, vel vfuris certae fortis, confiftit: (§. CL, 3.) fequitur 17) vt non nifi dote illata praefandum, adeoque 18) illatio probanda fit, quamvis 19) hac probatione femel defuncta vidua, non item probare teneatur verfionem in feudum. LVDVICI *de probat. illat. dot. §. XXXI.* 20) Vt conftituti dotalitii quantitas confiftat in quadruplicatis vfuris dotis, vel, quod perinde eft, in duplicatis vfuris dotis ac donationis propter nuptias, in vnum conflatae. 21) Vt ordinarie duret ad dies vitae, fed 22) pofttea abforbeat dotem et donationem propter nuptias, et hinc 23) aliquando optio fit viduae, dotem ne repetere, an dotalitio frui malit. 24) Vt, vidua ad fecunda vota tranfeunte, non quidem exfiret dotalitium, fed plerumque tamen perfonae illuftres heredibus ftipulari foieant ius, illud, foluta certa pecuniae fuma, reluendi. *)

*) Hinc

*) Hinc passis dotalibus insertam aliquando legitimus formulam: *Da sichs aber nach dem Willen des allmächtigen Gottes begeben möchte, daß Fräulein N. ihren Ehegemahl Herrn N. überlebete, und nachdem sie ihr Wittthum angenommen, ihren Wittwenstand verändern, und sich zur zweyten Ehe begeben würde, sie hätte gleich mit Herrn N. Kinder, oder nicht: so soll sie alsdann schuldig seyn, von dem ihr eingeräumtem Wittthum-Sitz und dazu gehörigen Pertinentien, und mit übergebenen Inuentario, Abstand zu thun, jedoch nicht anders, sie habe dann zuvor entweder --- Rthlr. empfangen, oder wegen jährlicher Zinsen von --- Rthlr. auf ihre Lebens-Zeit gnugsame Versicherung erhalten.*

§. CCLV.

Eius
constitu-
tio et
natura.

Illud quoque obseruandum, 25) dotalium, quia in compensationem dotis debetur, non modo ab heredibus feudalibus, verum etiam 26) ab agnatis et simultanee inuentitis, quin et 27) a domino, cui feudum apertum est, praestandum esse, 28) siue a defuncto promissum sit, siue non, nisi priore casu iusto plus, e. g. vsurae centesimae, vel sesquicentiesimae promissae sint, CARPZ. *Part. II. Const. XLII. def. V.* vel dotis illatio non probari, vel non illata dos cum vsuris non offerri a vidua possit. COLER. *Part. I. dec. LXIII. n. III.* CARPZ. *Part. II. const. XLIV. defin. XI. et XII.* Ex quo facile patet, 29) dotalium non tam debitum esse, quam onus feudale, quod ad omnes possessores, etiam, qui in id non consenserunt, *) transit. CARPZ. *Part. II. Const. XLVI. def. XXV.*

*) Modo

*) Modo iustus et legitimus dotalitii modus servatus fit: alioquin enim agnatorum pariter ac simultanee inuestitorum, et dominorum, consensus requiritur. SCHVLZ. *Synops. Feud. Cap. VIII. n. 237. sequ.* eoque deficiente, irritum habetur, quod ultra modum promissum est. COLER. *Part. I. Dec. LX. n. XX. XXI.* Hinc hodie, evitandarum litium causa, plerumque peti solet domini consensus, quem tamen non facile impetrat, nisi qui agnatorum quoque consensum impetrauit, MOLLER *ad P. II. Cons. XLII. n. XI.* quamvis, his praeter ius et aequum consensum denegantibus, Princeps et sine illis consentire possit. RICHT. *de priuil. cred. Cap. III. sect. I. n. LXIX. p. 251.* HENEL. *de dotalit. Cap. VI. n. V.*

§. CCLVI.

Ex eodem colligas, 30) dotalitium in locum dotis surrogari, ac proinde 31) viduae ratione illius non modo tacitam hypothecam in bonis mariti competere: BRVNNEM. *ad l. vn. C. de rei vxor. act.* verum etiam 32) ius retentionis bonorum, tum feudaliū, tum allodialium: MYNS. *Cent. VI. Obs. XLV. n. XXXIII.* nec non 33) ius praelationis, si res ad creditorum concursum peruenerit: SCHROET. *de dotalitio Cap. III. §. IV.* ac denique 34) ius optionis, ita comparatum, vt vel dotalitium eligere, vel dotem repetere, vel utroque repudiato, portionem statutariam exigere possit. SCHROET. *ibid. Cap. IV. §. VII. et VIII.*

§. CCLVII.

Contra ex his principiis facile intelligitur, 35) dotalitium, quippe ex regula vsumfructum, Quomodo cesset?

ctum, cessare, non modo morte viduae, verum etiam 36) vsu eius peruerso, IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXI.* et ibi GLOSS. et *Lib. II. Art. XXVIII.* nec non 37) alienatione eiusdem, seu cessione, extraneo facta, RICHT. *Vol. II. Consil. CCCCXLVII. n. IV.* inprimis vero 38) adulterio, ab vxore commisso, quo crimine exprobrato, viduam heredes etiam repellere possunt, si maritus eam accusationem praepararit, SCHVLZ. *Synopsf. ibid. n. CCLV. CARPZ. Part. IV. Const. XXI. def. IV.* non si hic eius delicti gratiam vxori fecerit, siue expresse, siue tacite, ipsoque facto. MOLLER *Semestr. Lib. III. Cap. XIII. n. II.* MENOCH. *de praesumpt. Lib. II. praesf. LXXVI. n. V.* Nec dubium est, quin 39) dotalitium exspiret caede mariti, vel 40) insidiis eius vitae structis, vel caussa morti praebita, SCHROET. *de dotalit. cap. IV. §. III. sequ.* nec minus 41) praescriptione, rei interitu, ac renunciatione voluntaria. SCHROET *ibid. §. VI. sequ.*

§- CCLVIII.

Mor-
genga-
bae na-
tura et
consti-
tutio.

Quumque MORGENGABA in signum communicati omnis iuris detur: (§. CCXLIX.) consequens est, 42) vt quamuis eius apud Langobardos modus fuerit legitimus, puta quarta pars bonorum, (§. CCXVI.) hodie tamen 43) in cuiusque arbitrio positum sit, quantum vxori dare velit: 44) Vt ea donatio viduae non minus, quam virgini, fieri possit. Ill. A LVDEWIG *Comment. in aur. ball. Tom. I. tit. XXV. §. V. p. 549.* GVNDL. *de emt.*

emt. vxor. Cap. IV. §. XXVI. Cuiusmodi exemplum existat apud IO. IS. PONTAN. *in Hist. Gelr. Lib. VIII. pag. 363.* 45) Vt tamen ea plerisque locis non debeatur, nisi promissa. BEYER. *Spec. Iur. Germ. Lib. II. Cap. XVI. §. XIV. sequ.*

§. CCLIX.

Et quia porro eius domi matutini plenum ^{Ius vxor-} dominium ad vxorem transit: (§. CCL, 4.) ^{ris in il-} sequitur sane, 46) vt liberis prioris matri-^{la.} monii nihil in eam iuris sit; sed 47) vxor liberam habeat de eo disponendi facultatem, idque 48); sibi velint verba: *wie morgengabs recht und gewonheit ist*, quae in plerisque instrumentis, super illo confectis, reperiuntur, (vid. exempla apud GVNDLING. *de emt. vxor. Cap. IV. §. VIII. pag. 124.* et BOEHM. *de secund. illustr. pers. nupt. Cap. II. §. XLII. pag. 167. sequ.*) et in iisdem ita fere explicantur: *Vnd sollen unsere künftige Gemahlin, Fräulein N. Liebden mit der Morgengabe, als ihrem freyen Eigenthum, nach ihrem Gefallen zu schalten und zu walten berechtiget seyn, wie Morgengabs Recht und Gewonheit ist.* 49) Vt ab hoc dono matutinali differat morgengaba, quae, mortuo marito, viduae ex eius bonis, et pecoribus in primis, iure Germanico debetur, de qua, nec non de *cibariis*, (*Mußtheil*), *utensilibus* (*der Gerade*), *superuita* (*vom Eingeschneitel, Hussenband* *) similibusque iuribus, hic plura dicere non vacat.

*) Rectius HVBENBAND, quasi HAVBENBAND, quod significat fasciam illam, qua olim matronae vitam capiti adstringebant. In Ducatu vero Slesuicensi et Holfatico eo nomine venit praecipuum, quod viduae nobili ex marito bonis debetur, veluti usufructus annuus praedii, ita tamen, ut confitos agros heredibus relinquat, vel si mariti substantia in pecunia et nominibus consistat, vrsurae annuae. Quibus iure communionis accedit dimidia pars supellestilis adquisitae, exceptis fixis vinctis, lanae, lini, auri et argenti facti, animalium, pecuniae paratae, non tamen foenebris, aliarumque quam plurimarum rerum, quas prolixius enumerat constitutio, inserta *der reuidierten Landgerichts-Ordnung der Hertzogthümer Schleßwig vnd Holftein. Part. IV. Tit. V. p. 97. sequ.* et illustrata a V. C. FRANC. ERN. VOGT *dissert. de iure coniugum in bona. Kib MDCCXIV.*

§. CCLX.

Aug-
menti
dotis
natura.

Denique quum augmentum quoque dotis, (*die Verbesserung,*) alicubi in locum dotis Germanicae successerit: obseruandum est, 50) id non vbique in Germania, sed maxime in noua Marchia, Pomerania et terris Mecklenburgicis, obseruari. 51) Hoc quoque non deberi, nisi illata dote, adeoque et illud esse speciem donationis propter nuptias, (*eine Wiederlage,*) nisi quod 52) illatae doti non esse foaleat aequale, sed ultra dotem mille imperia- lium, quingenti loco augmenti promitti consueuerint. MEV. *Part. V. Decif. LXII. et Part. II. Dec. CCXXIV.* 53) Ius hoc ex moribus cuiusque prouinciae aestimandum esse, non ex iure communi, quod hoc augmentum, quale in Germania obtinet, plane ignorat. MEV. *Part. VII. Dec. CXXIX.*

TIT.

TIT. XII.

DE POTESTATE AC TUTELA
MARITALI, BONORVMQVE COM-
MUNIONE INTER CONIV-
GES IN GERM.

§. CCLXI.

Vidimus, quo ritu nuptias apud Ger- Instituti
manos inierint, hodieque ineant viri ratio.
et feminae, quaeque dotium, similibus Potestas
que lucrorum nuptialium apud eosdem sit maritalis
ratio. Proximum est, ut de potestate, qua quoru-
maritus in uxorem, constante matrimonio, plex?
utitur, *) et statu utriusque coniugis, paul-
lo distinctius agamus. Quum vero ea ma-
riti potestas vel ad PERSONAM VXORIS,
vel ad COMMUNIA BONA pertineat: de
posteriore nonnulla praemittenda videntur,
sine quibus prior satis intelligi non posse
videtur.

*) Adfuerit nos oportet loquutionibus Germanicis.
Eorum enim iure nihil interesse inter *potestatem*,
tutelam, *mundium*, iam supra vidimus. (§. CXXXII.)
Et hinc promiscue viro modo *potestatem* in uxorem
tribui animaduertimus, veluti in LEGE WISIG. *Lib.*
IV. tit. II. §. XV. LEGE BVRG. *Additam. I. tit. XIII.*
LEG. LANGOB. *Lib. II. tit. X. §. I.* LEG. NORMANN.
Lib. II. Tit. XXXVI. §. III. et IV. apud Ill. a LVDW.
Reliqu. MSS. Tom. VII. p. 338. modo *mundium*, ve-
luti in LEGE ALAM. *tit. LIV. §. I. sequ.* modo *tute-*
lam, veluti in IVRE PROV. SAX. *Lib. I. Art. XLVIII.*
IVRE PROV. SVEV. *Cap. CCCIX. edit. Schannati.* IVR.
HAMB. *Part I. tit. IX. §. I.*

§. CCLXII.

Bono-
rum
commu-
nio inter
coniu-
ges quo-
tuplex?

Primum itaque, quod ad res et bona atti-
net, communionem rerum omnium inter
Germanos coniuges paullatim inualuisse, his-
que moribus non modo Germanos, verum
etiam Celtas vniuersos, vixisse, satis constat.
Id modo obseruandum, communionem il-
lam apud alias gentes VNIVERSALEM fuisse, et
bona omnia, quae alienari possent, com-
prehendisse, apud alias PARTICVLAREM, et
certum tantum bonorum genus adfecisse.

§. CCLXIII.

Ea obti-
nuit a-
pud Gal-
los.

Apud Gallos coniuges communia habuif-
se bona videntur, tum ea, quae contulerant,
tum quidquid inde communi industria rei-
que familiaris cura adquisuerant. Quantum
ergo ad maritum attulisset vxor, tantum in
commune conferebat maritus, finitoque ma-
trimonio, quidquid inde quaesitum fuerat, ae-
qua lance inter superstitem et defuncti here-
des diuidebatur *) Testem eius rei laudare
possumus CAESAREM, cuius locum ex *Lib. VI.
de bell. Gall. Cap. XIX.* iam supra attulimus.
(§. CCXXXIII, *)

*) Eius rei ratio non obscura est. Nam iam a STRA-
BONE *Lib. III. p. 105.* obseruatum est, Celticas mulie-
res agros coluisse, et inter operas ipsas saepenumero
infantes lauasse et inuoluisse; quin fuisse quem-
dam, qui viros et mulieres conduxerit ad fossio-
nem, ex his vero vnam, partus doloribus correptam,
edidisse foetum, et ad opus extemplo rediisse, ne
mercedem amitteret. Add. DIOD. SIC. *bibliorb. Lib.
IV. Cap. IV.* VARR. *de re rust. Lib. II. Cap. X.*

§. CCLXIV.

§. CCLXIV.

Quid in Germania TACITI temporibus ob- An et
tinuerit, ex eius descriptione non adeo per- apud ve-
spicuum est. Communionem tamen bono- rustissi-
rum et illis placuisse coniugibus, ex eo col- mos
ligunt, quod vxorem *laborum periculorum- Germanos?*
que sociam venisse, scribit in *libello de mor.*
Germ. Cap. XX. Ita sane TACITI verba inter-
pretantur GROT. *antiqu. reip. Batau. Cap. II.*
et CHRIST. RODENBURG. *de inre coniug. prae-*
lim. §. III. sequ. pag. 6. Quamvis itaque non
adeo certum sit, quam late in Germania ma-
gna patuerit bonorum communitio: tamen in
eo vel maxime a Romanorum moribus dis-
crepasse videntur eorum consuetudines, quod
coniuges nihil inter se diuiduum haberent,
sed commune putarent, quidquid alteruter
sive labore, siue fortunae beneficio, acqui-
sisset. *)

- *) Communionis sane huiusmodi legitimae in iurispru-
dencia Iustiniana nec vola, nec vestigium, ex-
stat: quamvis vtriusque voluntate' contrahi pos-
set, modo non donationis causa contraheretur.
l. 16. §. 3. ff. de alim. et cib. leg. l. 32. §. 24. ff. de
donat. int. vir. et vxor. Potius sollicitae Roma-
nae leges discernebant maritorum vxorumque bo-
na, ceu patet ex *l. 31. ff. solut. matrim.* An-
tiquo tamen iure Romanorum ita erat compara-
tum, vt vxor, simul ac farre in manum conuenisset,
fieret κοινωνός ἰσθῶν τῆ καὶ χρημάτων, *consors*
sacrorum bonorumque. DIONYS. HAL. *Antiqu. Rom.*
Lib. II. p. 95. Et hinc COLVMELLA *de re rust. Lib. XII.*
praef. vbi de coniugum Romanorum veterum so-
cietate agit: Erat, inquit, olim summa reuerentia,
cum concordia et diligentia mixtu, flagrabatque
mulier pulcherrima diligentiae acmulatione, studens
O 4 *negotia*

negotia viri cura sua maiora, et meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo DIVVIDVVM, nihil, quod aut maritus, aut femina, proprium esse iuris sui, diceret.

§. CCLXV.

Maritis
vtrobi-
que
summa
in vxo-
res pote-
stas.

Neque tamen haec bonorum inter coniuges communio vel *κοινωνία* obstabat, quin minus marito admodum strictum in vxorem imperium, summaque potestas esset. Quem admodum enim Romuli temporibus vxor, uti paullo ante ostendimus, particeps sacrorum bonorumque habebatur, et tamen non fecus, ac filiafamilias, in manu ac potestate mariti erat: ita apud Gallos *viri*, quantum bonorum, uti supra vidimus, communionem cum vxoribus, contraherent, in has tamen, *sicuti in liberos, vitae necisque habebant potestatem*, teste CAES. *de bell. Gall. Lib. VI. cap. X.* idemque ius viris in veteri Germania fuisse, vel inde patet, quod *adulterii poenam*, eamque satis acrem, *praesentem et maritis permissam fuisse*, scribit TACIT. *de mor. Germ. Cap. XVIII.* ut dubitari nequeat, quin potestatem viris in vxores amplissimam dederint maiores nostri, *) illucescente demum Christiana pietate, paullatim imminutam.

*) Rigidior illa potestas non male cohaerere videtur cum Germanorum principiis. Quum enim hi sibi vxores coemerent, communisque hic ritus nuptialis esset Germanis omnibus: (§. CLXXVIII.) quid aequius videbatur, quam vxorem suo cuiusque aere coemtam, in emtoris mariti potestate, ac veluti dominio esse? quum, uti ait MARTIALIS *Lib. II. Epigr. XX*

Id, quod emas, possis dicere iure TVVM?

Conf. Diff. de marito tutore et curat. uxoris legit.
Cap. II. §. IV.

§. CCLXVI.

Tenuere et postea haec principia quidam Germanorum populi, qui leges moresque patrios in scripturam redigere coeperunt. Quare facturos nos speramus operae pretium, si, quam diuersa medio hoc aevo fuerit haec communio, ex singulorum populorum legibus paullo distinctius ostenderimus. Id enim quum vulgo non animaduertant doctores: non mirum est, alios istam communionem plane in dubium vocare, alios eam communem putare Germanis omnibus, omniaque eodem modulo metiri, perinde ac si ab vnus gentis moribus ad omnium consuetudines certissimum ducere liceret argumentum.

Transi-
tio ad
mores
medii
aeui.

§. CCLXVII.

Primo itaque apud WISIGOTHOS ad quaestus tantum communis erat vtrique coniugi. Ait enim legislator *Lib. IV. tit. II. §. XVI: Dum cuiuscumque dignitatis aut mediocritatis mariti persona et uxoris fuerit nobiliter *) et competenter adiuncta, et pariter uiuentes aliquid augmentauerint, vel in quibuscumque rebus quidpiam profligasse visi fuerint, atque perueniat, (leg. per id eueniat) ut nunc ex his maioris rei et facultatis dominus sit: de OMNIBVS AVGMENTIS aut PROFLIGATIONIBVS, pariter conquisitis, tantam partem vnusquisque obtineat,*

Apud
Wisigo-
thos
commu-
nis erat
adquae-
stus.

obtineat, quantam eius facultatem fuisse, omnibus modis sibi debita vel habita possessio manifestat.

*) At quid, quaeso, est *nobiliter adiungi*? Quamuis hic variantem lectionem nullam notauerit LINDENBROGIVS: tamen ne dubitandum quidem videtur, quin legendum sit: *notabiliter*, id est, palam, ut vnusquisque sciat, eos coniuges esse, quod fit, si vna cubuerint, (*wann die Decke beschlagen ist.*) Ut tamen concubina ab vxore discernatur, additur, et *competenter* factam esse oportere coniunctionem, id est, ritibus apud WISIGOTHOS receptis, per *ἱερολογίαν*, de qua iam supra actum est.

§. GCLXVIII.

Qui tamen non aequaliter, sed pro rata bonorum, diuidetur.

Id vero notabile, apud WISIGOTHOS in diuidendo communi adquaestu non arithmeti-
cam, sed geometricam obseruatam esse rationem, ita, ut pro rata alteruter, eiusue heredes, tanto plus lucrarentur, quanto maiorem ille facultatum partem in commune contulisset. Minima tamen ne hic quidem curabat legislator, et si exiguum esset facultatum discrimen, id non impediabat, quo minus in aequales partes adquaestus ille diuideretur. *)

*) Et hic quidem sensus est verborum, sic satis obscurorum, quae in LEGE WISIGOTHICA *ibidem* sequuntur: *Ita ut si aequalis abundantiae domini sunt, pro paruis rebus contentionis intemperantiam non adsumant, quia difficile est, ut in tanta acqutate facultas eorum possit aequari, ne in quocumque videatur vna pars alteri superesse. Nam si euidenter vnius facultas alterius possibilitatem transgredi videatur, ut superius dictum est, iuxta quantitatem debitae possessionis erit et diuisio portionis, quam sibi post vnus-*

utriusque mortem vindicabit persona superstes, et aut filiis suis, aut propriis relinquat heredibus, aut certe de ea facere, quod voluerit, licentiam obtinebit.

§. CCLXIX.

Reliqua omnia, quae vel iure hereditario ad alterutrum coniugem peruererant, vel alterutri fortunae beneficio obtigerant, non erant utriusque communia, sed ad cuiusque heredes transmittentur. *) Nam paulo post additur: *Quod vero maritus aut de extraneorum lucris, aut in expeditione publica, adquisiuit, aut de principis, aut patroni, atque amicorum, collatione promeruerit, filii vel heredes eius ad integrum vindicabunt, aut, quod exinde voluerit iudicare, licenter illi erit plenam potestatem habere. Similis et in mulieribus conditio erit, si quorumcumque munere videantur aliquid percepisse.*

*) Quam legem Wisigothicam nescio an ob oculos habuerint arbitri, qui, diuortio facto inter Guilielmum Raimundi, Seneschallum, eiusque uxorem Beatricem, inter alia sanxerunt, ut feudum singulis annis Beatrix per sex menses, tantumdemque tempus Guilielmus Raimundi possideret, donec illa alii marito nubat: feudum tamen illud post obitum Beatricis maneret filiis vel filiabus de Guilielmo Raimundi in se procreatis. Diploma, scriptum anno MCXXXI. ex archiuo regio Barcinonensi edidit STEPH. BALVZ. in *adpend. actor. vet.* n. CLVI. p. 1558. Tom. II. Capitular.

§. CCLXX.

In legibus BVRGVNDIONVM nihil, quod ad illam bonorum communionem pertineat, occur-

Non vero communia erant reliqua bona.

Comunio bono-

rum a-
pud
Francos
ex lege
Ripua-
ria.

occurrit, multa contra, quae illi non pa-
rum refragantur. At apud FRANCOS iudem
fere mores, quos apud Wisigothos obserua-
uimus, obtinuerunt. Nam et apud hos
communis erat adquaestus, ita tamen, vt
vidua non portionem pro rata illatorum, sed
semper tertiam bonorum adquirentium par-
tem, caperet. LEX RIPVAR. tit. XXXVIII.
§. II. *Si maritus uxori per seriem scriptura-
rum nihil contulerit, si virum superuixerit, s.
solidos in dotem recipiat, et tertiam partem de
omni re, quam simul conlaborauerint, sibi fru-
deat euindicare.*

§. CCLXXI.

Ex capi-
tulari-
bus.

At postea, id quodammodo mutatum est,
fancitumque, vt ex adquaestu feudalium
tantum rerum tertiam partem caperet vxor,
reliquae res omnes inter viduam et heredes
aequa lance diuiderentur. CAPITVL. CARO-
LI M. et LVD. PII. Lib. IV. §. IX. *Volumus, vt
vxores defunctorum post obitum maritorum
TERTIAM PARTEM collaboratinis,*) quam simul
IN BENEFICIO conlaborauerunt, capiant: et de
HIS REBUS, quas is, qui illud beneficium habuit,
ALIVNDE adduxit, vel comparauit, vel ei ab
amicis suis collatum est, has volumus tam ad
ORPHANOS defunctorum, quam ad VXORES eo-
rum, peruenire.* Eadem repetuntur Lib. V.
§. CCXCV. ex iisque patet, adquaestum ex
feudis inaequaliter diuisum esse, allodium
ex aequis partibus commune vtrique coniu-
gi fuisse.

*) Hanc

*) Hanc tertiam conlaborationis partem et in Thuringia cessasse viduae superstiti, patet ex TRADIT. FVLDT. *Lib. II. Cap. II. apud PISTOR.* Id vero notatu dignissimum videtur, ipsas reginas tertiam illam thesauri, a regibus relictæ, partem, tamquam portionem adquæstus conjugalis legitimam, sibi vindicasse. AIMON. *de gest. Franc. Lib. II. Cap. XXXVI. Ibi, procurante Ega, Chodouaci, regis, palatium gubernante, omnis thesaurorum Dagoberti supellex in speciebus variis, muneribusque antea abditis prolata, ac inter fratres æqua est lance diuisa: TERTIA PARTE tamen ex omnibus, quæ Dagobertus ADQUISIERAT, postquam Nantbildem sibi sociauerat, ipsi Reginae seruata.* Gemina his sunt in APEND. GREG. TVRON. *Cap. LXXXV. p. 655. et in GESTIS DAGOB. Cap. XLVII.*

§. CCLXXII.

Ad SAXONES quod attinet, non parum Com- discrepabant Westphalorum ac Ostphalorum munio et Angriuariorum iura, quæ ita describit LEX bono- SAXON. *tit. VIII. De eo quod vir et mulier si- rum a- mul conquiesierint, mulier mediam portionem xones, at accipiat. Hoc apud Westphalaos: apud Ostfa- West- phalos sit dote sua.* Itaque apud Westphalos quo- tantum. que communis erat adquæstus, ita tamen, vt vidua non tertiam partem, vti apud Fran- cos, sed femissem istius, caperet. Apud Ost- falos vero et Angriuarios plane extra, vsum erat conjugalis illa societas.

§. CCLXXIII.

In legibus porro ALAMANNORVM, BOIOARIO-Reli- RVM, ANGLIORVM, FRISONVM, LANGOBARDO- quæ RVM nullum me reperisse fateor huius com- gentes eam munionis com-

munionem ignorasse videntur.

munionis vestigium. Omnes enim hae leges non nisi certam partem ex rebus mariti, iure vel ususfructus, vel proprietatis, vxori destinant, vel dotem, morgengabam, metam, wittemon dari iubent, nulla facta societatis aut communionis mentione, vt dici possit, toto illo tempore, quod a Taciti temporibus ad saeculum nonum vsque lapsum est, societatem illam coniugalem apud quosdam Germ. populos plane non obtinuisse, apud reliquos, vbi obtinuit, fere ad solum adquaestum pertinuisse.

§. CCLXXIV.

Sequentibus saeculis eam probant ius Saxonicum, Suevicum et Lubecense.

Nescio itaque, qui factum sit, vt posterioribus saeculis paene communis Germanis omnibus esse coeperit illa communio, adeo, vt et ii populi eam receperint, quos antea illam ignorasse, diximus, et quibusdam locis non modo adquaestus, sed et bona ipsa pleraque, communia haberentur. Sane ea in re conueniunt iura omnia Germanorum, quorum paullo latius patuit usus. IVS SAX. PROV. *Lib. I. Art. XXXI. Mann vnd Weib haben nicht gezweyet Gut zu ihrem Leben.* *) IVS PROV. SVEV. *Cap. XLVI. Mann vnd Weib mögent nicht gehalten Gut gezwayet: et Cap. XXXIV. Stirbt einer Frauen ihr Mann: sie bleibet in des Mannes Gut ungetheilet mit ihren Kindern.* IVS LVBEC. *Lib. II. tit. II. §. XII.* non exstantibus liberis, superstitem maritum semissem bonorum vxoris lucrari, alterum semissem cognatis vxoris reddi; viduam porro dimi-

dimidiam illatorum bonorum recipere, et reliqua aequa lance cum cognatis mariti diuidere iubet. Liberis exstantibus, superstes, in viduitate persistens, vsumfructum retinet: *Lib. II. tit. II. art. XI.* ad secunda vota transiturus maritus, arma et vestes optimas, vidua iterum nuptura annulum pronubum iure praecipui capit; reliqua cum liberis aequa lance diuidit, adeoque, et hoc iure veram esse inter coniuges communionem, nemo negauerit. Addatur *Lib. I. Tit. V. Art. VI.* vbi bona coniugum vocantur *gesamtes Gut*, et *Lib. II. Tit. II. art. XXVI. XXVIII. et XXX.* vbi dicuntur *gemeines Gut*. MEY. ad *Lib. I. tit. V. art. V. n. XVI. sequ.*

*) In ZOBELIANIS legitur: *Zu ibrem Leibe*, nullo sensu. Sequuntur enim in BOXSTORFFIANA verba: *Stirbt aber das Weib bey des Mannes Leib*, ex eaque oppositione manifestum est, in vetere exemplari Saxonico fuisse *zu öbrem Liue*: *Liue* vero hic non est *der Leib*, sed *das Leben*. Vid. HOFFM. de *comm. bonor. coniugal. §. II. p. 6.* Talia multa in recentioribus speculi istius editionibus, ad Misnicam dialectum inflexis, occurrunt, quae satis ostendunt, eius versionis auctorem parum peritum fuisse dialecti Saxonicae.

§. CCLXXV.

Quum itaque tria haec iura, quae olim in Germania veluti communia fuerunt, conspirent: non mirum est, et statuta plerarumque Germaniae ciuitatum hanc communionem; siue VNIVERSALEM omnium bonorum, siue GENERALEM adquiretorum, probasse. *Vniuersalem* inculcant leges SLESVICENSIVM, apud quos

Eadem viguit apud Slesuicenses et Holsatos.

quos obtinet paroemia iuris: *Wann die Decken über den Kopf ist, sind die Eheleute gleich reich.* CYPRAEVS *de spons. Cap. V. §. XXXV.* De simili coniugum EIDERSTADENSIVM et HYSVMENTIVM communionem agit celeberrimus VOGTIVS *in Dissert. de iure coniug. in bona. proleg. §. XIII.* De HAMBURGENSIVM denique STATVTA HAMB. *Part. III. tit. III. §. III. IV. et VIII.*

§. CCLXXVI.

In Westphalia.

In WESTPHALIA fere ybique obtinet vniuersalis illa bonorum communio. Pertinet huc STATVTVM MIND. *Lib. I. tit. XIII. art. VI.* quod omnia inter coniuges communia esse iubet, *es wäre dann Sach, daß solche Eheleute wieder dieser Statt vhraltet Herkommen vnd Gebrauch in denen Ehepacten keine Gemeinschaft ihrer Güter gemacht, oder von ihren Gütern ein gewisses sich vorbehalten haben.* De simili CLIVENSIVM et MARCANORVM *) consuetudine videndus ill. a LVDEWIG. *in dissert. de success. coni. et dissort. lib. Cap. V. §. III.* de communionem coniugum Rauenbergensium. HERT. *in Dissert. de societ. fact. contr. Sect. I. §. IV.*

*) Vbi tamen §. VI. obseruatur, eam bonorum communionem inter coniuges non obtinere inter nobiles, quod attinet ad bona, quae Ritter-Sitze vocantur, siue feudalia sint, siue allodialia. Nam in reliquis praediis ac rebus ius commune seruari, docet FELTMANNVS *de iure in re et ad rem Cap. XV. n. XXIX.*

§. CCLXXVII.

§. CCLXXVII.

Sed et in inferiore Saxonia hanc communionem religiose seruarunt BREMENSES, quorum in STATVTIS *Part. III. tit. III. §. I. ordel LXXXVI.* legimus: *So woor twee tefamende kahmen an echtschap, wat de hebben, dat is öbrer beyder na Stadt-Recht: Conf. V. A. CASP. A RHEDEN de Success. coni. secundum Statut. Brem. MODESTIN. PIST. Vol. II. Consil. II. pr.* De LVNEBURGENSIUM societate coniugali egit HARTW. A DASSEL *Consuet. Lüneb. Art. I. p. 149.*

In Saxonia inferiore.

§. CCLXXVIII.

Nec minus in superiore Saxonia his moribus vixerunt THVRINGI, apud quos Arnstadiensium statutum huiusmodi laudat MODEST. PISTOR. *Part. IV. quæst. CLXIV. pag. 417.* nec non Salzensium et Sangerhusanorum CARPZ. *Part. III. Const. XII. Def. VI. n. V.* Anhaltinorum similia olim fuisse iura conubialia, ipsa eorum IVRA PROV. *tit. XLV.* testantur, vbi referunt, *dass in denen Fürstl. Anhaltischen Landen viel wiedrige Gewonheiten sich enthalten, vnd die Frauen, die übergeblieben, an etlichen orten die Güter alle, an etlichen die Helffte genommen, wie viel Kinder auch vorhanden gewesen.* Vbi sane prior succedendi modus pertinet ad ius illud tritissimum: *Längst am Leib, längst am Gut: Huth bey Schleyer, Schleyer bey Huth;*)* (§. CCXXX. *) posterior ad bonorum inter coniuges communionem.

In Thuringia et terris Anhaltinis.

- *) Quemadmodum hae paroemiae ad vniuersalem coniugum successionem pertinent: ita de communione bonorum aliae iactantur, veluti *Leib an Leib: Gut an Gut*, de qua HERT. *Paroem. Iur. Lib. I. par. LXIX.* WEHNER *Obs. pract. voce Gut.* item: *Man ende Wijf hebben 'geen verscheyden Goed*, quam interpretatur ANT. MATTH. *paroem. II.*

§. CCLXXIX.

In Marchia, Pomerania et terris Mecklenburgicis. In MARCHIA quoque olim obtinuisse communionem illam, fatentur SCHEPLIZ *Consuet. March. Part. III. tit. II. n. II.* et PRVKMANN. *Vol. I. Consil. XIV. n. VII.* Nec aliunde nata est constitutio celeberrima IOACHIMI I. Electoris *de successione coniugum*, quam post KOHLIVM nuper illustravit amicitiae nostrae decus, CHR. GODOFR. HOFFMANNVS: At mira hic tropica instituit ius Romanum, postquam prisca iura patria deseruerunt illustre iudicium camerale Marchiae electoralis, et ordo iuridicus Viadrinus, et vtrumque collegium communionis illius, tamquam iuri communius conuenientis, non diutius habendam esse rationem, statuit. MULLER *Pract. rer. forens. Resol. XC. n. X.* De communionem coniugum in terris Pomeranicis, imprimis in ciuitate Sedinensi, recepta, testatur MYNSING. *Decis. VI. resp. LII. n. XIII.* de Rostochiensium moribus COTHMANN. *Vol. I. Resp. V. IO. GOEDD. consil. Marp. Vol. I. Conf. XXVI. n. 90.*

- *) At in vtraque prouincia in vrbibus potius haec consuetudo vigeat, quam ruri, et ne in illis quidem omnibus, sed in iis, in quibus ius Lubecense receptum est. Simile quid in Prussia obtinet, in qua communitio illa iis locis obtinet, vbi vel Lubecensium, vel Culmensium iure viuunt.
- Nam

Nam et hoc communionem bonorum tenet: ceu patet ex IVR. CVLM. *Lib. IV. tit. I. sequ. vid. IVS PRVSS. Lib. V. tit. XII. Art. V. §. II. Add. HARTKNOCH. de iure Pruss. §. V.*

§. CCLXXX.

Vt superiorem quoque Germaniam lustremus, SVEVOS et ALAMANNOS olim communia-<sup>In Sue-
uia et
Helue-
tia.</sup> putasse coniugum bona, non modo ex SPECVLO SVEVICO, verum etiam ex IVRE PROV. WVRTENBERGICO *Part. IV. tit. I.* colligi potest. At plerisque locis communio illa, vel plane exolevit, vel ad aduæstum tantum restricta est. Quod et de BAVARIS, BARDENSIBVS, PALATINIS, dicendum, quorum ius generalem tantum societatem probare, ostendit laudatus HOFFMANNVS *de Commun. bonor. coniugal. §. III. pag. 16. 21. sequ.* qui tamen apud BASILEENSES et SCHAFHVSANOS vniuersalem omnium bonorum communionem superare, obseruat *ibid. §. III. p. II.*

§. CCLXXXI.

Denique et in FRANCONIA ac vicinis provin-<sup>In Fran-
conia,</sup>ciis, nihil diuiduum habere coniuges, factis notum est, idque de Bambergensibus diserte adfirmat IVST. VERACIVS *in Consuetud. Bamb. Part. II. qu. I. II. sequ.* de reliquis Franconibus id liquet *aus der LANDGER. ORDN. des Hertzogthums Francken Part. III. tit. LXXXVIII. §. II.* vbi eadem huius iuris ratio redditur, quam supra (§. CCLXIII. *) adduximus: *Dieweil beede Mann vnd Weib in unserm Stiff des Hertzogthums Francken fast zu-*
gleich

gleich die Bürden der Ehe tragen, und mehrtheils hartiglich arbeiten müssen. Vid. III. A LVDEWIG *Opusc. Tom. II. p. 1302.* De NORIBERGENSIBVS idem patet ex REFORM. NORIB. *tit. XXVIII. §. I.*

§. CCLXXXII.

Marito
compete-
tebat
potestas
in vxore,
rem,
quae et
tutela.

Ceterum ne ea quidem, vel vniuersalis, vel generalis, societas impediuit, quo minus maritus in potestate haberet vxorem, eamue tutela regeret, sed tali, quae cum vsufructu omnium bonorum vxoris, et alibi cum facultate, ea pro lubitu alienandi, coniuncta esset. LEGIS WISIGOTHICAE scitum erat, *virum vxorem suam habere in potestate.* Ita enim legimus *Lib. IV. tit. II. §. XV. *)* Idemque ius viguisse oportet apud BVRGVNDOS, ceu patet ex LEG. BVRG. *Addit. I. tit. XIII.* vbi marito *potestas in vxorem eiusque res*, diserte attribuitur. Apud Alamannos porro maritus, soluendo pretium nuptiale, adquirebat *mundium in vxorem*, nec illi patria potestas prius erat in liberos, quam id mundium adquisiuisset. LEX ALAM. *tit. LIV. §. 1. tit. LI. §. II.* Denique et IVS LANGOB. *Lib. II. tit. X. §. I.* vxorem non patiebatur *in suae potestatis arbitrio, id est, sine mundio, viuere, sed semper sub potestate viri, aut curtis regiae, permanere*, iubebat. Addantur CAR. COTTVS SIC. ET NIC. BOER. in *Gloss. ad Leg. Lang. II, 10. 2.* ANDR. DE BARVLO *Comment. ad Leg. Langob. Cap. IX. p. 351.*

*) Eadem

- *) Eadem tamen lex in eo a principiis iuris Germanici vel maxime recedit, quod vxores pro se postulare patitur, nec maritos pro iis admittit, nisi illas rem ratam habituras, cauerint. *Lib. II. tit. III. §. VI.* Quo ipso verum esse, adparet, quod obseruauit IAC. CUIAC. *Comment. ad II. Feud. 2.* in ea lege pleraque, (nec enim cum eo dixerim, omnia) ex iure ciuili petita esse.

§. CCLXXXIII.

Ceterum illa tutela vel potestas maritalis alibi tantum ad personam vxoris pertinebat, et ad res eatenus, vt non liceret iis de bonis communibus sine consensu maritorum disponere, et hi constante matrimonio vsumfructum etiam ex bonis vxorum perciperent, et inde ferrent matrimonii onera: alibi maritus abscisse disponebat de rebus vxoris, etiam illa inscia ac inuita: alibi, quidquid egerat gesseratque maritus in negotiis ac rebus vxoris, ratum quidem erat, constante matrimonio, at, eo soluto, ob laesionem, aliasque iustas causas, recte rescindebatur.

Ea vel laxior, vel adstrictior.

§. CCLXXXIV.

Primi generis potestas vel tutela maritalis paene vbique in GERMANIA viguit, *) nec alia est tutela, quam maritis tribuunt IVS PROV. SAXON. *Lib. I. Art. XLVIII.* IVS PROV. SVEV. *Cap. CCCIX.* IVS LVBEC. *Part. I. Tit. X. art. I.* et ibi MEV. *n. XVII. sequ.* et HAMB. *Part. I. tit. IX. art. I.* Secundi generis tutelam obtinere apud BELGAS, testantur VINN. *ad §. 19. Inst. de excus. tut.* NEOSTAD. *Obs. rer. iudic. IX.* GROTIUS *Introd. ad Ius Belg. Lib. I. cap. III.*

Ceue legibus ostenditur.

RODENB. *de iure coniug.* IV, 4. 9. FRANC. ZY-
 PAEVS *Notit. iur. Belg.* p. 172. NIC. BVRG. *Con-*
suet. Flandr. Tract. III. n. I. HERBAI. *Rer. Quo-*
tid. XIII, 4. Tertii generis est tutela mari-
 torum in Anglia et Normannia, de qua IO.
 COWELL. *Inst. iur. Angl. Lib. I. Cap. XXII.* p. 40.
 LEG. NORMANN. *Lib. II. tit. XXXVI. §. III. et*
IV. apud illustr. de LVDEWIG *Reliqu. MSSC.*
Tom. VII. p. 338.

*) Quin similem tutelam et extra Germaniam, vbi cum-
 que originis Germanicae gentes novas sibi fedes
 quaesiverunt, etiam hodie maritis ex lege compe-
 tere, pluribus demonstratum est in *diff. de marito*
tutore, et curat. vx. legit. Cap. II. §. XII. sequ. De
 vniuersa Gallia id adfirmant IO. FABER *ad L. 1. C.*
de bon. matern. CHOPPIN. *in leg. And. municip. Tom.*
I. p. 41. 348. 349. Tom. II. p. 392. PYRRH. ENGLEBERM.
consu. Aurelian. Tit. IX. §. X. NIC. BOER. *consu. Bi-*
turic. Tit. I. §. IV. p. 6. IO. SAINSON *consu. Turon.*
Tit. XXIV. p. 151. BARTH. CHASSAN. *consu. Burg.*
Rubr. IV. §. V. n. XLV. p. 56. BERTR. ARGENTRAEVS.
consu. Britann. art. CCCCLXXXIII. p. 1859. De
 Hispanis idem obseruat ALFONSVS DE ALZEVEDO
ad Reg. Const. Hisp. V, 3. Denique et in Italia si-
 milem consuetudinem passim inoleuisse, veluti
 Ticini, Mediolani, Florentiae, Eugubii, testan-
 tur BALDVS *Vol. I. Consl. CCCCLXXXVIII.* et PAN-
 CIROL. *Var. Lect. Lib. I. Cap. XCII. p. 179.*

§. CCLXXXV.

Defini-
 tiones
 com-
 munio-
 nis bo-
 norum,
 et pote-
 statis
 marita-
 lis.

Iam ergo inde facile patet, COMMVNIONEM
 BONORVM in Germania esse ius, quo vel vni-
 uersa bona vtriusque coniugis, vel saltim,
 quod ex illis acquiritur, consummato matri-
 monio, ita communia sunt, vt ea constan-
 te matrimonio pro indiuiso possideantur,
 pro diuiso vero communia sint, simul ac so-
 lutum

Iutum est matrimonium. POTESTAS vero vel TUTELA maritalis nihil aliud est, quam facultas, marito competens, tum personam vxoris regendi defendendique, tum eius bona ita administrandi, vt vel ipse de illis suo arbitrio disponere, vel saltim vxor in illis nihil agere possit, sine mariti praescitu et consensu.

§. CCLXXXVI.

Ex quibus definitionibus eruimus axioma- De vtra-
ta: I. Communio bonorum iis locis, vbi ad- que axi-
huc obtinet, matrimonio demum perfecte omata.
adimpleto, nascitur. II. Ea alicubi bona omnia alienabilia; alicubi certum duntaxat bonorum genus; alicubi adquaestum tantum adficit. III. Effecta etiam eius communionis eadem sunt, quae alias in communiione vel societate reperiuntur. IV. Pactis tamen eam et euitari, et arctioribus limitibus circumscribi posse, nullum est dubium: id quod in Germania vocant *eine bedungene Ehe*. V. Tutela maritalis passim adhuc obtinet, *) et VI. quamuis interpretatione prudentum non parum restricta, effectus tamen satis notabiles plerisque locis reliquit.

*) Notum hoc est de Saxonia, vbi tamen tutela illa, inuecto iure Romano, in curam mutata, ac paene ad nihilum redacta est. Idemque dicendum de vrbibus, quae ius Lubecense receperunt, et de prouinciis Belgicis. Quin quamuis in Frisia ius Romanum mores patrios tantum non omnes in exilium egerit: tamen et ibi mulier ipso iure, et sine magistratus confirmatione, est sub cura mariti sui, modo hic nec furiosus, nec prodigus, nec minor sit. Vid. 10. A

SANDE *Decif. Lib. II. tit. IV. def. I.* THO. HERBAL.
rer. quotid. XIII. 4. HVBER. *Praelect. ad Pand. Lib.*
XXIV. tit. I. §. IV. et V.

§. CCLXXXVII.

Incipit
 demum
 conscen-
 so tora.

Quemadmodum itaque communio bono-
 rum iis locis, vbi adhuc obtinet, matrimo-
 nio demum perfecte adimpleto, nascitur: (§.
 CCLXXXVI, 1.) ita 1) nusquam ad eam
 constituendam sufficit *ισογλωγία*, IVS PRVSS.
Lib. V. tit. XIII. art. V. §. VII. sed 2) ple-
 rumque requiritur, vt coniuges eodem lecto
 cubuerint: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. XLV.*
Lib. III. Art. XLV. WESEL. *de Connub. honor.*
societ. Tract. I. n. XXX. et XLIV. pro qua
 conscensione tori 3) vix habendum est *εὐνημα*
 illud Saxonicum, quod alicubi ante pran-
 dium nuptiale sponsum sponfamque eodem
 lecto insidere iubent, (*die Braut solle dem*
Bräutigam ins Bette beygesetzt werden,) id-
 que sufficere putant, ad lucra nuptialia ca-
 pienda. *) CARPZ. *Part. III. Const. XIX.*
def. IV. n. VII. sequ. BEVST. *de Connub. Part.*
III. Cap. V.

*) Saltem veteres legislatores, quoties conscensionem
 tori exegerunt, non imaginarium huiusmodi con-
 gressum, sed veram matrimonii consummationem
 exegisse, elucet ex phrasibus *εμφατικωταίς*,
 quibus actum hunc describunt, veluti *copulari ma-*
riti strato, GREG. TVRON. *Hist. Lib. IV. Cap. IX.*
ins Mannes Bette treten, IVS PROV. SAX. *Lib. I. art.*
XLV. zu ehelichem Beylager kommen, vnd die De-
cke beschlagen. IVS PROV. WVRTEMB. *Part. IV. tit.*
II. ehelichen beyliegen, darauf einander beywoh-
nung thun, vnd also rechte Eheleute werden. REF.
 FRANCOF. *Part. II. Tit. III. §. V. byslapen vel bey-*
schlaffen.

*schlaffen. STATVT. VIANENS. art. II. (§. CCXXXI. *)*
 Add. ill. HOFFM. *de Commun. Bon. coniug. §. IV. p.*
27. sequ.

§. CCLXXXVIII.

Quin tantum abest, vt sufficere videatur Alibi
ισπολογία ecclesiastica, vt 4) alibi requiratur procrea-
 procreatio sobolis, nec prius communionis ta sobo-
 istius effectus sese plene exserant, quam pe- le; alibi
 pererit vxor, et foetus viuus prodierit in lu- conui-
 cem, *wann däs Kind die vier Wände be- ctu an-
 schießen. *)* SCHIKFVS *Chron. Siles. Lib. III.* nuo.
Cap. XXXIII. MENEL. de comm. bon. inter con-
iug. in multis Siles. loc. recepta pag. 496. HOFFM.
diss. cit. §. IV. p. 29. sequ. Quin 5) alicubi
 non nascitur communio inter coniuges, nisi
 per annum et diem cohabitarint, et commu-
 ni conuictu vsi sint, WESEL *de connub. honor.*
societ. tract. I. p. 10.

*) IVRE ALAM. *tit. XCH. §. I.* vita sobolis non ex cla-
 more, sed ex apertis oculis iudicabatur, si nimi-
 rum *infans viuus remanserit aliquanto spatio, vel*
vnus horae, vt posset aperire oculos, et videre cul-
men domus, et quatuor parietes. Vagitum tamen,
 exigunt Germanorum statuta pleraque: tamquam
 multo certius signum vitae, et quod non facile
 fallere praesentes possit. Vid. IVS FEVD. SAX. *Art.*
XX. COLER. Decis. CCLVIII. HOFFM. Script. rer.
Lusat. Tom. II. p. 153.

§. CCLXXXIX.

Quumque, vbi vniuersalis inter coniuges Quae
 communio est, bona alienabilia omnia com- bona
 municentur: (§. CCLXXXVI, 2.) conse- com-
 quens est, 6) vt illa communio nec ad feuda sunt, si
 pertineat, LAMB. GORIS. *ad consu. Velau.* com-
 P 5 Cap. fit vni-
 uersalis.

*Cap. X. Art. II. gloss. I. n. II. et Aduers. Iur. Tract. I. Cap. I. §. XXXIII. et Cap. III. WESEL ibid. p. 18. nisi sint alienabilia: NIC. BVRG. ad Confu. Flandr. Tract. III. n. XIX. VOET. de Digest. Lib. XXIII. Tit. II. p. 45. nec semper 7) ad bona auita, *) LAMB. GORIS. ibid. n. XXXI. XXXII. nec vnquam 8) ad fideicommissaria, quippe quae quodammodo pro alienis habentur: WESEL ibid. Cap. I. §. LXXXVII. quamuis 9) fructus ex huiusmodi bonis omnibus communes esse, nemo temere negaturus sit, idque et iure Francorum cautum esse, iam supra ostenderimus. (§. CCLXXI.)*

*) Attamen IVRE EYDEROSTADIENSIVM statutorio omnia bona etiam hereditaria, quantumuis inalienabilia, communia similiaque esse statuta Tonningensium, Hufumensium, Fridericostadiensium, pluribus ostendit v. C. FRANC. ERN. VOGT. *de iure coniugum in bona, speciatim de praecipuo, quod viduis nobil. in ducatu Slesu. et Holf. ex iure fasciae capillaris competit. prolegom. §. XIII. sequ.*

§. CCXC.

Ali-
quando
certa
tantum
bona
communia
sunt.

Quandoquidem porro alicubi certum duntaxat bonorum genus commune habetur: (§. CCLXXXVI, 2.) non mirum est, 1) iure Bauarico, Palatino, Badensi, Wurtembergico, excipi bona, fortunae beneficio, vel iure hereditario, alterutri obuenientia. HOFFM. *dissert. de commun. bonor. coniug. §. III. p. 21. sequ.* 2) Iure lutico eam communio- nem restringi ad bona mobilia et pecuniam, immobiliaque, constante matrimonio titulo singulari quaesita, et proventus ex immobili-
libus

libus hereditariis, quae vel tempore nuptiarum habuerunt coniuges, vel constante matrimonio iisdem obuenerunt. *) FRANC. ERN. VOGT. *de iure coniug. in bona §. IV. sequ.*

*) Excipiuntur itaque bona immobilia, quae iam viri vel vxoris erant, quum in matrimonium conuenirent: bona mobilia et immobilia, iure hereditario ad alterutrum coniugem, constante matrimonio, deuoluta, quippe quae quod ad vsum tantum, possessionem et fructum ex iis prouenientem, non quod ad dominium, communia habentur, nisi forte mobilia ex linea collateralis prouenerint, et alter coniugum cognatis, a latere iunctis, itidem in huiusmodi bonis, constante matrimonio, successerit; siquidem tunc et haec bona communia et diuisioni obnoxia sunt, licet non sint eiusdem quantitatis, VOGT. *ibid. §. V. p. 5. et 6.*

§. CCXCI.

Vbi porro solus adquaestus communis est: Alii ad bona acquisita referuntur, 12) quae quando cumque communi opera et industria parta adquisita sunt. GARS. *de adquaestu coniug. n. I. 13) quidquid maritus ex officio publico adquisiuit. HEESER. de adquaestu coniug. Part. II. loc. XVIII. n. XXXIII. Diff. HARPRECHT Volum. IV. Conf. LXIII. 14) Fructus ex rebus dotalibus prouenientes, HEIG. Part. I. qu. II. 15) lucrum ex mercatura, vel re cauponaria, aliaue negotiatione perceptum, HARPRECHT Vol. V. Confil. Tub. LXXXI. qu. XXVII. 16) dona nuptialia, (§. CCXXXII.) et alia: quamuis de his omnibus mira sint sententiarum diuortia, et multas eius generis quaestiones pepere-*

peperit diuerforum iurium commixtio. *)
 Vid. LAVTERB. *de societate bonor. coniugali.*
Cap. IV.

*) Vocantur huiusmodi bona *adquisita* Germanis *die Errungenschafft*, item *errungene* vel *wolgewonnene Güter*. Quum vero ea bona opponantur modo bonis hereditariis, *denen Erb-Gütern*, veluti, quando iura Hamburgensia et Lubecensia de bonis tantum adquisitis disponi patiuntur, modo hereditariis et aduentitiis omnibus veluti, quando IVRE PROV. BAV. *Tit. I. Art. I.* communia coniugibus esse iubentur adquisita, *alles Vermögen, das beyde Eheleute von dem Einkommen ihrer Güter ersparet, oder sonst durch ihren eigenen Fleiß eröbert, aber nicht durch Erbschafft, oder in andere Wege dem einem Ehegatten allein zugestanden ist*: modo plura alia excipiantur, veluti in constitutione Holfatica *vom Hubenband vnd Fräulicher Gerechtigkeit §. III.* *Was übrig aber von Hausrath, Tapezereyen vnd Decken, so sie nicht zusammen gezeuget, vnd dem Mann von seinen Eltern vnd Freunden angeerbet vnd gegeben, dasselbe alles soll den Kindern allein bleiben vnd die Frauen darinnen nicht erben, in gleichen an den reißigen Pferden, wapen vnd wehren, Büchsen, Geschütz, Pulver, Becher, vnd was hiezu geböret, solches folget billich den Erben, wie auch all baar Geld, so auf brieff vnd siegel gewesen, damit soll die wittwe nicht zu schaffen haben*: fieri non potest, quin, non accurata obseruata vocabuli notione, *ομωνυμια* errores et diffidia innumera pariat. Vid. LVDOVICI *Diff. de discrim. bonorum hered. et adq. et* HOFFM. *de commun. bon. coniug. §. III. p. 20. sequ.*

§. CCXCII.

Com-
 munio-
 nis effe-
 cta con-
 stante
 matri-
 monio.

Quumque huius communionis eadem sint effecta, quae in alia societate vel communi-
 one reperiuntur: consequens est, 17) vt nulla
 opus sit speciali rerum traditione, *GORIS Ad-
 uers.*

uerf. Cap. I. p. 10. fed 18) fine ea res communes vterque coniux communiter poffideat, ac proinde dicantur eſſe in compoſſeſſione, (*Mann vnd Weib ſitzen mit einvnder in gleicher Gewehr.*) SPEC. SAX. *Lib. I. Art. XLV.* IVS WEICHB. *art. XXIV.* SPEC. SVEV. *Cap. CCCIX.* SCHILT. *Exerc. XLV. §. LII.* BERGER *de poſſeſſ. vxoris, inprimis Sax. Vol. Diſſ. p. 1583.* 19) Vt neutra pars alienare res immobiles poſſit ſine alterius conſenſu, atque 20) inde ſit, quod ſuper venditionibus, permutationibus, donationibus, nullum fere olim factum ſit inſtrumentum, in quo non ſpeciatiſſime vxoris conſenſus fuerit expreſſus. KRESS. *de aequit. ſucceſſ. coni. Cap. V.* SPENER. *de uſufr. maritali Sect. I. §. XXXIII.* HOFFM. *ibid. §. VI. p. 35. ſequ.* 21) Vt commune etiam ſit lucrum et damnum, ac proinde 22) communiter etiam ad expungenda nomina, ab alterutro contracta, obſtricti ſint coniuges, *) ſaluo tamen vxori beneficio ceſſionis bonorum. IVS LVB. *Lib. III. tit. I. art. X.* IVS HAMB. *Part. II. tit. XI. art. XV.*

*) HERT. *Paroem. iur. Germ. Lib. I. par. 70.* profert paroemiam, quae huc pertinet, *Die den man trowt, die trowt ook de Schulden.* Sed haec obligatio, inueſto iure Romano, variis circumſcripta eſt limitibus; de quibus ill. BOEHMER. *de aeris alieni inter coniuges communionem ex iure Hamb.* In primis notatu dignum eſt, iure Lubecenſi eam obligationem naſci, ſi ſuperſtites ſint liberi. *Lib. I. tit. V. art. VII.* Quod ius vnde ſit, ex iis, quae ſupra (§. CCLXXXVIII.) diximus, facile intelligitur.

§. CCXCIII.

Nec non eodem soluto. Ex eodem axioma sequitur, 23) vt haec communio, mortuo alterutro coniuge, continuetur vsque ad subsequenter diuisionem, et hinc 24) superstes bona sibi cum defuncti liberis communia possideat, et administret, quod iura Germanica vocant *den Beyfiz*. IVS BAD. *Part. VI. tit. VI.* IVS PROV. PALAT. *Part. IV. tit. XIII.* 25) Vt, si liberi communes super sint, superstes bonis communibus vtatur. fruatur. Vid. *dissert. nostr. de usufructu materno, in primis iur. Hamb.* 26) Vt quando bona diuidi placet, superstiti modo pars dimidia bonorum communium, modo pars tertia, modo virilis, prout eam leges definiunt, *) quin aliquando, 27) deficientibus liberis et nepotibus, vniuersa bona praemortui cedant. HERT. *Epidipn. paroem. iur. par. XVII.*

*) Et hanc veram esse originem PORTIONIS STATVTARIAE, quam leges Germanicae omnes coniugi superstiti cedere iubent, praeclare obseruauit saepe nobis laudatus HOFFMANN. *de commun. bon. coniug. §. VII.* Quum enim nulla apud Romanos esset coniugum successio, nisi vel deficientibus cognatis, ex edicto VNDE VIR ET VXOR, vel ob superstitis paupertatem, ex *auth. praeterea C. vnde vir. et vx.* aliter multo philosophati sunt Germani, qui vel ideo bonorum defuncti exortem esse non patiebantur coniugem, quia constante matrimonio omnia cum coniuge communia habuerat. Itaque et iis locis, vbi ius Romanum illam communionem bonorum in exsilium eger, reliquiae tamen eius mansere satis notabiles, in primis VERO PORTIO illa STATVTARIA.

§. CCXCIV.

§. CCXCIV.

Quum vero haec communio pactis con-^{Euitari}
uentis et cuitari, et arctioribus limitibus cir-^{illa et}
cumscribi possit: (§. CCLXXXVI, 4.) facile^{restringi}
est intellectu, 28) cur iis locis, vbi per leges^{potest}
omnia inter coniuges communia sunt, fae-^{pactis}
pissime fiant pacta dotalia, *Ehezärters*, *Ehe-*^{dotali-}
liche vel *Ehestiftungen*, iisque 29) in ante-^{bus.}
cessum definiri soleat, quae constante matri-
monio communia futura, et 30) quae, eodem
soluto, ad superstitem peruentura sint. Quae
quidem pacta, 31) si talia vere sint, testamen-
tis mutari non posse, omnes omnino faten-
tur.*) Neque monebimus, 32) nullam
esse communionem, si matrimonium nullum
sit, eandemque 33) cessare ob adulterium,
34) renunciationem, 35) et contrariam con-
suetudinem. Id enim vel recta ratio satis
vnumquemque docet.

*) At rem non aequè certam existimant, si per mo-
dum vltimae voluntatis concepta sint: siquidem
tunc et quinque testium praesentia opus esse sta-
tuunt, et huiusmodi pacta, vti alias extre-
mas voluntates, ambulatorias esse continent vs-
que ad mortem. MOLLER. *part. II. Const. XLIII. n.*
II. CARPZ. Part. II. const. XLIII. def. X. Enimvero
quum leue hic sit verborum discrimen, et pa-
tionem, communi vtriusque consensu initam, v-
nius voluntate solui, rectae rationi aduersetur;
eam distinctionem non sine iusta ratione reiciunt
TITIVS *ad Lauterbach. Obs. DCCLXXIV.* et FRANC.
ERN. VOGT. *de iure coni. in bonâ prolegom. §.*
XXIV. litt. c. p. 36.

§. CCXCV.

§. CCXCV.

Tutela
maritalis
effectus
varii.

Quum praeterea, non obstante illa bonorum communione, potestas ac tutela maritalis passim adhuc obtineat: (§. CCLXXXVI, 5.) non obscure est, 36) unde sit loquutio, *in ehelicher vormundschaft*, vel *als ehevoigt*, qua in Germania vtuntur viri, quoties vel gesta ab vxoribus rata habent, vel pro iis sese in foro sistunt. 37) Cur passim nihil alienet vxor, sine mariti consensu: IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. XLV.* et 38) cur contra tanta marito alicubi potestas relicta sit, vt is bona vxoris, ea inconsulta, et vendat et oppignoret.*) VINN. *comm. ad §. 19. Inst. de excus. tut. Conf. diss. de marito vxoris tut. et cur. legitimo Cap. II. §. XVII.*

*) Adeo diuersi ea in re fuere mores gentium, etiam si omnibus fere communio bonorum placuerit. Quum enim alibi marito ne res quidem proprias sine vxoris consensu alienare liceat, (§. CCXCII, 19. 20.) idque etiam naturae communionis conueniat accurate: alibi tamen marito in bona vxoris omnia indulserunt leges. Sic in STATVTIS SILVAEDVCENS. *tit. XIV.* maritus esse dicitur tutor vxoris, (*momboir van syne Huysvrouwe*.) et additur, *dat he moghe alleen haere goedern, actien ende Schulden, als momboir vervolghen, beschen ende beschulden, ende daerenbouen haere goedern, als syne egbene goederen, sonder consent ende bywesen van syne Huysvrouwen verkoopen, verjetten, veralienneeren, belasten, ende andersints verbinden, eeghen of leengoedern wesende: quum contra de vxore eadem lege cautum sit: eene Vrow met haeren Manne woowende, en moghe haere erfseyke goederen niet verkoopen, verminderen, ofte belasten, noch in Recht staen, noch procureur mechtigen, sonder consent van haeren Man.* Legem hanc insolitam vocat

vocat HERTIVS, eamque inde natam refert, quod feminae Siluaeducenses maritos captiuos aliquando redimere noluerint. Sed nihil insoliti continere legem, et, quod non Siluaeducensibus cum aliis Belgis commune sit, iam alibi in *diff. de marito tutore et curat. vx. legit. §. XVII.* docuimus: ac proinde in medio relinquimus, an vera sit narratiuncula de feminis Siluaeducensibus, lytron pro maritis captiuis soluere detrectantibus, maxime, quum huiusmodi legum origines passim a plebe fingi, non ignoremus.

§. CCXCVI.

At passim hanc legitimam maritorum tutelam et potestatem vel corrupisse, vel plane in exilium egisse ius Romanum, (§. CCLXXXVI, 6.) inde patet, 38) quod in tota Marchia, vbi feminae adhuc curatoribus indigebant temporibus SCHEPLIZII, (*consu. March. pag. 172.*) et PRVCKMANNI (*Lib. I. cons. XLVIII. n. 191.*) ea cura feminarum plane exoleuerit, idemque et in terris Brunsvicensibus aliisque Germaniae prouinciis contigerit. STRYK. *Not. ad Lauterb. p. 105.* 39) Quod in ipsa Saxonnia maritum, nisi a magistratu confirmatum, curatorem esse negent, ac proinde 40) eum non admittant in foro pro vxore acturum, nisi vel curatorium produxerit, vel de rato cauerit. CARPZ. *Part. I. Const. I. Def. XXXI.* MOLLER. *Semestr. Lib. I. Cap. XVIII. XIX.* 41) Quod mariti consensum vxori sufficere putent in negotiis tantum extra iudicium gerendis, modo non fiat auctor in rem suam. CARPZ. *de iure fem. sing. Decad. III. posit. VIII. n. 8. sequ.*

Q

42) Quod

42) Quod tutelam illam in curationem *) conuerterint, cetera.

*) Eam quoque corruptionem iuris patrii ex iuris prudentia Romana esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Existimabant enim iuris periti, solius iuris Germanici principiis veluti innutriti, tutelae subesse non posse puberes, et qui quaeue per aetatem se sponte defendere possint: *l. r. pr. ff. de tutel.* quum eos meminisse oporteret, et Romanos antiquissimis temporibus feminis non curatores, sed tutores dedisse, *EV. OTTO de tutel. fem. Cap. I.* et Germanis ne notum quidem olim fuisse tutorum et curatorum discrimen, ceu ex instituto demonstrauit *GE. BEYER. diff. de hodierna tut. ac curator. differ.* ac proinde iis, qui feminas tuebantur, non minus, quam illis, qui pupillos defendebant, nomen tribuebant *derer vormünder.*

§. CCXCVII.

Quaedam eius reliquiae.

Ad illas tamen, quae passim superfunt, pristinae illius potestatis ac tutelae reliquias (§. CCLXXXVI, 6.) merito 43) retuleris vsumfructum, marito in bonis paraphernalibus vxoris competentem, quem ex hac tutela recte repetunt *BERGER diff. de discrim. bon. vxor. §. XVII.* *GAERTN. de distinct. inter dot. et paraphern. §. VI.* nec non 44) ius illud strictissimum Lubecensium, quod mulierem non patitur sine consensu mariti contrahere, ultra binos numos et dimidium, *) *IVS LVBEIC. Lib. I. tit. X. §. I.* itemque 45) sanctionem Hamburgensem, quae de lino tantum eas, sine consensu mariti vel curatoris, contrahere permittit, et 46) quod de contracto ab ea aere alieno disponit: *Hätte sie*

ſie aber ohne conſent ihres Vormundes etwas aufbeborget oder gekauſt, ſoll dem gläubiger verſtattet werden, ihr das oberſte Kleid abzunehmen, bis daß er bezahlet iſt. IVS HAMB. Part. II. tit. VIII. art. II.

- *) Ita et legibus Athenienſium olim cautum legimus, ne mulieri ſine tutore contrahere liceret ultra certam frumenti menſuram. ISAEVS Orat. de Ariſtarchi hered. Ο γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδί μὴ ἐξέναι συμβάλλειν, μηδὲ γυναικὴ πέρα μεδύμνης κριθῶν. Lex enim expreſſe prohibet impuberem pacifci, aut feminam, ultra modium bordei. Et DIO CHRYSOST. Orat. LXXV. Οὐ δὲ γυναικὴ νόμος ἐκ εἰς παρ' Ἀθηναίοις συναλλάσσειν, πλὴν ἄχρι μεδύμνης κριθῶν, διὰ τὸ τῆς γνώμης ἀδυνεες. Neque mulieri lex permittit apud Athenienſes contrahere, niſi usque ad modium bordei propter iudicii imbecillitatem. Similia habes apud SVID. in ὄτι ζένες.

§. CCXCVIII.

Sed quousque se porrigat illa maritalis potestas, ex ſingulorum locorum moribus et statutis iudicandum eſt. Quum enim 47) in Saxonia teſtamenta a mulieribus ſine curatoris praefcitu recte fiant: CARPZ. de iur. ſing. fem. Decad. III. poſ. VII. n. 8. ſequ. 48) alibi et hic opus eſſe mariti, vel curatoris auctoritate, exiſtimant, veluti in Gallia, TIRAQVELL. ad leg. connub. gloſſ. V. n. 93. ſequ. CHASSAN. conſu. Burg. tit. de iur. con. rub. IV. verb. ny auſſi par teſtament. Hamburgi, IVS HAMB. Part. III. tit. XI. §. XIV. quin et Lu-
becae,

becae, vbi vxor plane non testatur, nisi mercatrix cum consensu curatoris, et vidua, cui maritus disponendi facultatem testamento fecit. IVS LVBEC. *Lib. II. tit. I. §. XIV. 49*) Ius coercendi vxores parum morigeras vbi que quidem in Germania, at magis tamen inter plebeios, quam honestiores, receptum est, et inter illos saepe abit in saeuitiam, ob quam quotidie fere fatigantur iudices, et matrimonia, tam male conciliata, non raro, qua torum et conuictum, aliquamdiu dirimuntur.



TIT. XIII.

DE MATRIMONIO AD
MORGANATICAM.

§. CCXCIX.

Actum hactenus est de vero ac legitimo matrimonio, eiusque natura, indole ac effectibus. Proximum est, ut quaedam ei vel adfinia, vel contraria, subiiciamus. Prioris generis est MATRIMONIUM AD MORGANATICAM, Germanicae originis gentibus proprium, quod et hodie inter illustres sub nomine *der Trauung an die lincke Hand*, non extra usum est; posterioris PELLICATVS et CONCVBINATVS. De primo hoc titulo quaedam adiicere visum est; de postremis infra erit dicendi locus.

§. CCC.

Doctrinae de matrimonio AD LEGEM MORGANATICAM sedes est II. *Feud. 29.* vbi haec verba occurrunt: *Quidam habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato, eam desponsavit, ea lege, ut nec ipsa, nec filii eius amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum: v. g. decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt, accipere uxorem AD MORGANATICAM,*) alibi, LEGE SALICA.*

*) Hic quoque subaudiendum LEGEM. Sed caue existimes exstitisse legem aliquam, eo nomine notatam. Lex enim hic est pactum, quod legem contractui dare censetur. Eodem sensu in iure nostro dicitur LEX COMMISSORIA l. 4. l. 5. ff. de leg. commiss. rubr. C. de leg. comm. in pign. reprob. LEX CONDUCCTIONIS, l. 25. l. 55. §. ult. ff. loc. LEX DONATIONIS, l. 22. ff. de stat. hom. TRADITIONIS, l. 17. ff. de ser. urb. praed. AEDIFICIORVM. l. 33. ff. eod. PRAEDIORVM, l. 5. ff. de sepulcr. viol. SALTVM DATA, l. 2. C. de noxal. act. AGRORVM, l. 1. §. ult. ff. de aqu. quotid. Plura eius generis dabit BARN, BRISSON. de Verb. signif. voce LEX.

§. CCCI.

An id
matri-
monium
fit ex le-
ge Sali-
ca?

Satis antiquum ergo esse oportet hoc matrimonii genus, si LEGI SALICAE originem debet. Sed in lege illa nec vola eius, nec vestigium occurrit: nec exemplo caret, iuris alicuius origines tribui LEGI SALICAE, cuius tamen lex illa celeberrima diserte non meminit, ceu supra exemplo sponsaliorum per solidum et denarium ostendimus. Videntur ergo veteres legi Salicae tribuisse, quidquid moribus Francorum debebat originem. *)

*) Quemadmodum enim alibi obseruauimus, Romanis et Senatusconsulta, et principum constitutiones, quibus lex aliqua illustrabatur, ipsius legis vocabulo venisse: ita Germanicae originis gentes multa attribuisse videntur LEGI SALICAE, quae vel ex principum posterorum constitutionibus legi illi accefferant, vel consuetudine paullatim inoleuerant. Sic in FORM. ALSATICIS Cap. IV. Karolus, Imp. profitetur, *se manu propria sua executientem de manu supra dicti N. denarium, et numum, et argenteum, et aureum, et drachmam, et sestertium, et minam, SECVNDVM LEGEM SALICAM eum liberum dimisisse: quum tamen LEX SALICA*

LICA

LICA tit. XXX. vnius tantum denarii excussio-
nem requirat, nec alius ritus obtinuerit tem-
poribus Caroli M. & Ludouici Pii. Sed patulla-
tim inualuisse oportet consuetudinem, varias nu-
morum species eum in vsum adhibendi, eam-
que consuetudinem hic ipsi LEGI SALICAE tribui, ma-
nifestum est.

§. CCCII.

Huius ergo originis, et hoc matrimonium Tale
videtur. Nam iam Franci nobiliores sub matri-
Carolingis aliquando ducebant imparis con- monium
ditionis feminas, et eas aequae, ac natos ex aliquo-
iis liberos, nec dignitatis paternae, nec he- ties con-
reditatis, participes esse patiebantur. De traxisse
ipso enim Carolo M. auctor est EGINARDVS videtur
vit. Car. p. 439. edit. PITH. eum post Fastra Carolus
dam habuisse concubinam, cuius nomen M.
non occurrat, ex qua filiam suscepit: eum-
demque post Luitgardis obitum, quatuor
duxisse concubinas, Mathalgardim, Gersuin-
dam, Reginam, quae ei Drogonem et Hu-
gum pepererit, et Adelluidam, ex qua Theo-
dericus natus sit. Vbi sane constat, has fe-
minas non fuisse concubinas, sed vxores te-
nuioris fortis, quibuscum tamen tabulas do-
tales non signauerat Carolus. Himmeltru-
dem sane, quam iustis vxoribus Caroli M. ac-
censere non audet PAVLL. WARNEFRID. de episc.
Metens. p. 176. edit. PITH. *) legitimo coniugio
Carolo copulatam fuisse, testatur STEPHANVS
PP. III. in codice Carolino epist. XLV. apud DV
CHESNE script. rer. Franc. Tomo III. Vid. CON-
TIVS anal. eccles. ad ann. DCCLXXIII. n. II ad

ann. DCCCH. n. 49. et ad ann. DCCCXIV. et P. DANIEL dans l'histoire de France Tom. I. p. 156. Filios quoque inde genitos nec regionum filiorum dignitatem, nec ullam imperii partem sortitos esse, satis constat.

*) Verba PAVLLI sunt: *Hic ex Hildegarde, CONIVGE, quatuor filios et quinque filias procreavit. Habuit tamen ANTE LEGALE CONNVBIVM ex Himeltrude, nobili puella, filium, nomine Pippinum. EGINARDVS vero Himeltrudis illius plane non meminit, recensens tantum concubinas, quas viduus in torum receperit. Quum itaque Himeltrudis ante legale connubium in Caroli M. amplexibus haeserit, et tamen ea legitimo coniugio copulata dicatur Carolo: consequens est, vt matrimonium illud saltim fuerit secundarium, vel ad morganaticam.*

§. CCCIII.

Nec non
ante
eum
Pippi-
nus.

Iam ante Carolum M. simile matrimonium contraxisse videtur Pippinus cum Alpaide, quam ideo *scortum* vocat FLODOARDVS *hist. Rem. Lib. II. Cap. XI.* quum tamen, Plectrude priore coniuge dimissa, Alpaidem sollemni more ductam, et iustae vxoris loco habitam fuisse, ostenderit DAV. BLONDELL. *in praefat. apolog. geneal. Francicae praemissa, tertione XXXIII. fol. 3.* Et sane disertis verbis scribit FREDEGAR. *Cap. CIII: Igitur praefatus Pippinus aliam DVXIT VXOREM, nobilem et elegantem, nomine Alpheidam, ex qua genuit filium, vocauitque nomen eius lingua propria Carolum.* Et ANNAL. *incerti auctoris ad ann. DCCXIV. apud PITH. p. 1. Huius filius Carolus ex Alhayde, quam, posthabita priore coniuge, Waltru-*

Waltrude DVXIT VXOREM, *sub honore maiordomatus tenuit regnum Francorum.* Fuerit ergo Alpais non concubina, sed vxor, sollempni ritu ducta, sed ex lege Salica, vt et ipsa, et liberi, non essent eiusdem cum patre dignitatis. *) Vid. HADR. VALES. *ret. Franc. Lib. XXIII. ad ann. DCXCVII.*

*) Hinc quamuis nati ex Pletrude filii, Drogo, Grimoldus et Siluinus, omnes turbato naturae ordine ante patrem decessissent, solique superstites essent ex Alpaide suscepti Carolus Martellus et Childobrandus: Carolo tamen maioratum domus adfectanti negotium faceßere non deserunt Pletrudis, et qui eius caussae fauebant, Franci, non ob aliam, vt opinor, caussam, quam quod eum, ex impare matrimonio natum, paternae dignitatis exfortem esse, eique Theobaldum, Grimoldi filium, praeferrı oportere, contenderent, quamuis et hic ex impare huiusmodi matrimonio natus esset. Vid. GESTA FRANC. *Cap. LI.*

§. CCCIV.

Sunt et alia huiusmodi nuptiarum exempla, quamuis eorum temporum scriptores feminis, hac lege ductis, plerumque concubinarum nomen tribuere soleant. Talis certe vxor fuisse videtur LVTOWIDA Carolomanni vxor, Arnulfi Imperatoris mater, *nobilis femina, sed non legitima*, teste OTTONE FRIS. *Chron. Lib. VI. Cap. VII.* Eam enim concubinam VOCANT ANNALES BERTINIANI *ad ann. DCCCLXXIX. contra vxorem ANNALES FVLDENSIS ad eumd. ann.* Nec minus eiusdem conditionis fuisse arbitramur feminam, quae in Caroli Craffi contubernio fuit, et ex qua ille

Sed et
Carolo-
mannus
et Caro-
lus Cras-
sus.

fufcepit Bernardum filium, cui pater regnum, fed frustra, deftinarat. ANNAL. LAMBEC. *ad ann.* DCCCLXXXV.

§. CCCV.

Diffe-
rentia
inter ae-
quales
coniuges
et vxores
ad mor-
ganati-
cam.

Inter vxores eiusmodi fecundarias et concubinas nihil fuit discriminis, quam quod cum iis quidem non fierent dotalia instrumenta, attamen *ισολοβγία* plerumque interceffiffet. Simul ac igitur dotem vir conftituebat, vxor iufta effe incipiebat, quae antea erat concubina, ceu probari potest exemplo Richildis, quam Carolus Caluus in torum receperat. De ea enim *fragmenta hiftoriae Francicae* apud DVCHESNIVM Tomo II. *script. hift. Franc.* p. 404. Item Karolus, certo nuncio comperto, obiffie Ermentrudem, vxorem fuam, fororem Bosonis, nomine Richildem, mox fibi adduci fecit, et in CONCVBINAM accepit. Idem in die feftiuitatis feptuagesimae praedi&ctam CONCVBINAM fuam, Richildem, deffponfatam, et DOTATAM in coniugem duxit. Huius nouae coniun&tionis, quam *fecundum Dei voluntatem* factam effe ait, ipfe meminit CAROLVS CALVVS in praeepto pro Abbatia S. Eligii apud BALVZ in *Adpend. Capitul.* Tom. II. p. 1492.

§. CCCVI.

Cur di-
&tum fit
ad le-
gem
morga-
naticam?

Quum itaque dos nulla conftitueretur huiusmodi vxori: (§. CCCI.) hoc vno a concubina discrepaffe videtur, quod ipfi daretur MORGENGABA, qua contenta effet in pofterum,

rum, nec vel dignitatem viri adfectaret, vel portionem ex eius thesauris, vel hereditate sibi peteret. Et inde impar hoc matrimonium dictum videtur AD LEGEM MORGANATICAM, *) quamvis ideo non existimemus cum GROTIUS *de iure belli et pac. Lib. II. Cap. VII. §. VIII.* STRAVCHIO *de iur. publ. tit. XXXII. §. V.* et RITTERSH. *Paratitl. feud. Lib. I. Cap. XI.* vocem hanc detortam esse ex Germanico *Morgengabe*, quippe quod Langobardis erat familiarissimum, COCCEI. *de leg. morg. Sect. I. §. III.* vt non facile illud in morganicum detorquere potuerint: sed vocabulum istud ex synonymo *Morgen-gnad* ortum esse suspicemur.

- *) Vir laude nostra maior, HENR. COCCEI. *de lege morg. Sect. I. §. IV. sequ.* acute conicit, legem morganicam idem esse, quod hodie quoque in vrbibus inferioris Germaniae dicitur *Morgensprach*, id est decretum, seu lex, publice vel in publico conuentu edita. Quin plane eiusdem esse notio- nis obseruat legem *Morganaticam* et *Salicam*, si- quidem et vocabulum *Saal*, palatium, curiam, vel conuentum ibi habitum, significet. At propius ad vocabulum *morganaticum* accedere videtur nostrum *Morgengnad. Gabe* enim et *Gnade* signifi- catu conueniunt, vti Graeca *δῶρον καὶ χάρις- μα*. Praecipuum vero argumentum inde duci- mus, quod *morganaticum* saepissime pro *morgengaba* vsurpatur, non modo apud ALB. ARGENT. p. 113. verum etiam in diplomatibus, ex quibus praecipue huc pertinent pacta dotalia apud GVICHENON *hist. geneal. gentis Sabaudicae* p. 159. vbi sponsus Leopoldus Austriacus: *Praeterea saepe di- ctæ CATERINAE MORGANATICVM assignare debe- mus ad nostrum arbitrium, et prout nobis videbitur: de quo MORGANATICO ordinare et disponere pote-*

poterit. Vbi *morganaticum* procul dubio est idem, ac *morgengabe*, vel *Morgen-Gnade*.

§. CCCVII.

Tale et
post
Franco-
rum
tempora
saepe
contra-
ctum.

Et quidem saeculis insequentibus ea lege saepius contractae videntur nuptiae, quamvis extra Langobardiam et cis Alpes raro vterentur vocabulo *ad legem Salicam*, vel *morganaticam*, sed id plerumque a ritu adhibito vocare mallerent *eine traung zur linken hand*. FRITSCH *Supplem. Spædelio Besoldian. sub voce Vermählung*. Sane ex saeculo XIII, vt iam alia praetermittamus exempla, huc pertinere videntur nuptiae Henrici, Marchionis Misniae, cum Elifabetha Maltitia, et Alberti, Landgrauii Thur. cum Cunigunda de Eifenberg, quas deinde confirmauit Rudolphus I. Rex Germ. FABRIC. *Orig. Saxon. Lib. VI. p. 594.**)

*) Tales vxores dictas esse *vxores concubinas*, ex charta quadam Ludouici VI. pro monasterio S. Cornelii Compendiensi probat CAR. DV FRESNE *Gloss. Tom. I. p. 1150*. Et dum in CONCIL. TOLETANO I. Cap. XVII. decreuerunt patres: *Si quis habens vxorem fidelem, si CONCVBINAM habeat, non communicet. Ceterum, qui non habet vxorem, et pro vxore CONCVBINAM habet, a communionem non repellatur, tantum vt vnus mulieris, aut vxoris, aut CONCVBINAE, vt ei placuerit, sit coniunctione contentus*: non absurde ex TVRRIANO obseruat, non intelligi eo loco concubinas fornicarias, sed, sicut scriptura S. vocet concubinas patriarcharum, eas scilicet, quae secundum LEGEM MATRIMONII, infra dignitatem tamen vxoris, ducerentur.

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Nec ignotum est, etiam sine pactis mor- Eius dif-
ganaticis hanc conditionem fuisse mulierum ferentia
imparis dignitatis, ab illustribus domum du- a dispa-
ctarum, natorumque ex ijs liberorum. Ex ragio,
impare enim matrimonio, quod et DISPARA- pellica-
GIVM vocabatur, non prodiisse liberos, di- tu, et
gnitatis paternae capaces, iam supra ostendi- concu-
mus. Multo minus ergo PELLICATVS vel CON- binatu.
CVBINATVS dici poterant legitimæ coniu-
ctiones, liberorumque inde natorum nullum
in domo vel republica momentum erat, nisi
forte ad dignitates ecclesiasticas adspirarent,
vel virtute, et rebus præclare gestis ad ma-
iora niterentur, quales erant Guilielmus, Ar-
chiep. Moguntinus, Ottonis M. ex nobili
Slava filius, DITM. MERSEB. *Lib. II. p. 338. edit.*
LEIBN. ENZIUS, Fridrici II. Imp. ex Blanca fi-
lius, MONACH. PADVAN. *Lib. II. Chron. p. 593.*
Manfredus et Fridricus, eiusdem filii natu-
rales, ille princeps Tarenti, hic Antiochiaë,
et alii complures.

§. CCCIX.

Nimirum quamvis leges ecclesiasticæ Pellica-
semper prohibuissent pellicatum, CONCIL. TO- tus pro-
LET. I. *Cap. XVII. CAPITVLAR. Lib. VI. Cap. hibitus,*
CCXXX. *apud BALVZ Tom. I. p. 962. et Addit. non o-*
II. *Cap. XXIII. p. 1145. CAPIT. PIPINI Reg. Ital. lim con-*
Cap. XXXIV. p. 540. et ne principes quidem, cubina-
hisce se amplexibus polluentes, clericorum tus.
censuram facile effugerent, ceu vel Lotha-
rii II. Regis et Waldradaë exemplo constat,
de

de quorum inauspicatis amoribus plura dabant ANNAL. FVLD. REGINØ et reliqui chronographi *ad ann. DCCCLXIII. sequ:* aliud tamen dicendum de concubinato, quem, licet pro legitimo matrimonio non habeant leges, nulla tamen singulari poena coercent, immo diserte permittunt, ante initium saeculi XVI. *) Vid. CAPITVL. *Lib. VII. Cap. LIX. LX. et CV. Tom. I. pag. 1039.* CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. T. I. p. 1150.*

*) Perspicue hoc probatur ex iis, quae ex CAR. DV FRESNE *Gloss. Lat. sub voce Concubina*, et ex SCHILTERI *de libert. eccl. Germ. Lib. VII. Cap. II. p. 882.* excerptit THOMAS. *de concubinato §. XXVII. p. 52. sequ.* At initio demum saeculi XVI. concubinatui decreta quaedam opposuit CONCILIVM LATERANENSE sub Leone Papa X habitum, quae habentur in *septimo Decretalium Lib. V. tit. XVI. Cap. I. et confessus ordinum Imperii in ORD. POLITICA AVGVST. anni MDXXXIII. tit. XXXIII. von leichtfertiger Beywohnung.* vbi verba: *Die weil auch viel leichtfertiger Personen ausserhalb von Gott aufgesetzter Ehe zusammen wohnen: --- derhalben ordnen vnd wollen wir, daß eine jede geistliche vnd weltliche Obrigkeit, Wer solches ordentlich zugehöret, ein billig Einsehen haben soll, damit solche öffentliche Laster der Gebühr nach ernstlich gestraffet, vnd nicht geduldet werden.* Sequutum est postea anno MDLXIII. decretum CONC. TRIDENTINI, concubinatui oppositum, cuius historiam habes apud PAVLL. SARP. *in hist. conc. Trid. Lib. I. p. 708.* et PALLAVICIN. *in hist. conc. Trid. Lib. XXIII. Cap. VIII. sequ.*

§. CCCX.

Defini-
tiones
matri-
monii

Ceterum ex his omnibus, quae ex historia delibauimus, facile patet, MATRIMONIVM EX LEGE MORGANATICA esse viri illustris soluti
et

et feminae inferioris vel plebeiae conditionis, solutae, legitimam et indiuiduam coniunctionem, ea lege initam, ut nec uxor, nec liberi, inde prodituri, vel dignitatis maritalis ac paternaе, vel hereditatis participes, sed certis bonis, sibi per pactum morganaticum assignatis, contenti sint. *)

SCHWEDER *de matrim. ad morganat. pos. I.* PELLICATVM. vero esse illegitimam consuetudinem viri, in iusto matrimonio uidentis, cum muliere quacumque: CONCVBINATVM denique consuetudinem illegitimam viri et mulieris, nulla lege connubiali obstrictorum, legibus tum ecclesiasticis, tum imperii, hodie prohibitam.

morganatici, pellicatus, et concubinarus.

- *) Exstat huiusmodi pactum morganaticum apud MYLER. AB EHRENBACH in *Gamologia Cap. VI. §. I. et II.* atque inde reperitur ab ill. BOEHMERO de *secundis illustr. pers. nupt. Cap. II. §. XXVIII.* quo cauetur, 1) ut inter virum illum illustrem et feminam imparis licet conditionis, sit verum et Christianum matrimonium, et tale semper maneat. 2) Ut liberi utriusque sexus, inde prognati, legitimi quidem sint, at 3) a patris titulis et insignibus totis abstineant, et 4) cum prioris matrimonii liberis nec in prouinciis paternis, nec 5) in aliis eiusdem bonis et thesauris, succedant, sed 6) arcibus, praediis, aliisque rebus, pacto sibi destinatis, contenti sint. 7) Ut et mater non ad superiorem nobilitatem adspiret, sed in conditione sua usque ad extremum vitae habitum perseueret, et 8) nec titulum, insignia ac honores mariti adsectet, nec 9) dotalitium, morgengabam, aliaque lucra exigat, sed promissis praediis contenta uiuat. Conf. SCHWEDER. *de matr. ad morgan. pos. XIX.*

§. CCCXI.

Axiomata de matrimonio ad morganaticam.

Quum itaque nec PELLICATVS, nec CONCVBNATVS iure Germanico sit licita et legitima coniunctio: de iis potius inter crimina agendum erit. De matrimonio vero ex LEGE SALLICA vel MORGANATICA obseruanda sunt axiomata; I. Nuptias huiusmodi facere possunt soli illustres, quippe ad conseruandas illustres dignitates comparatas. II. Eae fieri non possunt, nisi cum femina imparis conditionis. III. Natura ac indoles earum consistit in pacto morganatico, quo, acceptis certis praediis, vel promissa certa pecuniae summa, tum vxor, tum liberi, inde nati, et dignitatis paternae, et succedendi iuris exsortes fiunt. IV. Hae nuptiae vix ferendae sunt, nisi iusta ac probabilis sit ita paciscendi causa. COCCEL. *de lege morganat. Sect. V. §. II. sequ.*

§. CCCXII.

Id matrimonium tantum contrahunt viri illustres.

Quia itaque soli illustres has nuptias licite ineunt: (§. CCCXI, 1.) consequens est, 1) vt nec ingenuis, nec plebeiis, ius sit huiusmodi pactis obstringendi vxores, communesque liberos, nisi 2) princeps id speciatim permittat, cuius rei exemplum est apud BRVNEM. *iur. ecclesiast. Lib. II. Cap. XVI. §. VI.* 3) Vt; si non indulgente principe, tale ineat matrimonium, id quidem subsistat, sed tanquam legitimum, et hinc 4) pacta illa pro nullis procul dubio habenda sint.*)

*) Huc

*) Huc in Marchia pertinet D. FRIDERICI III. *Elect. Brandenburg. renovirte constitution. von Verlöbnißen vnd Ehe-Sachen §. XIII.* Nachdem auch zwischen adelichen vnd bürgerlichen Personen die Verlobung zuweilen lege Salica oder sub pacto morganatico abgehandelt wird: so soll dasselbe hinfüro anderer gestalt, dann mit unserm darob gesuchten vnd erhaltenen consens nicht verstattet, vnd zugelassen seyn, vnd in dessen verbleibung dergleichen desponsationes vnd matrimonia zwar bestehen, ratione conditionum adiectarum ad morganaticam aber keinen effectum iuris haben. Hinc vix publici faporis esse adparet philosophiam NAEVII, HORNII *iurispr. feud. Cap. VI. §. II. et X.* GEORGH BEYERI *iur. Germ. Lib. I. Cap. XXIV. §. X. sequ.* qui huiusmodi matrimonium etiam aequestris ciuicique ordinis hominibus indulgent, et his ne principis quidem consensu opus esse, putant.

§. CCCXIII.

Et quia matrimonium hac lege contrahi non potest, nisi cum imparis conditionis femina: (§. CCCXI, 2.) facile intellectu est non ita pacisci posse principem cum femina principe, *) nec 6) principem cum comitis filia, quum id in ipsum nobilitatis dedecus procul dubio vergeret, si nobilis nobilem duceret sub lege morganatica, nec is hanc pro impare vxore sine iniuria haberet: fed 7) illud matrimonium tantum subsistere posse inter virum illustrem et feminam ingenuam vel plebeiam. Exempla habes apud COCCII. in laudata *dissert. Sect. V. §. X. sequ.* et BOEHMER. *de secund. illustr. pers. nupt. Cap. II. §. XXX. sequ.*

*) Et tamen existat exemplum NICOLAI. III. Marchionis Ferrariensis, Ricardam, Saluzziarum Marchionem, ea lege in totum recipientis, ut filii ex ea nati in marchionatu Ferrariensi non succederent. LINCK. *diff. de matr. admorgan. Cap. II. n. LX.* Sed hoc non fuit matrimonium ex lege morgantica, sed ex *II. Feud. 26. §. filii*, de quo ex instituto agit laudatus COCCEI. *ibid. Sect. IX.*

§. CCCXIV.

Liberi non sunt participes tituli, feudorum, allodiorum illustrium.

Ex tertio axioma (§. CCCXI, 3.) patet, 8) verum quidem hoc esse matrimonium, et hinc 9) liberos inde natos omnino legitimos habendos: *) *II. Feud. 29.* nec tamen 10) titulos integros, totaque insignia, sed partem eorum, nisi aliud placuerit paciscentibus, retinere, e. g. *Ioannes de Austria, Fridricus de Bauaria, Raugrassen zu Pfaltz, Ernestus von Luneburg.* COCCEI. *ibid. Sect. VI. §. II.* SCHWEDER. *ibid. pos. XXVII.* Multoque minus 11) eos in feudis succedere, *II. F. 29.* etiam si 12) illa sint hereditaria, *ZAS. de Feud. Part. VIII. circa fin. versu denique.* COCC. *ibid. §. IV.* immo 13) ne in allodiis quidem, quae tuendae familiae dignitati sunt destinata. KNIPSCH. *de fideic. fam. Cap. VI.* COCCEI. *ibid. §. V.* Nec 14) quidquam interesse, siue existent liberi illustres, siue non existent, vel decesserint, itemque 15) siue agnati sint, quibus huiusmodi bona debentur, siue nulli supersint. COCC. *ibid. §. VII.* Denique 16) nec agnatis succedere posse huiusmodi liberos, quippe non gaudentes iuribus familiae. COCC. *§. VIII.*

*) At

7) At saepe tamen principum liberi comitum, vel ingenuorum dignitatem habent. Quod fieri non posse arbitramur nisi vel princeps pater eius sit conditionis, ut iura huius nobilitatis conferre possit, vel pacta, quibus huiusmodi dignitas liberis destinata est, ab augustissimo Imperatore fuerint confirmata. STRYK. *Vf. hodiern. Pand. Lib. XXIII. tit. II. §. XXVII.* et BOEHMER. *de secund. illustr. pers. nupt. Cap. II. §. XXVIII.*

§. CCCXV.

Ex eodem axiomate patet, 17) ne in priuato quidem patris allodio succedere liberos, ex matrimonio ad morganaticam procreatos, quippe quos pacta contentos esse iubent portione, sibi destinata, COCCEI. *ibid. Sect. VII. §. I.* etiamsi 18) liberi illustres nulli amplius sint superstites, nisi 19) aliud consuetudine receptum sit, qualis fuit MEDIOLANENSIS. *II. Feud. 29.* Ex eadem ratione 20) nec consanguineis succedunt in allodio priuato, COCCEI. *ibid. §. V.* quamuis 21) nihil impediatur, quo minus succedant matri, tam in allodio, et bonis emphyteuticis, quam in feudo feminino, quippe quum sint legitime nati, iisque adeo non obstet *II. Feud. 26. §. naturales.* Quamobrem multo magis 22) tum sibi inuicem, tum 23) cognatis maternis iis in bonis, quae a non illustri recte possidentur, succedere possunt. COCCEI. *ibid. §. VI. sequ.*

§. CCCXVI.

Non minus ex eodem axiomate (§. CCCXI, Pactum 3.) colligimus, 24) pactum hoc, semel in iuribus morganaticum, in fauorem liberorum reuocari non posse, an reuocabile?

posse: quod contra MYLERVM *Germol. Cap. VI. §. XXXVII. sequ.* ex instituto euicit COCCEL. *ibid. Sect. VIII. §. II. sequ.* quamuis 25) quum extraneus etiam in allodio priuato heres recte scribatur, pater procul dubio et liberis, ex matrimonio morgánico natis, aliquid testamento recte relinquat. IDEM. *ibid. §. IV.* Ceterum 26) adeo verum est, contentos illos esse debere portione, sibi a patre promissa, vt ne legitimam quidem exigere, aut 27) sextantem, qui alioquin et illegitimis ab intestato debetur, petere possint. *) COCCEL. *ibid. §. VIII. IX.*

*) Quae haecenus de liberis diximus, ea facile vxori quoque possunt adplicari. Nam et haec exers est tituli maritalis, nec dici solet *Ibro Hochfürstl. Durchl. sed Madame*, item *Ibro Gnaden*. Haec quoque nec dotem petit, nec morgengabam, nec portionem statutariam, sed contenta esse iubetur eo lucro, quod ipsi promissum est pactis dotatilibus.

§. CCCXVII.

Institae
causae
huius-
modi
nuptias
contra-
hendi.

Denique quum vix ferendae sint hae nuptiae, nisi iusta ac probabilis ita paciscendi causa sit: (§. CCCXI, 4) consequens est, 28) vt iis plerumque consulatur splendori familiae, et 29) ita impediatur, quo minus prouinciae vel inter plures diuidantur, vel dotalitiis, paragiis, et apanagiis exhauriantur. 30) Vt adeo ordinarie quidem huiusmodi nuptias ineant, qui iam filios ex pari matrimonio susceperunt, ac proinde 31) secundae demum nuptiae plerumque sub hac lege

lege contrahantur: at 32) iusta tamen causa esse possit, cur et is, qui ex priore matrimonio nihil liberorum suscepit, vel numquam antea caedas nuptiales accendit, hoc matrimonii genus eligat. *) BITSCH. *ad II. F. 29. not. II.* SCHWEDER. *ibid. pos. XV.*

*) Exemplum existat FRIDRICI *Victoriosi*, Electoris Palatini, qui quum nondum uxorem duxisset antea, matrimonium ad morganaticam iniit cum Clara de Terringen, liberisque ex ea natis certas terras assignavit, quibus postea surrogatus est comitatus Löwensteinensis. Causam eius consilii habuit maxime probabilem. Quum enim, tutela Philippi Palatini suscepta, pro tutela ipsam electoralem dignitatem cum consensu pupilli susciperet: non potuit aequales nuptias facere citra praeiudicium vel pupilli, vel futurae prolis suae. Ita eleganter COCCEL. *ibid. Sect. V. §. V. p. 22.*



TIT. XIV.

DE DIVORTIIS ET REPVDIIS.

§. CCCXVIII.

Conne-
xio et
instituti
ratio.

IVrium connubialium, de quibus hactenus actum est pluribus, nihil iam fere superest, praeter tractatum, quibus modis dissoluantur connubia. Sed quum modos plerosque, quippe ex ipsa recta ratione profectos, Germani vetustissimi procul dubio cum reliquis gentibus habuerint communes, ea vero, quae hodie circa DIVORTIA ET REPVDIA obtinent, non veteri iuri Germanico, sed tum ecclesiastico, tum diuino, originem debeant: procul omnino diuertere videremur ab instituti ratione, si his, a iure Germanico alienis, hic immoraremur. Itaque, praetermissis conclusionibus, in foro hodie receptis, quippe ex alio principio profectis, ea tantum, quae olim maioribus nostris iusta visa sunt circa diuortia, paucis conspectabimur.

§. CCCXIX.

Matri-
monia
Germa-
nis tem-
pore Ta-
citi in-
dissolu-
bilia.

Primo itaque satis constat, priscis Germanis etiam ante susceptam Christi doctrinam indissolubilia visa esse matrimonia. *Vxor enim, teste TACITO de mor. Germ. Cap. XX. ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonebatur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in praelio passuram ausuramque. Sic viuendum, sic pereundum.* Itaque

que MORTE demum alterutrius coniugis finiebantur matrimonia, *) nec Germanis unquam innotuerunt ea, quae de nuptiis, CAPTIVITIS DEMINVTIONE MAXIMA ET MEDIA solutis, satis subtiliter philosophabantur iurisconsulti Romani. *l. 1. ff. de diuort. et repud. l. 6. ff. eod. l. 1. C. eod. l. 8. l. 14. §. 1. ff. de capt. et postlim. l. 56. ff. sol. matr.*

*) Sed quum iure Romano superstes maritus statim; vxor, simul ac eluxisset maritum, ad secunda vota transire possent: *l. 9. et l. 11. §. 3. ff. de his qui not. infam. l. 2. C. de secund. nupt.* id non poterant viduae Germanae iis locis, vbi tantum virgines nubebant, et cum spe votoque vxoris semel transigebatur. *TAC. de mor. Germ. Cap. XIX. (§. CLXXIX. *)* Quin gentibus quibusdam indignum facinus visum esse, vxorem marito, saltem qui in acie ceciderat, superstitem viuere, alibi docuimus.

§. CCCXX.

Enimuero vti pudicitiae studiosissimi erant Germani: ita nulla venia erat impudicis, et adulterium, vel probrum ab vxore admissum, nuptias illico finiebat, parato supplicio, ipsisque maritis permisso, *TAC. de morib. Germ. Cap. XIX. Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum poena praesens, et maritis permissa. Accisis criminibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit. *) Publicatae enim pudicitiae nulla venia: non forma, non aetate, non opibus, maritum inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur.* Et de Varnis, gente Germanica, supra

(§. CLXXIX,) vidimus testantem PROCOPIVM de bell. Goth. Lib. IV. barbaros illos sponte, nisi ob stuprum, non dimittere.

*) Poena itaque accisio crinura, et fustigatio, Prior ad ignominiam, posterior ad dolorem et castigationem pertinebat. Capilli, matronarum decus, refecabantur, vt cuique patesceret, mulierem, vulgato corpore, matronalia ornamenta perdidisse. Et sane antiquissima poena est decalvatio, et plerumque cum ictu fustium coniuncta, quae dicebatur per-tingere an Haut vnd Haar. Henrici II. Imp. diploma de contentionibus inter Fuldensem et Hersfeldensem eccles. apud ECCARD ad Leg. Salic. p. 202. Illi, qui huius facti dux et princeps fuerit, tollatur CORIVM et CAPILLI, -- reliqui eius sequaces CVTE et CAPILLIS priuentur. FORM. ALSAT. XXII. Et omnia congrega, vt, quando ego venero, omnia parata inueniam, si CVTEM et CAPILLVM habere volueris. Frequens loquutio, et in ipso SPECVLO SAX. obuia, nec non in LEGE LANGOB. Lib. I. tit. XVII. §. V. vbi mulier iubetur DECALVARI et PVSTARI.

§. CCCXXI.

Etiam apud Saxones.

Manfit iste mos domo exigendi adulteras, easque, accisis crinibus, verberibus caedendi, etiam medio aevo, apud gentes quasdam Germanicae originis. De SAXONIBVS enim auctor est BONIFACIVS in epistola ad Aethelbaldum apud BARON. *Annal. eccl. ad ann. DCCXLV. in antiqua Saxoniam*, *) si mulier maritata, fracto foedere matrimonii, adulterium perpetraverit, aliquando eam cogi propria manu per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum illius incensae et concrematae corruptorem eius suspendi; aliquando, congregato exercitu femineo, flagellatam eam mulieres per pagos

pagos circumquaque ducere, virgis caedentes, et vestimenta eius abscindentes iuxta cingulum, et cultellis suis totum corpus eius secantes, et pungentes minutis vulneribus, cruentatam et laceratam de villa in villam mittere, et occurrere semper novas flagellatrices, zelo pudicitiae adductas, eamque aut mortuam, aut vix viam derelinquere, ut ceteri timorem adulterandi et luxuriandi habeant.

- *) Per antiquam Saxoniam (Old Sassen) Holfatiam potissimum intelligere Bonifacium, iam ab aliis est obseruatum. Inter Cimbroso potissimum Diethmarfos olim acerrime vindicasse adulteria, memoriae proditum est. Adulteram enim ibi, ab vniuersa familia occisam, et aliquando viuam defossam, aliquando in aquis suffocatam esse, scribit ANTON. VIETH. *in der Beschreib. vnd Geschichten des Landes Diethmarsf. Part. II. Cap. I. p. 86.* Probabile itaque est, Diethmarfos potissimum in animo habuisse Bonifacium, haec scribentem. Ceterum et alias gentes boreales seuerius animaduertisse, et etiamnum animaduertere in adulteros adulterasque, patet ex LOCZEN. *Antiqu. Saeo-Goth. Lib. II. Cap. XXIV. p. 110.*

§. CCCXXII.

Id vero notatu dignius videtur, sub Fran-Medio
corum imperio, atque insequentibus tempo-aeuo
ribus, recepta iam Christi doctrina, non non sta-
do plures fuisse diuortii causas, quam cano-
nes ecclesiastici admittunt, sed et, facto di-
uortio, feminis aequae ac viris integrum tunc iuris
fuisse, ad secunda vota transire, quum ta-
men eiusmodi nuptias, viuam moecha con-
tractas, pro adulterio habeant iura canonica.

Quod ex legibus probare exemplisque illustrare operae omnino pretium fuerit.

§. CCCXXIII.

Quo sensu ob solum adulterium licitum visum sit diuortium?

Quod ad diuortii causas attinet, legibus quidem Francorum cautum fuerat, ut diuortia non legitima essent, nisi propter fornicationem: CAPITVL. *Lib. VI. §. CXCI.* idemque sancitum legimus LEGE WISIG. *Lib. III. tit. VI. §. II.* LEGE LANGOB. *Lib. II. tit. XIII. §. VI.* Sed id non ita interpretandum est, ac si ob alias causas vxores repudiare non licuerit, (id enim frequentissime factum esse, mox demonstrabimus,) sed quod id impune non ferret, qui *παρεκτός λόγος πορνείας*, et indicta causa, iustam vxorem repudiasset. *)

*) Nusquam ergo reperias, extra causam adulterii fieri non potuisse diuortia: sed tantum 1) secundum voluntatem domini legitimam causam diuortii esse solam fornicationem, 2) legibus humanis sufficere quidem alias causas, et culpas grauiiores, sed eas probandas esse episcopis comprouincialibus, nec repudiandas vxores, priusquam ab illis damnatae sint. 3) Si quis secus faxit, eum poenitentiam ecclesiasticam, tum aliis forensibus, esse coerendum. Patet hoc ex omnibus Germanicarum gentium legibus. Sic quamuis CAPIT. *Lib. VI. §. CXCI.* presbyteri plebem docere iubeantur, *secundum domini mandatum legitimum coniugium nequaquam posse vlla occasione separari, excepta causa fornicationis*: tamen libro VII. §. CCCV. legimus: *Hi vero saeculares, qui coniugale consortium absque CVLPA GRAVIORE dimittunt, vel etiam dimiserunt, et NULLAS CAUSSAS discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut INLICITA aut ALIENA praesumant, si antequam apud episcopos comprouinciales discidii*

dii CAUSSAS dixerint, et priusquam uxores iudicio damnentur, abiecerint, a communione ecclesiae, et sancti populi coetu pro eo, quod fident et coniugium maculant, excludantur. Sic et LEX BAIVVAR. tit. VII. §. XIV. in eum, qui liber liberam uxorem suam SINE ALIQUO VITIO, PER INVIDIAM dimisit, nihil durius statuit, quam ut poenam XL solidorum parentibus soluere, ipsique repudiatae dotem congruam dare, ac bona denique omnia reddere cogatur. Qualis etiam est LEX WISIGOTHICA Lib. III. tit. VI. §. II. quae eos, qui uxorem iniuste relinquunt, donationem tantum dotis, et quidquid de mulieris bonis habent, amittere iubet.

§. CCCXXIV.

Sic sane licita fuere diuortia, bona gratia Discin-
 vtriusque coniugis facta, eum in finem, ut se deban-
 vitae monasticae consecrarent. CAPITVLAR. tur ma-
 Lib. VI. §. CXCI: Secundum Domini manda- trimo-
 tum legitimum coniugium nequaquam potest nia et-
 vlla occasione separari, excepta caussa fornicati- iam bo-
 onis, nisi CONSENSV AMBORVM, et hoc propter na vtri-
 seruitium Dei. Idem exprimit LEX LANGOB. usque
 Lib. II. tit. XIII. §. VI. nisi quod et haec, id gratia
 arbitrio episcopi fieri oportere, monet. Et ob vitam
 exstant sane huiusmodi diuortii exempla monasti-
 quam plurima, sed quibus recensendis eo cam.
 minus immoramur, quo magis et canones
 hanc caussam probant. *) BIGNON ad Marculf.
 p. 945. Tom. II. Capit.

*) Addere tamen licebit, aliquando et inuitos di-
 uulsos esse coniuges, maxime illustres, si capi-
 tis damnati supplicium ingressu in monasterium
 expiare vellent. Ita THASSILO, Bauariae dux,
 capitis damnatus vitam monasticam vna cum fi-
 liis elegit. ANNAL. FRANCOR. ad ann. DCCLXXXVIII.
 Quum vero uxorem haberet Liutburgam, Desi-
 derii,

detii, Langobardorum regis, filiam, eam eodem tempore in exilium missam, velum sumfisse, et monialem factam esse, docent annales. Vid. IO. GE. ECCARD. *Stemm. Desiderian.* §. VI.

§. CCCXXV.

Immo et sine con- Id vero deinde non praetermittendum vi-
filio in- detur, bona vtriusque gratia huiusmodi di-
gredien- uortia frequenter fieri consueuisse, etiam ab
di reli- illis, quibus nihil minus, quam vestis mona-
gionem. tica placebat. Exstant huiusmodi libelli re-
pudii non modo in FORMVLIS SIRMOND. *Cap.*
XIX. verum etiam apud MARCVLF. *Lib. II.*
Cap. XXX. vbi profitentur coniuges, placuisse
vtriusque voluntati, ut se a consortio separare
deberent, atque ita etiam fecisse, ita, ut vnus-
quisque ex ipsis, siue ad seruitium Dei in mo-
nasterio, aut ad COPVLAM MATRIMONII se so-
ciare voluerit, licentiam habeat, et nulla re-
quisitione ex hoc de parte proximi sui, habere
non debeat.)*

*) Elegans eam in rem est obseruatio HADR. VALESII, quam ex eius *rer. Franc. Lib. XXIII. ad ann. DCCXCVII.* adduxit HERT. *notit. regni Franc. Cap. III. §. III. p. 281.* vbi et exemplum profert Beppoleni, Francorum Ducis filii, qui tres vxores altam post altam intra breue spatium repudiasse fertur. *Multi igitur, inquit, praetextentes, se cum vxoribus concorditer, et mutuo amore viuere non posse, inuitas dimittebant, ut alias ducerent. Nec reges modo; qui quidquid libuerit, sibi licere putant, ita faciebant, verum etiam priuati, quos vxorum suarum fastidium ceperat, beneficio legis utebantur.*

§. CCCXXVI.

Ob ma-
litiosam
deser-
tionem.

Praeterea et diuelli coniuges patiebantur Franci, si alteruter aufugisset, vel coniugem dolo

dolo malo defuerit, vel si vxor maritum, ex iusta causa migraturum, sequi detrectasset. De quo postremo casu CAPIT. PIPINI anni DCCLII. Cap. IX. pag. 164. Tom. I. *Si quis, necessitate ineuitabili cogente, in alium ducatum seu prouinciam fugerit, aut seniore suum, cui fidem mentiri non poterat, secutus fuerit, et vxor eius, quum valet et potest, amore parentum aut rerum suarum, eum sequi noluerit: ipsa omni tempore, quamdiu vir eius, quem sequuta non fuit, viuit, semper innupta permaneat. Nam ille vir eius, qui necessitate cogente in alium locum fugit, si nunquam in suam patriam se reuersurum sperat, si se abstinere non potest, aliam vxorem cum poenitentia potest accipere.*

§. CCCXXVII.

Iusta etiam causa diuortii videbatur coniugis conditio, si quis in personae abiectae et vilissimae amplexus ruisset, e. g. si ingenua nupsisset seruo, aut princeps plebeiam in torum recepisset. Huiusmodi sane coniugibus, iu-
Ob con-
 iugis vi-
 liorem
 condi-
 tionem
 vel pa-
 rentum
 dissen-
 sum.
 bente lege, repudium dandum erat, nisi quis et ipse seruitutem seruire mallet. LEX ALAM. tit. XVII. CAPITVL. COMPEND. ann. DCCLVII. §. V. p. 181. Tom. I. (§. LXXV. *) Quin et parentum dissensus sufficere videbatur, saltim Carolo Caluo, Regi, qui Ludouici filii cum Ansgarde, puella nobili, nuptias, quum iam duo inde filii elegantioris formae prodissent, diremit, eique Adelheidem tradidit, adacto prius in iusiurandum, ab Ansgardis con-

consortio se semper in posterum abstenturum. *) REGINO *ad ann. DCCCXXXVIII.*

*) Multis post saeculis, circa annum MCCCLXV. Guilielmus, Bauariae dux, Agnetem quandam, quam filius eius Albertus iustae vxoris loco habebat, non modo ex mariti amplexibus abripuit, verum etiam, lata sententia, mergi Danubio iussit. Historia satis nota est, de qua vid. SPENERI *sylloge hist. genealog. p. 272.*

§. CCCXXXVIII.

Ob peregrinitatem.

Exstat porro CAROLI CALVI edictum Pistense in CAPITVLAR. CAROLI CALV. *Tit. XXXVI. apud BALVZ. p. 189. Tomo II.* ex quo adparet, etiam coniugium inter feruum ex regno Neustriae et mulierem Nortmannam initum, illegitimum habitum, dominisque fas fuisse eiusmodi matrimonium, tametsi iam liberi inde prodierint, dissoluere, hominesque suos cum aliis nuptiali foedere coniungere. Additur in ea lege: *In illis autem regionibus, quae legem Romanam sequuntur, secundum eandem legem fieri exinde decreuimus.* *) Sed multo seuerius matrimonia etiam ingenuorum cum peregrinis vetabant ipsi Germani, adeo vt quidam Franci vxores repudiarent Saxonicas, aliasque ducerent, tantum quod non iisdem legibus vterentur Franci et Saxones. Quale tamen diuortium postea irritum esse statuit CONCILIVM TRIBVR. *C. I. X. de sponsal.* quod capitulum nuper in nouellis publicis illustrauit praeclare illustris Cancellarius noster A LV-DEWIG.

*) Huc

*) Huc verò petítum ex *l. 1. C. Theod. de nupt. gentil. et l. 2. eod.* quibus itidem dominis permittitur, ut feruorum nuptias, iis inconsultis atque inuitis contractas, diuellerent. Adeoque leges Romance ea in re cum Francica illa vere conueniunt, vel potius haec ex illis manifesto descripta est.

§. CCCXXIX.

Quanta contentione patrum memoria Ob insi-
disceptatum sit, possitne repudium dari vxor- dias vi-
ri, quae vitae mariti insidias struxerit, nemo tae stru-
ignorat. Et tamen id permisere leges Fran- ctas.
cicae. Sub Pippino enim in SYNODO VERME-
RIENSI *Cap. V.* anno DCCLII. cautum est: *Si qua*
mulier mortem viri sui cum aliis hominibus consi-
liauit, et ipse vir ipsius hominem se defendendo
occiderit, et hoc probare potest: ille vir potest
ipsam uxorem dimittere, et, si voluerit, aliam
accipiat. Ipsa autem insidiatrix, poenitentiae
subacta, absque spe coniugii maneat. BALVZ.
Capitul. Tom. I. p. 163.

§. CCCXXX.

Sed quantumcumque inualesceret Pontifi- Plura
cum et episcoporum auctoritas: ante saecu- diuor-
lum tamen XII. nullatenus impedire illi po- tiorum
tuerunt, quo minus ob quascumque alicu- exempla
ius momenti causas, *) matrimonia diuelle- vsque ad
rentur. Saeculo enim septimo Plectrudim saecu-
repudiauit, Alpaidemque duxit Carolus Mar- lum XII.
tellus: saeculo sequente Carolus M. vxorem,
Desiderii, Regis Langobardorum, filiam, in-
certum, qua de causa, repudiauit. EGINARD.
vit. Caroli M. apud Freber. p. 439. Saeculo
decimo eadem fuere fata Hatheburgis, ab
Henri-

Henrico, Aucupe, repudiatae. *DITM. restit. Lib. I. p. 324. apud Leibnit.* Saeculo vndecimo Ecbertus, marchio, paucis diebus, ante quam vita excederet, repudium scribere cogitauerat vxori, et viduam Ottonis, Marchionis, matrimonio sibi iungere, quod haec forma elegantior, et efferatis moribus suis oportunior videretur. *MONACH. HERVELD. ad ann. MLXVIII. p. 388.* Ex saeculo XII. nota sunt exempla Henrici Leonis, Fridrici I. Imp. et aliorum, quae iam praetermittimus.

*) Immo et graues aliquando dicebantur caussae, quae id nomen vix merebantur, veluti cognatio vel adfinitas spiritualis. Quum enim anno DCCLVII. in synodo Compendiensi decretum fuisset, vt si quis filiastrum aut filiastram suam ante Episcopum ad confirmationem tenuisset, ab vxore sua separaretur, et alteram non acciperet: aliae maritos instigabant ad hoc facinus, vt ita possent ab iis diuertere, *FRÉDOARD. Lib. III. Cap. XXI.* aliae eo consilio ipsae patrinarum partibus fungebantur, in quas anno DCCCXIII. inuehitur *SYNODVS CABILONENSIS II.* perpetuam hifce mulieribus iniungens poenitentiam, et ad viros easdem inuitas retrahens.

§. CCCXXXI.

Separati
aliis
iunge-
bantur.

Ceterum ex his omnibus, quae haecenus diximus, fatis adparet, nondum eo tempore inualuisse sententiam patrum, qui post diuortium locum esse negabant nuptiis. Omnes enim, quorum de repudiis diximus, ad nuptias denuo adpulerunt animum: quin, quum Guilielmus Raymundi saeculo XII. auctore archiepiscopo Tarraconensium ab vxore separatus, et cum ea pactus esset, vt certis praediis sex menses singulis annis illa vteretur fruere-

frueretur: conditionem adiecit, vt vſusfructus ille finiretur, *ſimul ac iſta* MARITVM acciperet. BALVZ. *Adpend. actor. vet. n. CLVI. Tom. II. Capitul. p. 1558.*

§. CCCXXXII.

Sed non leuem rerum conuerſionem factam eſſe obſeruamus, ex quo maior in Germania eſſe coepit iuris canonici auctoritas. Tunc enim non tam ad leges iſtas et mores patrios viuebatur, quam ad canones eccleſiæ, et decreta pontificum. Quin etiam ſi poſtea purior in Germania effloreſceret religio: tam altas tamen radices egerant illa principia, vt ne hodierno quidem die inter ipſos proteſtantes prorfus euelli potuerint. Quamobrem magno conatu maximas agere nugas videremur, ſi concluſiones, ex aliis plane fontibus, quam legibus Germanorum, promanantes, hic accumularem.



TIT. XV.

DE PERSONIS,

QVAE SVB TVTELA VIVVNT,
ET QVOTVPLEX GERMA-
NIS TVTELA.

§. CCCXXXIII.

Conne-
xio et
transitio
ad ma-
teriam
de tute-
lis.

Praeter liberos et vxores, de quibus ha-
ctenus actum est, in aliorum MVNDIO
vel tutela erant MINORES ET FEMINAE, de
quibus iam porro erit ex instituti nostri ra-
tione differendum. Quamvis vero ipsa recta
ratio, et, quod inde proficiscitur, ius natu-
rae et gentium eos, qui per aetatem aliamue
iustam causam sponte se defendere neque-
unt, in aliorum tutela esse velit: Germano-
rum tamen, vti aliarum gentium, mores sin-
gulares, et a iure ciuili Romanorum admo-
dum diuersi fuerunt, et ex parte hodie
etiam a Romanorum institutis quam maxime
discrepant.

§. CCCXXXIV.

Impu-
bertas
vel pue-
ritia
Germa-
nis lon-
gissima.

Quod enim ad MINORES attinet, non, vti
apud Romanos, ita festinabantur virgines, nec
adolescentes tam praecoci incremento ad vi-
riem illum vigorem perueniebant, vt illae
anno aetatis XII, hi anno XIV. iustam aeta-
tem attigisse viderentur: sed iam POMPONIVS
MELA *de situ orb. Lib. III. Cap. III.* obserua-
uit, *Germanos maximo frigore nudos agere,
antequam PVERES sint, et LONGISSIMAM apud
eos esse PVERITIAM.* *)

*) IS.

*) IS. VOSS. in *Commentar. p. 236.* haec non de longa minorennitate accipit, sed de ἀναστροφία siue abstinentia a Venere, idemque scripsisse existimat POMPONIVM, quod obseruarit TACTRVS de *mor. Germ. Cap. XX. Sera iuuenum Venus, ideoque inexhausta pubertas.* Sed quum pubertatis praecedat mentio: res ipsa docet, Pomponium vere de pueritia loqui. Deprehendit in Germania mores, quales et hodie inter rusticos et plebeios obseruamus. Animaduertit, adollescentes fere ad annum aetatis XX. vocari *Iungen et Buben.* Quin, eos, tanquam pueros, flagris et verberibus castigari a parentibus et dominis, audiuit, si extra officium viuerent. Quae alienissima fuerunt a moribus Romanorum, qui pueris ineunte anno XVI. togam virilem dare non dubitabant. HENR. NORIS. *Cenotaph. Pisan. Diff. II. Cap. IV. p. 114.*

§. CCCXXXV.

Idem de Illyriis *) refert VARRO *de re rustic. Lib. II. Cap. I.* miraturque, apud eos *feminam, viginti annos natam, VIRGINEM adpellari.* Ergo et apud hos erat sera adolescentum mulierumque Venus, ac proinde inexhausta pubertas, idemque apud eos contingebat, quod de Celtis obseruauit CAESAR *de bello Gall. Lib. VI. Cap. XXI.* inter quos, *qui diutissime impuberès permanebant, maximam ferebant laudem; intra annum vero vigesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis rebus habebatur.*

*) Non iam disquiremus, an Illyrii fuerint Germanicae originis? Fuere sane Norici, Vindelici, Pannonnes, qui et ipsi olim Illyriis accensebantur, origine Germani vel Cetae, vti existimat CELLAR. *Notit. orb. ant. Lib. II. Cap. VIII.* Quod adeo verum est, vt et SAM. BOCHARTVS in *Canaane Lib. I. Cap. XXIII.* quamuis alioquin ex Phoenicia arcessat Illyriorum originem, Boios tamen,

- Scordiseos, et Tauriscos, gentes Gallicae, vel Celticae originis, partem Illyrici infedisse, fateatur, easque gentes omnes Illyrii accenseant POSIDONIUS ET STRABO.

§. CCCXXXVI.

An apud Wisigothos impubertas ad vice-simum quintum aetatis annum durarit?

Ex quibus locis simul discimus, quis apud Germanos fuerit terminus pubertatis vel maiorennitatis, (haec enim vix distinguebantur a maioribus nostris,) et quamdiu quis sub aliorum tutela fuerit. Plerisque enim Germanis placebat annus aetatis VICESIMVS. Alii VIGINTI ET VNVM, alii OCTODECIM annos exigebant, nec vllam fere reperias gentem Germanicam, quae masculos quatuordecim annorum; feminas duodecennes in sua esse tutela crediderit: nec vllam, quae vicesimo quinto demum anno minorennitatem finiri, existimarit, praeter WISIGOTHICAM. Vid. LEX WISIG. Lib. IV. tit. III. §. I. *)

*) In editione enim Lindenbrogiana est, *filios infra XXV. annos dicendos pupillos*. Sed tamen et hic locus dubius est, et in codice MSC. quem bibliotheca LVDEWIGIANA ostentat, incomparabili, plenis litteris expressum est, *filios infra QUINDECIM ANNOS dicendos esse pupillos*. Ill. a LVDEWIG *de aetate legit. puber. et maiorenn. Cap. III. §. VII. p. 53.* Eamque lectionem firmat alter locus LEG. WISIG. Lib. IV. tit. III. §. III. ubi *ad PERFECTAM AETATEM peruenisse* dicitur, qui XX. annorum est. Verè itaque cum Germanis reliquis omnia conveniebant WISIGOTHIS, nisi quod minorennitatem, exemplo Romanorum, discernent a pubertate, et illam anno XX. hanc anno XV. finiri vellent.

§. CCCXXXVII.

§. CCCXXXVII.

VIGINTI illis annis VNVM addidisse videntur FRANCI. Quamuis enim iste terminus nec SALICA, nec RIPVARIA lege, nec CAPITVLARIBVS regum Francorum, figatur: CAROLVS tamen DV FRESNE in *Glossar. Lat. sub voce aetas* protulit tabulas Ioannis, Regis Hierosolymitani, anno MCCXIV. scriptas, in quibus et haec habentur: *Scire vos volumus, quod CONSVETUDO ANTIQVA, et per IVS adprobata, talis est in regno Franciae, quod nullus ante VICESIMVM PRIMVM ANNVVM potest vel debet trahi in causam.* Vid. illustr. A LVDEWIG *ibid. Cap. III. §. IX. p. 56.*

Apud
Francos
maiores
habe-
bantur
iuvenes
anno-
rum
XXI.

§. CCCXXXVIII.

Eumdem annum XXI. placuisse animad- uertimus NORMANNIS. Quamuis enim eorum LEGE *tit. VII. proditum sit, minorem aetatem habere, qui nondum spatium XX. annorum compleuerint, et hinc adolefcentes in TUTELA vsque ad VICESIMVM ANNVVM completum tenendos esse: statim tamen addit legislator, VNVM vltra ANNVVM isdem concedi ex vsu Normanniae, quo clamorem de reuocatione fuisinae antecessorum per inquisitionem debeant in curia proponere. De muliere quoque eadem lege cautum est, ut, nisi per matrimonium, custodiam non egrediatur, quousque XX. annos compleuerit. *)*

Iremque
apud
Nor-
mannos.

*) Illud singulare, quod si mulier, quae feudum habebat, minorenni nupsisset, feudum in custodia, id est, administratione tutoris domini maneret, non

quamdiu ipsa, sed quamdiu maritus minorennis esset. *Sic enim, LEX NORM. ibid. Si quis vero in NON AETATE constitutus duxerit in uxorem, habentem feodum: feodum in custodia erit, quamdiu adolescens aetatem non habebit. Mulier enim conditionem viri sui sequitur, et legem.*

§. CCCXXXIX.

Et Lan-
gobar-
dos.

Denique LANGOBARDI, siue eam consuetudinem secum ex Germania aduexerint in Italiam, siue eam trans Alpes primum adsciuerint, duodeuicesimum aetatis annum sufficere existimarunt, vt quis in tutelam suam perueniret. Hinc LVITPRANDVS in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit. XXIX. §. I: Hoc respeximus, vt infra X. et VIII. annos non sit legitimus homo, ad res suas alienandas, excepto, si pater debitum dimiserit. - - - Et in nonodecimo anno homini Langobardo sit LEGITIMA AETAS, *) et quodcumque fecerit, vel iudicauerit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere.*

*) Equidem hoc iure, diuersa admodum notione, LEGITIMAM AETATEM attigisse dicuntur adolescentes. *Lib. II. tit. XIV. §. III. legitimus: LEGITIMA AETAS est, postquam filii XII. annos habuerint: sed hoc tantum de eo casu intelligendum, si naturales liberi consensum accommodare velint patri, eos legitimituro. Eadem aetas hoc iure LEGITIMA esse dicitur puellarum: quae nupturae essent. Lib. II. tit. I. §. X. et tit. VIII. §. II. Denique annus decimus quartus aetas LEGITIMA iure Langobardico fuit adolescentium, nuptias meditantium, teste §. VIII. Lib. II. tit. VIII. At tutela non liberabatur, nec rerum suarum administrationem recipiebat, nisi qui duodeuicesimum aetatis exegisset. Adeoque ratione tutelae haec demum aetas videbatur LEGITIMA.*

§. CCCXL.

§. CCCXL.

Vnum ex his minorennitatis terminis, quod de finienda tutela quaerebatur, et postea servabant Germani, populi que cognati, et ex parte etiam nuda servant, et paucae fuerunt gentes, quae inter pubertatem et minorennitatem discrimen aliquod statuerent, sed huc iuvenes usque aliorum tutela regi voluerunt tantum non omnes, adeoque recte ineunt rationes, qui tutorum curatorumque discrimen plane ignotum maioribus nostris fuisse, eosque ne vocabula quidem, quibus ea munera discernent, habuisse, contendunt. Vid. GE. BEYER ET CAR. GVIL. GAERTNERI *dissertationes de differentia tutorum et curatorum iure German.*

Minorennitas infrequentibus temporibus vel ad annum XXI. vel ad XX. vel ad XVIII. duravit.

§. CCCXLI.

Sic sane, exacto vicesimo aetatis anno, iuvenes maiorenes habentur legibus et consuetudinibus Britonum, BERT. ARGENTR. *in consu. Brit. tit. XXI. art. CCCCLVIII.* Pictaviensium, *art. CCCXVI.* Aurelianensium, PYRRH. ANGLEB. *tit. I. Cap. XXX. et XXXV.* Andegauensium, CHOPPIN. *art. LXXXVI.* quamvis hae duae posteriores hic inter masculos et feminas discrimen aliquod statuunt, et illos quidem anno aetatis XX; has anno XIV. maiorenes fieri statuunt. Eundem minorennitatis terminum figunt Belgae, veluti Gelri, FRID. SAND. *de Feud. Gelr. tract. II. tit. I. Cap. II.* Ultraiectini, PAVLL. VOET. *ad pr. Inst. de curat.* quamvis et ibi sexus

Quinam eam XX. annis finiuerint?

discrimen faciat, *) nec non in Germania Argentoratenses. STATVT. ARG. *Art. V.* et alii.

*) Hoc etiam discrimen ratione sexus admodum diuersum est. Pleraque statuta, quae annum de-
 mum XX. aut XXII. masculis sufficere putant, ci-
 tius feminas tutela solvunt. Sic iure Bohemico
 masculus anno XX. femina anno XV; Gelrico ma-
 sculus anno XX, puella anno XVIII; Austriaco
 masculus anno XXII. femina anno XX. maioren-
 nis habetur, rerumque suarum administrationem
 consequitur. Soli fere Ultraiectini in alia omnia
 eunt, et masculum citius, anno nimirum XVIII;
 feminam biennio tardius, in tutelam suam perue-
 nire iubent: (Vid. ill. a LVDEWIG. *de aetate pub. et
 maiorenn. Cap. III. §. XVII. XXV. XXIX.*) ratione
 sane vsi consultissima, quod hic non quaeratur de
 aetate ad Venerem idonea, quam citius puellae,
 quam masculi attingunt, sed de facultate res suas
 prudenter administrandi, quam masculis plerum-
 que citius natura largitur, quam feminis, quibus
*ὀλισηρόν καὶ εὐαπατήρον Φρόνημα, labile ac de-
 ceptu facile ingenium*, non abs re tribuit THEOD.
 HERMOPOLIT. *ad l. 2. ff. de reg. iur. Conf. l. 2. §. 2,
 ff. et l. 2. C. ad SC. Velleian.*

§. CCCXLII.

Quinam annis XXI? Contra anno XXI. aetatem minorem finiri
 voluerunt plures, in eumque annum consen-
 ferunt Saxones, IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.
 XLII.* IVS FEVD. SAX. *Art. XXVI.* eorumque
 posteri, Angli, *) IO. COWELL. *inst. iur. Angl.
 Lib. I. tit. XXII.* Sueui, quod ad feuda atti-
 net, IVS FEVD. ALAM. *Art. L.* Boioarii, IVS BA-
 VAR. *tit. V. Art. V.* Butiadingi, BUTIAD.
 LANDR. *Art. VII.* et alii. Quod eo minus mi-
 randum, quo magis per plures Germaniae pro-

provincias olim inualuerat iuris Saxonici ac Sueuici auctoritas.

- *) Attamen et hi feminas ex ea ratione, quod in maritorum potestatem ac tutelam perueniunt, citius, anno puta aetatis decimo quarto, vel in causa grauiore decimo sexto, ad aetatem legitimam peruenire censent. COWELL. *ibid.* quum plerique alii, qui annum XXI. receperunt, nullam inter masculos feminasque admittant differentiam.

§. CCCXLIII.

Denique et annus XVIII, quo et plenam Quinam annis XVIII. pubertatem olim finiebant Romani, permultis Germanis, tamquam extremus impubertatis, placuit. Hamburgenses enim, quamuis alioquin inter impubertatis et minorennitatis annos distinguant, tamen hanc anno aetatis duodeuicesimo exacto, terminari censent, IVS MVNIC. HAMB. *Part. III. tit. VI. Art. XXI.* nisi quod hi nuper hoc ius singulari plebiscito mutarint. Eandem aetatem legibus etiam Bremensium et Noribergensium pro legitima haberi, pluribus docuit ill. a LVDÉWIG. *ibid. Cap. IV. §. XI. sequ.* His et Sueuos addere licebit, SPEC. SVEV. *art. CCCXXI. §. ult.* et Brunswicensis. Vid. LEIBNIT. *Script. rer. Brunsw. Tom. III.*

§. CCCXLIV.

Quid? quod fuerint, et etiamnum sint, Quibusdam locis magistratibus gentes ac ciuitates Germanicae, quae nullum certum minorennitatis terminum figunt, sed iudicium et magistratum relinquunt arbitrio, permittitur arbitrium, quando fatiſne idoneum censeant adolescentem, cui rerum suarum administratio committatur, an eum

quis ma-
iorennis
haben-
dus.

eum diutius alterius tutela contineri oporteat. *) Id sane legibus Franconicis, Wurttembergicis, Palatinis, Bipontinis cautum esse, idem ostendit laudatissimus a LVDEWIG. *ibidem* Cap. IV. §. XIV. p. 80. *sequ.*

*) Ita et iure Romano pubertatis tempus non satis definitum fuisse ante l. ult. C. quando tutor. vel cur. esse desin. existimat MERILL. *Observ. Lib. V. Cap. XVI.* Hinc testatores, qui tutores liberis dederint, certum annum expressisse observat, quousque in tutela esse deberent, eumque modo decimum quartum, l. 49. ff. de legat. 1. l. 22. ff. quando dies legat. modo decimum octavum, ut in l. 101. §. 2. ff. de condit. et demonstr. modo decimum sextum, ut in l. 34. §. 2. ff. de legat. 3. l. 36. §. 1. l. 48. ff. de condit. et demonstr. l. 46. ff. ad SC. Trebell. l. 41. §. 10. 12. 13. ff. de fideic. libert. Quin ad eum morem adludere ipsi videtur PAVLLVS, Apostolus, dum heredem infantem esse ait ὑπὸ ἐπιτροπῆς καὶ οἰκονόμῃς ἔχει τῆς προνομίας τῆ πατρὸς, sub curatoribus et administratoribus ad tempus a patre definitum. GALAT. IV. 2. Sed vereor, ne MERILLIO obftet ab ipso adducta l. 101. §. 2. ff. de cond. et dem.

§. CCCXLV.

Tutela
suprema
mino-
rum per-
tinet ad
principes
et magi-
stratus.

Omnes itaque impuberes vel minores erant sub tutela, et quidem primario ipsorum PRINCIPVM ET MAGISTRATVVM, quibus iure Germanico SUPREMA TUTELA competebat, *die obervormundschaft*; WESENBECK. *Part. I. Consil. III. n. LXVII.* MEV. *ad ius Lubec. Part. II. tit. II. art. XXI. n. XIX.* SCHILTER. *Exerc. XXXVII. §. LXII.* quae nihil aliud est, quam vis ac potestas in pupillos, et, sicubi in Germania et feminae adultiores sub tutela vel cura vivere tenen-

tenentur, etiam in feminas, primario atque eminenter summis imperantibus; secundo quibusuis magistratibus competens, vt non modo tutores vel curatores sua vice administraturos constituere, *) sed et gestorum rationes ab iisdem, tamquam vicariis suis, poscere, ac denique parum diligentes, nulla etiam praeuia suspectorum accusatione, in ordinem cogere ac remouere possint. *Diss. nostr. de supr. princ. et magistr. tut. §. XV.*

*) Non ergo ob solam tutorum constitutionem, et competentem magistratibus *ἐπισκοπήν* principes et magistratus vocantur *obervormünder*, (nam ideo nemo principem dixerit supremum consiliarium, quia consiliarios constituit, et gestorum rationes ab iis exigit,) sed quia vere tutores sunt, et reliqui tutores et curatores, ab iis confirmati, eorum vice duntaxat funguntur. Ita recte CARPZOVIVS *Lib. V. tit. VIII. resp. LXXXVI. n. XXIII.* cuius sententiam parum feliciter impugnauit SCHILTER. *Exerc. XXXVII. §. LXVIII. p. 623. Vid. dissertat. nostr. ibid. §. XIV. p. 23.*

§. CCCXLVI.

Mentionem supremæ huius tutelae iam Ea iam fecerunt leges veteres. In CAPITVLARIBVS in legibus anti- enim LVDOVICI PII *Lib. VI. §. CCXXIII.* cautum est, vt VIDVAE, ORPHANI, et minus potentes, sub Dei defensione, et Regis quibus antiquis praesidium re- MVNDIBVRDE, pacem habeant, et eorum iustitias adquirant. Et in LEGE NORMANNICA apud ill. a LVDEWIG. *Reliqu. MSC. Tom. VII. p. 149.* Duci ratione ducatus Normanniae custodia MINORVM vsque ad XXI. annum completum compe-

competere dicitur. Quin tum reges, tum principes, in ipsis inaugurationis sacris, solemniter promittere solitos, se fore TVTORES VIDVARVM AC ORPHANORVM, satis patet ex WITTICHIND. *Annal. Lib. II. p. 443.* WIPPONE *vit. Conradi p. 429.* LEHM. *Chron. Spir. Lib. II. Cap. VI.* MEGISER. *Annal. Carinth. Lib. VI. Cap. XI.* ARGENTR. *histoire de Bretagne Lib. XII. Cap. XXI.*

§. CCCXLVII.

Et in legibus nouis saepe memoratur.

Atque inde factum est, vt supremæ huius tutelæ, recepto etiam iure Romano, passim fiat mentio in legibus Germanicis recentioribus. De Wurtembergiæ Ducibus auctor est BESOLDVS *Thesaur. pract. voce Burgemeister und Gericht. p. 124.* eos hoc sibi munus libenter tribuisse, et in rescriptis se frequenter vocasse *obriste Vormundere.* Similia loca reperias apud WVRFFBAIN. *Different. iur. ciuil. et Norib. Class. II. §. VII.* LVDEWIG. *Opusc. Tom. II. p. 1177.* in ORD. PÔL. MAGDEB. *Cap. XLIII. §. I.* CONST. TVTEL. PRVSS. *praefat. p. 2.* WILLENB. *de iure pers. ducat. Oppol. et Ratib. Cap. IV. §. III. p. 41.*

§. CCCXLVIII.

Tutela hæc summa in feudis fuit fructuaria.

Ceterum tutela illa suprema principum et magistratum, quod ad allodialia bona attinet, non nisi in eo erat posita, quod reliqui tutores, ab iis confirmati, eorum vice fungentur, et tum personas pupillorum defenderent, tum eorum bona administrarent. Si vero feudum haberet pupillus, principi ratione illius

illius competebat tutela fructuaria, isque praeter ea, quae educationi pupilli impendenda essent, fructus feudi omnes capiebat. IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art. LVIII. Vnd hat sich das kind noch nicht bejahret, so nimmt der Lehen-Herr die frucht herab.* IVS SVEV. *Cap. CCXXIV. §. II. Vnd hat er das gut zu leben von einem Herrn, so wird dem Herrn das gold, das gut behält er. *)*

*) Haec tutela in vasallos fructuaria etiamnum obrinet in Normannia, vocaturque *la garde noble royale*. CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. voce custodia*, nec non in Anglia, de qua IO. COWELL. *Iur. Angl. Lib. I. tit. XVII. §. I. p. 34* CRAG. *iur. feud. Lib. II. d. XX. p. 284.* POLYD. VERGIL. *Hist. Angl. Lib. XVI. p. 570.* Exstat diploma Henrici, Reg. Rom. scriptum anno MCCXXII. apud MIRAEVM *Donat. Belg. Lib. I. cap. XCV.* et CHRISTOPH. BUTKENS. *Traph. Brabant. in probat. p. 68.* primo Lotharingiae ac Brabantiae Duci datum, in quo et haec legitur: *Adhaec iudem per sententiam fuit duci adiudicata TVTELA PARVVLORVM, vsque ad duodecimum annum, de feudis, quae ab ipso tenentur.* Simile ius Archiepiscopo Treuirensi anno MCCCLXXIII. concessit Carolus IV. Imp. in diplomate apud LAMN. *iur. publ. Tom. I. Lib. III. Cap. V.* vbi Archiepiscopo illi confirmatur *merum et mixtum imperium, cum attinentiis in iurisdictionibus, quae Freieingereide (legendum videtur Freyen-Gerichte, vel Freyengedinge) vocantur, pariterque IVS TVTELAE exercendae vasallorum suorum imperberum.* Electorem hoc iure etiamnum uti, docet auctor *des Europ. Herolds Part. I. p. 280.* Rationes vero huius iuris reddit CRAG. *ibid. p. 287.*

§. CCCXLIX.

Quum vero nec principes, nec magistratus ipsi, gerere ac administrare possent: ipsa sane Tutorum necessitas Germanorum

reliqui
vel pa-
ctitii.

necessitas exigebat, vt alii tutores, qui eorum vice pupillos ac minores defenderent, eorumque bona curarent, constituerentur. Hi vero vetere iure vel LEGITIMI erant, vel DATIVI. *Testamentarii* eo magis erant veteribus Germanis ignoti, quo minus ipsa testamenta quotidiani vsus essent. *) Sed eorum loco tamen tutores PACTITIOS, vel conuentione constitutos, vsu receptos fuisse, satis constat exemplo Dagoberti, Regis, qui, *quum vitae suae sentiret periculum, Aeganem sub celeritate ad se venire praecepit, et se iam discessurum sentiens, reginam, Nantildem, et filium suum, Chlodouaeum, eidem IN MANU COMMENDANS, consilium Aeganae pergratum habuit, quod cum eius instantia regnum strenue gubernare possit.* FREDEGAR. *Chron. Cap. LXXIX.*

- *) Hinc antiquissimum, quod in antiquitatibus Germanicis occurrat, tutelae testamentariae exemplum SCHILTERVS *Exerc. XXXVII. §. XXXIX.* esse existimat illud, Ludouici Barbati, Electoris Palatini, fato functi anno MCCCCXXXVII. Sed exempla multo antiquiora, ex ipso saeculo XI. collegit doctissimus HERT. *de special. Rom. Germ. imp. rebusp. earumque causis, et fig. Sect. II. §. XVII.* fassus tamen, haec et similia exempla Principum receptionem vniuersalem eo tempore non probare. Prius enim principes, quam priuatos, iure ciuili Romano viuere coepisse, iam alibi obseruauimus.

§. CCCL.

Vellegi-
timi.

Praecipua itaque in Germania fuisse videtur TUTELA PACTITIA, praesumentibus legibus, parentes optimum pro liberis capere solere consilium, nec ullis commendaturos pupillos suos,

suos, quam quorum fidem atque industriam exploratam perspectissimamque haberent. Deficiente vero tutore pactitio, proximus agnatus id munus ex lege suscipiebat, ac proinde verus vel legitimus tutor, (*der rechte Vormund,*) vocabatur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXIII.* et IVS FEVD. SAX. *Art. XXVI.*

§. CCCLI.

In hanc tutelam legitimam, et quidem Quibus agnatorum, leges Germanicae tantum non ^{praefer-} omnes consenserunt: nisi quod pleraeque ^{rebatur} matrem reliquis propinquis praeferrent, non ^{mater.} quod id a Romanis didicissent, *) sed quod ex iuris Germanici principiis matri non minor potestas esset in liberos, quam patri, vtriusque vero potestas in *mundio*, seu tutela, consisteret. (§. CXXXVIII, 4. 5.) Matrem sane, si ad secunda vota non transiret, tutricem esse liberorum voluit LEX BVRG. *tit. LIX. et LXXXV.* et WISIGOTH. *Lib. IV. tit. III. §. III.* Idem mos et postea in ipsa Germania viguit, ceu docet exemplum Agnètis, penes quam, Henrico III. Imp. marito mortuo, relictoque filio impubere, Henrico IV, *summa rerum, et omnium, quibus factò opus erat, administratio remanebat:* LAMB. SCHAFNAB. *ad ann. MLVI.* nec non viduae Adolphi II. Comitis Holsatiae, quo anno MCLXIV. a Slavus occiso, *illa cometiæ Holsatiae, Sturmariae et Wagriae administrabat cum filio adhuc tenello.* HELMOLD. *Chron. Slav. Lib. I. Cap. VII.* Add. EYBEN. *de tut. fem. Part. II. membrò II. n. 7.*

*) Equi-

Equidem haec tutela materna plane Romana vel id eo videri posset, quod tum Burgundica lex, tum Wisigothica, matri, secundas nuptias adfectanti, tutelam abiudicat: idque accurate conuenit iuri Romano, *Non. CXVI. Cap. 5.* Sed hoc ipsa recte ratio percipit, quod gentes Germanicas, satis edoctas experientia non multum a nouerca differre matrem, quam in alterius mariti amplexus ruit, eamque vna cura prioris mariti memoria plerumque et amorem erga liberos deponere, quin, si vel maxime eos eadem, ac antea, pietate prosequeretur, non posse tamen eorum utilitatibus suo arbitrio studere, mariti mundo ac potestati subiectam.

§. CCCLII.

Ea deficiente, legitimi tutores erant agnati.

Post matrem proximi ad tutelam erant agnati, quos pleraeque leges praeferebant cognatis, et ita quidem, ut e pluribus eiusdem gradus natu maiori prae reliquis id munus deferretur. Equidem *LEX LANGOB. Lib. II. tit. XXV. §. IV.* generatim statuit, ut, mortuo patre, legitimus propinquus paruulo iuste tutor ac defensor esset, quae repetuntur etiam in *CAPITVLAR. Addit. IV. §. CXIX. p. 129, Tom. I.* at *LEX WISIG. Lib. IV. tit. III. §. III.* tutelam legitimam primo decernit matri, deinde, ea iterum nubente, fratri pupillorum seniori, modo is annum aetatis vicissimum attigerit, hinc porro patruo, ac denique patruui filio, adeoque agnatis tantum. Denique ex *LEGE SAX. tit. VII. §. V.* tutela filiarum fratri vel proximo paterni generis deferrebatur. *Sin mater, filium habens, nupsisset, filiamque genuisset, tutela filiae non ad filium prius genitum, sed ad fratrem patris vel ad proximum eius pertinebat.*

§. CCCLIII.

§. CCCLIII.

Seruarunt id principium postèri, et ita Haec
quidem, vt agnatus ille, qui legitimam pu-
pillorum tutelam suscipiebat, vel plane non
redderet rationes, et alimenta tantum pu-
illis constitueret, vel vsumfructum partis sal-
tim bonorum pupillarium perciperet. *)

Hinc quamvis LEX WISIGOTHICA Lib. IV. tit.
III. §. III. boni viri arbitrato administrari res
pupillares, et damna, tutorum culpa data,
resarciri iubeat: ei tamen *de fructibus partem
decimam praesumendi* facultatem non negat.
Id quod et hodie in Hispania obseruari, ex
scriptoribus Hispanicis probat ill. a LVDEWIG.
*in diff. iur. Rom. et Germ. in fruct. attrib. tut.
fruct. diff. I. p. 1206. Tom. II. Opusc.*

*) Multo magis itaque tutela materna erat fructua-
ria, quippe quum matrem, tamquam matrem,
etiam ex puberum liberorum bonis vsumfructum,
mortuo patre, cepisse, supra probauerimus (§.
CXXXIX, 4.) Conf. *dissert. nostr. de vsufructu
materno iuris Germ. in primis Hamburgensis.* et ill.
a LVDEWIG *diff. iur. Rom. et Germ. de tutela mat. diff.
XVI. p. 1157. sequ.*

§. CCCLIV.

Eodem iure in ipsa Germania vsi sunt tu- Nec non
tores legitimi. *) Quod sicuti ex ipsa LEGE apud re-
SAXON. tit. VII. §. IV. quodammodo collegit liquas
GAERTNER. *in Notis p. 75.* ita IVRE PROV. SAX. id gentes
multo clarius expressum est Lib. I. Art. XXIII. nicas.
*Wo die Söhne binnen ihren Jahren seyn, ihr äl-
tester ebenbürtiger Schwerdmage nimmt das
Heergewette, vnd ist der Kinder Vermund
T daran,*

daran, bis sie zu ihren Jahren kommen. So soll ers ihnen darnach wiedergeben, dazu auch alles ihr gut. Et paullo post: Dem, so des Kindes erbe ist, soll sein Vormund von Jahr zu Jahr des Kindes gut berechnen. Wo aber der Vormund auch Erbe mit ist, so darff er niemand des Kindes Gut berechnen.

*) Similia sunt statuta ducatus Oppeliae et Ratibor-
 riae in Silesia, quae tutori tertiam fructuum par-
 tem assignant. SCHIKFVS. *Cbron. Siles. Lib. III.*
p. 464. WILIENB. de iure person. ducat. Oppol. et
Ratibor. Cap. IV. §. VII. p. 44. Contra plenissi-
imum vfusfructum bonorum pupillarium omnium
tutoribus in Moravia competere, testatur BETSIVS
apud ill. a LVDWIG. ibid. p. 1219. Quin Francos
olim simili iure vfos esse, vel inde patet, quod
eo et hodie in Gallia vtuntur Bituricenses, Aure-
lianenses, Andegauenses Burgundi, Parisini, quo-
rum consuetudines recensuit laudatus a LVDEWIG.
ibid. p. 1206. sequ.

§. CCCLV.

Tutor
 datiuus.

Non existente legitimo tutore, vel eo ad-
 ministrationi parum idoneo, et in Germania
 tutor a magistratu DATATVR. LEGE ENIM WI-
 SIG. *ibid.* cautum est primum, *vt si nec pa-*
truu, nec patru filius, qui digne tutelam susci-
piat orphanorum, fuerit, tunc tutor ab alijs
parentibus in praesentia iudicis eligatur, dein-
de, vt is repertorium conficiat bonorum pu-
pillarium, a quinque testibus subscribendum,
 omneque damnum, culpa sua datum, resar-
 ciat. Ex quo patet, hanc tutelam apud Wi-
 sigothos, non fuisse fructuariam. Quod et
 de Francis videtur dicendum, apud quos tu-
 torum datio ad comitem potissimum offi-
 cium

cium pertinere videbatur. CAPITVL. *Lib. IV.*
§. XVI.

§. CCCLVI.

Enimuero, quum hi tutores omnes, siue ^{Omnes} pacto, siue vltima parentum voluntate, siue ^{tutores} lege; siue magistratus arbitrio, constituti, ^{auctori-} non tam suo, quam magistratum, nomine ^{tate ma-} administrarent: (§. CCCXLI. *) facile patet, ^{gistratus} eos non fungi potuisse hoc munere, nisi pu- ^{admini-} blica auctoritate iis commissa fuisset admini- ^{strabant.} strandi facultas. Quem morem Germanorum antiquissimum esse, satis patet ex FORMVL. SIRMOND. *Cap. XXIV.* et LINDENBROGH *Cap. LXXIV.* vbi et legitimus tutor a magistratu confirmatur. *)

*) Vtraque formula est eadem, tantoque notatu dignior, quod ea agat de tutela legitima *ex lege Romana.* Sane enim, quum ius Romanum confirmationem ignoret, nisi tutorum testamento datorum, eamque ne tunc quidem semper exigat, sed eo tantum casu, si quis, cui non est ius dandi tutorem, vel ei, qui emancipatus est, vel codicillis, testamento non confirmatis, tutorem dedisset: §. *vlt. Inst. qui test. tut. dant.* Germani omnes, etiam legitimos, auctoritatem a magistratu tutelari habere, et ne illos quidem, quos LEGE ROMANA viuere patiebantur, exceptos voluerunt.

§. CCCLVII.

Hactenus de tutela pupillari. Praeter pu- ^{Femi-} pillos in tutela etiam viuiebant ^{nae} MULIERES, ^{etiam in} quantumuis adultae, et quidem vel marito- ^{tutela} rum, quorum de tutela iam supra diximus, ^{viue-} (§. CCLXXXII. sequ.) vel propinquorum, ^{bant.}

vel extraneorum. Meminerunt huius tutelae mulierum diplomata. *Mundwaldus Gundae*, qui eam feminam Sifenando despondit, occurrit apud MABILLON. *de re dipl. Lib. VI. n. IV. Hilla cum suo electo mundwaldus, et sibi iudicialiter dato*, apud FRIDR. SANDE *de effestucat. Cap. II.* Quin apud GOLDASTVM *script. rer. Alam. Tom. II. p. 26. 27. edit. nou.* Engeltruda et Wolaliub manumittunt seruos, illa *cum Richaldo, aduocato suo, haec cum mariti aduocati sui Engilboldi. *)*

*) Idem GOLDASTVS *ad Dofth. sent. Hadr. p. 862. edit. Schulting.* producit chartam Cotawinae, ancillae Dei, quam signarunt plures, praeter Cotawinam, veluti *Wichardus, TVTO, Wotahar*, et alii. Ibi illud TVTO accipit pro *tutore* Cotawinae, miraturque, nomen illius non adscriptum esse, quum id necessarium habeatur iure Alamannico nouo. Qualia etiam legas ap. EV. OTTONEM *de perp. fem. tut. Cap. II. §. 6. p. 237. sequ.* Ast TVTO ibi non est *tutor*, sed *Tuto*, nomen proprium, Alamannis satis familiare, ceu patet ex catalogo veterum nominum propriorum, edito ab ipso GOLDASTO *script. rer. Alam. Tom. II. p. 100. Vid. diff. nostr. de marito tut. vel curat. vxor. legit. Cap. II. §. VII.*

§. CCCLVIII.

Eti-
am
infe-
quenti-
bus tem-
poribus.

IVRE SAXONICO VXOR erat in tutela mariti, eo vero mortuo, agnatus proximus non mariti, sed viduae, tutelam eius suscipiebat, praeterquam si liberi exstarent, siquidem tunc proximus liberorum agnatus et horum, et simul vxoris tutela fungebatur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. XLVIII. Wann der Mann stierbt, so ist sie ledig von seinen Rechten, vnd behält dann ihr selbst Recht, nach ihrer Geburt. Vnd darum*

datum muß auch ihr Vormund sein ihr nächster ebenbürtiger Schwermage, und nicht ihres Mannes. Et Art. XXIII. Der Kinder ältester Schwermage nimmt das Heergewett alles zu sich, und ist der Kinder Vormund daran, bis sie zu ihrem Iahren kommen--- Er ist auch der Wittwe, oder des Kindes Mutter Vormund, bis daß sie einen Mann nimt, der ihr ebenbürtig ist. Similia sunt in SPEC. SVRVIDO Art. CVI. edit. Schannat.

§. CCCLIX.

At tutores isti adularum, fecus ac mariti, tantum auctoritatem interponebant, non administrabant, adeoque nec usufructum percipiebant, nisi quod pretium nuptiale vel pecunia pro muliere data, nec non mulctae, pro rapta, stuprata, vel occisa muliere praestandae, ex quarumdam Germanicarum legum praescripto tutoribus adularum legitimis cederent. LEX SAX. tit. VII. §. III. LEX FRIS. tit. IX. §. IX. et XI. LEX LANGOB. Lib. II. tit. II. §. II. sequ.*)

An tutores feminarum usufructum perciperint.

*) Attamen et mulierum tutores bona aliquando administrasse, et inde fructus percepisse, patet ex SPEC. SVEV. Art. CGLXXVI. pr. vbi feminae, cuius bona tutor interuertit, datur actio suspecti, additurque, eum si ter citatus iudicio se non stiterit, remouendum esse a tutela. Vbi in editione BERGERIANA p. 91. sequ. legimus: Der Richter soll ihn mit vrtailen badmunden, das ist also gesprochen, man soll im Vrtailen all Vormundschaft, und all PFLEG NUTZ. Pro quo in editionibus MEICHSNERI ET SCHANNATI Art. CXIII p. 231. est: Und alle Voigrey;

§. CCCLX.

Defini-
tiones v-
triusque
tutelae.

Itaque TUTELA IMPUBERVM ET MINORVM iure Germanico est vis et potestas, competens propinquis vel mariti, vel iis, quibus princeps, aut magistratus, illam commisit, in eum eamue, qui quaeue patre orbis, vel orba nondum iustae aetatis est, non solum cum officio defendendi eorum personas, administrandique facultates, sed et saepe cum usufructu omnium bonorum, et onere alendi pupillum pupillamue coniuncta,*) TUTELA denique MULIERVM in nuptiarum est potestas, auctoritatem interponendi rataque habendi acta gestaue ab illis mulieribus, ex quibus damni quid sentire possent.

*) Idque volunt vocabula omnia, quibus tutores a Germanis notantur. Solent enim in mediis aevi monumentis vocari *mundwaldi*, *mundiburdes*, *advocati*, *pfleger*, *sicherboten*, *vormunde*, *vögte*, *behalter*: et hodie *mombours*, *gerhabere*, *treues- traeger*, ill. à LUDWIG. *diff. iur. Rom. et Germ. de tutelis. diff. I. p. 1074. Tom. II. opusc.* et apud SPECULATOREM SVEVVM *art. CVI. edit. Sebannati VER- CHANT*, quamvis in *diff. de marito tut. ux. legit. Cap. II. §. IX.* suspicati simus, in mendo cubare illum locum, legendumque esse *gerhabent*. Codex sane, ex quo ius illud ALAMANNICVM edidit ill. IO. AVG. NOB. DOM. a BERGER *p. 39.* non habet *verchant*, sed *pfleger*, quemadmodum in MEICHSNERIANA editione *Cap. CCLXII. §. III.* est *Vormundt*. Danis tamen et Norwagis olim tutorem dictum esse *Verger*, docet OBSTERSON in *Gloss. iur. Dan. p. 578.* apud LVDEW. *ibid. p. 1075.* Ad- dimus, et BAIVLOS olim dictos esse tutores, non modo in Francia, et vicinis prouinciis, ex quorum statutis plura, quae huc pertinent, loca iam adduxit CAR. DV FRESNE *Glossar. Tom. I. p. 435.*
verum

verum etiam in Germania: siquidem, id ipsum vocabulum exprimit Germanicum *Treues-traeger*, quod alicubi obtinet.

§. CCCLXI.

Quae quum ita sint, facile patet, I. Ger-Axioma-
manos, recepto licet iure Romano, non o-^{ta}
mnino tamen se adstrinxisse termino mino-
rennitatis iuris Romani, seu legis quinaevi-
cennariae. II. Apud eos principes et magi-
stratus et hodie esse tutores pupillorum pu-
pillarumque supremos. III. Praeter tutelam
TESTAMENTARIAM, (quam iuri Romano de-
bent,) LEGITIMAM et DATIVAM, Germanos
etiam PACTITIAM non ignorare. IV. Maio-
rem esse tutorum in Germania potestatem,
quam apud Romanos, *) nec V. tutelam
Germanis vbique esse gratuitam, quin VI. ne
vsumfructum quidem tutorum legitimum vbi-
que hodie exoleuisse.

*) Rem ipsam infra demonstrabimus pluribus. Ut v-
nico iam exemplo hanc doctrinam illustremus:
apud Romanos testamentarium tutorem repellere
non poterat praetor: immo ne confirmatio quidem
eius necessaria videbatur omnibus, sed iis tan-
tum testamentariis, qui non recte dati essent,
sive is dedisset, cui dandi ius non erat, sive ei,
qui non esset in testatoris potestate; sive non te-
stamento, vel codicillis testamento confirmatis,
sed codicillis intestati tutor datus esset. *J. J. §. 1. ff.
de conf. tut.* At Germani non patiuntur quem-
quam administrare tutelam, nisi confirmatum a
magistratu, nec hunc abscisse cogunt sine inquisi-
tione confirmare eum, quem pater testamento
tutorem dederat: sed cuius magistratui dant fa-
cultatem, testamento datos, at tutelae gerendae
minus idoneos, repellendi, aliosque dandi huic
T 4 obeun-

obsequendo muneri pares. Id quod ex suprema principum ac magistratum tutela repetendum esse, alibi obseruauimus. Vid. §. *sequ.*

§. CCCLXII.

Anni
mino-
rennita-
tis mori-
bus ho-
diernis.

Ex primo itaque axiomate (§. CCCLXI, 1.) ratio potest reddi, 1) cur hodie in Saxonia, et ubi ius Saxonicum viget, annus XXI; *) CARPZ. *Part. II. Const. XI. def. IX.* 2) alibi, et maxime in superiore Germania, annus XX; 3) alibi annus XVIII. completus sit terminus minorennitatis. 4) Cur iure Germanico non alia minorennium ac impuberum, sit conditio, et 5) quamuis statuta quaedam hoc discrimen ex iure Romano adoptarint, quin 6) in Marchia, terris Brunsvicensibus, aliisque locis, iuvenes ex praescripto iuris Romani ad annum vsque vicefimum quintum minores habeantur: tamen 7) in eo omnes consentiant, quod inter tutores et curatores nihil paene statuunt discriminis, sed hi, finita tutela, eadem plerumque auctoritate, ac antea, administrationem ad legitimam vsque aetatem continent. GAIL. *Observ. III, 66.* CHRISTIN. *Vol. III. dec. CXLVIII. n. XIV.* GROT. *introd. in ius Belg. Lib. I. Cap. VII. n. I.* CARPZ. *Part. II. Const. XI. def. X.*

*) Exstat locus ARISTOTELIS *Polit. Lib. VII. Cap. XVII.* ubi similis fere aetatis diuisio occurrit, annusque XXI. pro termino minorennitatis haberi videtur. Ait enim philosophus: *Δύο δ' εἰσὶν ἡλικίαι, πρὸς αἷς ἀναγκαῖον διηρῆσαι τὴν παιδείαν, μετὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἑπτὰ μέχρι ἡβῆς, καὶ πάλιν μετὰ τὴν ἀφ' ἡβῆς μέχρι τῶν ἐνὸς καὶ ἑ-*

κοσιν ἐτῶν. *Quae autem sunt aetates, ad quas necesse est diuisum esse disciplinam: post illam, quae incipit a septem vsque ad pubertatem: et rursus post eam, quae a pubertate vsque ad unum et vigesimum annum.* Enimvero non de annis impubertatis et minorennitatis loquitur ARISTOTELES, sed de annis, disciplinae ac institutioni adolescentium aptis: et alienam sententiam ibi recensere videtur, quam tantum abest, vt suam faciat, vt statim subiungat: Οἱ ταῖς ἐβδομάσι διαρῆντες τὰς ἡλικίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λέγουσιν ἔ καλῶς. Δεῖ δὲ τῇ διαμέσει τῆς Φύσεως ἐπικαλοῦσθαι. *Qui septenario numero diuidunt aetates, fere non recte dicunt. Decet enim sequi naturae diuisionem. Quamobrem ratio fuyit* HVLDMVTIVM *qui Lib. XII. rer. Germ. p. 715. ex his similibusque colligit, Graecorum leges ab aliquo, qui philosophiam in Graecia audiuerat, in Saxoniam illatas esse. Quasi Saxonibus iis temporibus, quibus leges eorum vel consuetudines inoleuerunt, quidquam cum Graecis commercii fuerit. Lirae, lirae, aedepol lirae!*

§. CCCLXIII.

Quumque et hodie apud Germanos principes et magistratus supremi pupillorum pupillarumque tutores sint: (§. CCCLXI, 2.) facile patet, 8) cur in Germania omnes tutores, siue legitimi siue datiui, *) siue testamentarii, siue pactitii sint, confirmatione indigeant, REF. POLIT. *anni MDXLVIII. tit. XXXI. §. II. et MDLXXVII. tit. XXXII. §. II.* 9) nec prius cuiquam sit ius administrandi tutelam, quam confirmatio illa sequuta sit, nec 10) ad legitimationem tutoris sufficiat productum testamentum, quo tutor datus est, nec de-

Tuto-
rum o-
mnium
confir-
matio.

monstrata sanguinis propinquitās, sed opus sit productione tutorii. STRYK. *vsf. hod. Digest. Lib. XXVI. tit. III. §. VI.* BERGER. *Oeconom. Iur. Lib. I. tit. IV. p. 160.* II) Cur tanta sit magistratuum nostrorum potestas, vt et testamento datos, et legitimos, si e re pupilli videatur, praeterire, aliosque magis idoneos possint constituere. THOMAS. *not. ad Inst. Lib. I. tit. XIV. p. 78.*

*) In dubium id vocat laudatus STRYKIVS *ibid. §. IV.* quia magistratus iam eo ipso, dum aliquem tutorem dedit, eundem etiam confirmasse intelligatur. Sed RECESSVS IMPERII laudari confirmationem exigunt tutorum omnium, *sic seyn gleich in testaments weise verordnet, oder durch das Recht, oder RICHTER gegeben.* Et quis ignorat, diuersos actus esse tutoris dationem et confirmationem? Vid. *diff. nostr. de supr. princ. et magistr. tut. §. XXI.*

§. CCCLXIV.

Tutores
an in
Germ.
petendi

Ex eodem axioma te intelligimus, 12) cur; quum apud Romanos petendi essent tutores, *tot. tit. ff. qui pet. tut. vel curat.* in Germania magistratus, etiam non rogati, ipsis officii legibus obstricti sint ad tutores pupillis constituendos. REC. IMP. *iidem ibid.* IVS TVTEL. PRVSS. *art. XXXI.* 13) Cur adolēscētes apud nos vere etiam inuiti accipiant curatores, quippe inter quos et tutores iure Germanico nihil discriminis est, (§. CCCXL.) nec 14) opus sit colore isto, *) quo Romani utebantur, vt adolēscētib; non nisi volentibus, petentibus, ac desiderantibus, curatores constituere viderentur. §. 2. *Inst. de cur. l. 13.*

§. 2.

§. 2. ff. de tut. et cur. dat. l. 2. §. pen. ff. qui pet. tut.

*) Alibi docuimus, curatores Romae adolescentes non accepisse inuitos; sed petentes, ne forte furiosis vel prodigis, qui soli ex lege XII. Tab. curatores accipiebant, aequiparari viderentur. Enimuero vt curatores peterent adolescentes, obseruauimus, Romanos ante rerum suarum administrationem *is non commisisse, quamuis BENE REM SVAM GERENTIBVS, l. 1. §. vlt. ff. de minor. nec officium tutorum, nisi curatoribus constitutis, eos finem accipere voluisse, l. 33. §. 1. ff. de adm. et per. tut.* Sed haec omnia cessant apud Germanos, quibus idem est tutoris et curatoris officium, nec existimationi minorum vllum imminet periculum, maxime quum veluti tacite continetur tutela, ac proinde qui tutor fuit, idem et curam sine noua constitutione administret. (§. CCCXL.)

§. CCCLXV.

Nec aliunde, quam ex suprema illa principum magistratuumque tutela explicare licet, 15) cur, quum iure Romano, finita demum administratione, rationes reddat tutor, et si ea in re cesset, actione tutelae ad id sit compellendus: iure Germanico, et durante adhuc tutela, quin quotannis, rationes reddi oporteat: *) *IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXIII. WEICHB. Art. XLIX. REFORM. POLIT. ann. MDXLVIII. tit. XXXIII. §. III. et ann. MDLXXVII. tit. XXXI.* et 14) si moras ne stat tutor, magistratus eum ex officii lege recte ad id compellat.

Rationes reddendi officium.

*) Qua in re omnium fere gentium Germanicae originis leges et statuta consentire, obseruauit iam GISEBERT, *Peric. II. Statnt. Lib. I. tit. XXIV. n. XXX.* In mores sane id iuit etiam apud Belgas, testi-

testibus GROT. *Manduct. Lib. I. Cap. IX. n. XVII.*
 SIM. VAN LEWEN. *Cens. for. Lib. I. Cap. XVII.*
 n. 1. VINN. *ad §. 7. Inst. de Atil. tut. sub finem ZY-*
notit. iur. Belg. p. 179.

§. CCCLXVI.

Tutelae testam-
 mentariae apud Ger-
 manos indoles.

Ex tertio axiomate (§. CCCLXI, 3.) colligitur, 15) adoptata licet tutela TESTAMENTARIA, non tamen omnia, quae ius Romanum de illa tutela statuit, esse in Germania recepta, et hinc, 16) quamvis tutor codicillis, testamento non confirmatis, sed ab intestato iure Romano dari nequeat, aliter tamen se rem habere multis locis. Quod apud varias gentes frequenter fieri, testatur SIM. VAN LEWEN *Cens. for. Lib. I. tit. XVI. n. IV.* 17) Minime omnium magistratus Germanorum suspendi passuros esse tutelam, furiosis, minoribus, surdis et mutis testamento destinata, sed mox alios daturus, qui non deponant tutelam, si vel maxime illi testamento dati iustam aetatem attigerint, vel adhuc furiosi resipiscant, vel surdi et muti auditum et loquelam recipiant. THOMAS. *not. ad tit. Inst. qui test. tut. dar. poss. p. 79. sequ.* 18) Analogiae etiam iuris Germanici non repugnare tutores, ad certam causam datos. *) SIM. VAN LEWEN. *ibid. n. V.* BEYER *diff. de tut. et curat. diff. §. XXII. secus ac iure Romano. l. 12. sequ. ff. de test. tutel.*

*) Atque hinc est, quod et tutelae electorales diu-
 di in Germania posse, censent viri resp. patriae
 peritissimi, et maxime ill. HENR. DE COCCIS *diff.*
de tutelis illustr. Quis enim dubitauerit, quin
 si forte sacrorum discrimen, vel aetate iustae causae

fac impediunt, quo minus agnato tutela pupilli sine periculo credi possit, agnato ex praescripto aureae bullae relinqui possit tutela electoralis, id est ius suffragandi in splendissimo electorum collegio, et tamen persona electoris adhuc impuberis et prouinciarum electoralium administratio vel testamento vel pacto credi possit alii, siue agnato remotiori, siue extraneo, siue ipsi matri? Magni sane momenti sunt, quibus hanc doctrinam superstruxit auctor illustris, isque qui tum ingenii vires periclitatus est, et futurae magnitudini praelusit, vir illustrissimus, MARQV. LVD. DE PRINZEN, cuius memoria his prouinciis, quoad fuerint homines, venerabilis erit ac sacrosancta.

§. CCCLXVII.

Quemadmodum porro rariora olim Germanorum testamenta erant, et hinc non infrequens tutela PACTITIA: (§. CCCLXVII, 3.) ita facile reddetur ratio, 19) cur et nouissimis temporibus tutela pactitia analogiae iuris Germanici non minus consentanea sit, quam pacta successoria, ac proinde 20) plura huiusmodi extant exempla illustria, qualia recensent illustr. a LVDEWIG *tom. II. Lib. IV. opusc. III. diff. IV. litt. yy.* LEYSER. *medit. ad Pand. Tom. V. Spec. CCCXXVIII. p. 449.* At tamen, 21) et hos tutores confirmatione indigere, nemo dubitauerit, nisi quod per priuilegium eam aliquando remissam esse, legamus. *) MULLER. *annal. Sax. ad ann. MDCII. p. 231.*

Nec non
pacti-
tiae.

*) Debemus et hanc obseruationem laudatissimo LEYSERO *ibid. p. 461.* vbi ex MULLERI *Annalibus Sax.* adducit exemplum Friderici Guilielmi, Ducis Saxoniae, qui morti proximus Christianum II. Electorem

Storum litteris humanissimis rogauerat, vt filiorum suorum tutelam susciperet. Electorem etiam, multis fatigatum precibus, aegre id onus subiisse, fertur, at nunquam tamen eum de Caesaris confirmatione fuisse sollicitum, weil dergleichen in dem Chur- und Fürstlichen Hause Sachsen nicht bräuchlich sey.

§. CCCLXVIII.

Itemque
mater-
nae.

Sicuti porro tutela MATERNA olim apud Germanos maximum habebat fauorem, et plerumque mater reliquos agnatos, qui alioquin a lege vocabantur, excludebat. (§. CCCLI.) ita 22) hinc moribus et hodie viuimus, adeo vt 23) et in feudis, et 24) in ipsis principatibus, mater saepe tutorio nomine administret. (Vid. illustre exemplum Alberti II. Elect. Sax. quem in matris Helensae Brunswicensis tutela fuisse saeculo XIII. ex diplomate, anno MCCLXIX. scripto, ostendit illustris a LVDEWIG *dissert. de diff. iur. Romani et Germ. in tutel. mat. diff. I. not. bb.*) Quin 25) non modo auiae, sed et 26) aliis feminis cognatis, quas spes est bene consulturas. pupillis, haec tutela defertur, ceu docent exempla, collecta a STRYK *diss. de tutela materna principum imp. Cap. II. §. VII. et LEYSERRO Meditat. Tom. V. Spec. CCCXXXI. p. 479.* Quum vero praeterea 27) non vbique exigatur renunciatio SCI Velleiani: SIM. VAN LEWEN *cons. for. Lib. I. Cap. XVI. §. XII.* THOMAS *Not. ad Pand. Lib. XXVI. tit. IV. pag. 252.* facile patet, 28) tutelam hanc feminarum Germanos non ex iure Romano primum accepisse,

cepisse, sed a maioribus, sibi veluti per manus traditam, retinuisse. *) SCHILT. *Exerc. XXXVII. thes. LVI. sequ.*

*) Id et inde patet, quod cum alias, nec qui ipse in tutela est, nec minorennis, tutela recte fungatur: §. 5. *Inst. qui test. tut.* mater tamen et minorennis, et iis locis viuens, vbi femina sine curatore nihil recte agit, tutelam liberorum suspiciat, dum ipsi adiungantur, quorum consilio et auctoritate tutelam administret. Obtinet hoc ius apud Britones, ARGENTR. *art. CCCCLXXX. gl. III. n. I.* Bauiaros, BALTHAS. *pract. resol. tit. V. resol. III.* Saxones, CARPZ. *Part. III. Const. XI. Def. XII.* Belgas, SIM. VAN LEVW. *Cens. for. Lib. I. tit. XVI. §. XII.* quin in vniuersa Germania, iudicibus BRVNEM. *ad l. ult. C. de legit. tut. n. 2.* EYBENIO *de fem. tut. membr. IV. §. VIII. p. 339.* ill. a LVDEW. *diff. de differ. iur. Rom. et Germ. in tutela materna diff. VII. not. r r. p. 1138. Tom. II. Opusc.*

§. CCCLXIX.

Idem et generatim de tutela LEGITIMA ob- Et reli-
seruandum, 29) eam nimirum Germanos quarum
non primum ex iure Romano didicisse, sed legitima-
ex iure potius vetere Germanico retinuisse, mae tu-
ac proinde 30) iis locis, vbi ius Saxonicum specie-
viget, etiamnum agnatos, *die Schwerdmagen*, rum.
praeferi cognatis, *denen Spillmagen*, et, 31)
ex pluribus eiusdem gradus maiorij natu tu-
telam deferri, SCHILT. *Exerc. XXXVII. §.*
XLVI. at 32) saluo tamen et hic magistratui
iure, proximum vel confirmandi, si idoneus
videatur, vel eundem, si iusta causa visa
fuerit, praetereundi, ceu recte obseruauit
THOMAS *Not. ad Instit. Lib. I. tit. XV. pag. 83.*
Nusquam autem 33) obtinere tutelam legitimam
patro-

patronorum, parentum, et fiduciarum, eo sensu, quo illae a Romanis inuentae sunt; quin eas tutelae species moribus patriis plane non concinnas esse. *) THOMAS. *ibid. tit. XVII. sequ. p. 89. sequ.*

*) Patronus enim vetere iure liberti parentis, adeoque proximi agnati loco erat, quia illi debebat libertus, quod persona esse coepisset. (*Inst. §. CXI.*) Hinc proximus erat patronus ad successionem, si liberos non sustulisset libertus, adeoque et proximus ad tutelam. (*Inst. §. CCXXXI. sequ.*) Quumque et pater, emancipans impubere, ob manumissionem iura patronatus retineret: et hic tutor emancipati impuberis erat, et hoc mortuo eius filius, tanquam patroni filius ad tutelam legitimam vocabatur. (*Inst. §. CCXXXIV. sequ.*) Quia itaque et iura ista patronatus, et emancipationem per venditiones et manumissiones imaginarias semper ignorarunt Germani: per se patet, eos et omnes has tutelae species non minus ignorasse.

§. CCCLXX.

Denique dationae. Sed et 34) DATIVAM tutelam apud Germanos plane diuersam esse ab Atiliana, eaque, quae ex lege Julia et Titia datur, res ipsa docet. Quum enim iure Romano certis tantum magistratibus speciali lege facultas daretur, tutores dandi: 35) in Germania suprema tutela, *die obervormundschaft*, competit omnibus, quibus in pupillum saltem inferior est iurisdictio, ac proinde *) 36) quilibet magistratus et iudex pupillis, in territorio suo, dat tutores, eaque 37) ratio est, cur doctores tutoris dationem hodie esse iurisditionis ordinariae, adfirmant. STRYK. *vs. bo-diern.*

diern. Lib. II. tit. I. §. XXI. Quae sane sententia magis probanda, quam 38) illa MEIERI *colleg. Argent. tit. de tut. et curat. dat. §. VII.* ZAHNII *ichnogr. munic. Cap. LII. n. II.* et REBHÄHNII *dec. sel. quaeft. I. n. XXXVII.* qui et hodie facultatem dandi tutores ex speciali lege esse, contendunt.

*) Vera haec est huius differentiae ratio, quam non peruidit SCHILTERVS *Exerc. XXXVII. §. LX.* dum ius illud modo ex recessibus imperii, modo ex iuris Germanici glossis, modo ex veterum scabinorum responsis deriuat. Cui sententiae THOMAS. *not. ad instit. Lib. I. tit. XX. p. 92.* recte obuertit auctoritatem SPECVLATORIS SVEVI, qui *Cap. CCCXV. §. V. et CCCXXI. §. I.* facultatem dandi tutores magistratibus omnibus esse testatus est multo ante, quam vel recessus, vel glossae, vel scabinorum responsa prodierunt. Genuina ergo ratio est suprema illa tutela, quae non modo Principi, sed et omnibus magistratibus, diuersa *χίστες* competit, ceu iam obseruauimus in *diff. de supr. princip. et magistr. tutel. §. XVII.*

§. CCCLXXI.

Quamuis praeterea fructuariam tutelam Antu-
vbique paene in exilium egerit ius Roma-^{la hodie}
num: tamen inde esse arbitramur, quod ne^{gratuita?}
hodie quidem tutela vbique est gratuita, et
quibusdam locis ne vsusfructus quidem ille
tutorum legitimus plane exoleuit. (§.
CCCLVII, 4. 5.) Hinc facile reddideris ra-
tionem, 39) cur alicubi tutori salarium de-
cernatur: ANDLER. *Lib. II. tit. V. n. XXXVIII.*
SCHILT. *Exerc. XXXVII, 9. et 177.* BERL. *Part. I.*
dec. CXXXIV. 40) alicubi honorarium saltim

attribuatur: IVS BAV. *tit. V. art. XIV.* WVR-
TENB. *tit. XL.* TIROL. *Lib. III. tit. V.* MAGDEB.
Cap. XLIII. §. XXII. illustr. a LVDEW. *Opusc.*
Tom. II. p. 1213. sequ. 41) alicubi ipse vfrus-
fructus vel omnium bonorum, vti in Moravia,
vel 42) partis alicuius, vti in ducatus Op-
poliensi et Ratiboriensi, tutori cedat. LVDE-
WIG *ibid. pag. 1210.* Denique 43) tutela ista
fructuaria vel maxime superfit in tutelis illu-
strium, de quibus IDEM *p. 1211.*

§. CCCLXXII.

Tutela
vel cura
mulie-
ram.

Denique 44) quamvis tutelam mulierum
adularum ius Romanum alibi plane in exsi-
lium egerit, 45) alibi eandem in curatelam,
vti vocant, commutarit, veluti apud Saxo-
nes: ea tamen 46) adhuc superest Lubecae,
Hamburgi, et in vniuerso fere Belgio, ceu o-
stendit SIM. A LEVWEN *Censur. for. Lib. I. Cap.*
VII. n. VIII. EV. OTTO *de tutel. femin.* In eo
tamen 47) non idem omnibus ius est, quod
alibi innuptae tutoris auctoritate tantum in-
digent in caussis forensibus, 48) alibi istae aequae,
ac nuptae, etiam in negotiis extra iudicium
peragendis: 49) alibi feminae negotia tantum
inter viuos sine curatore explicare neque-
unt, *) 50) alibi, veluti Hamburgi, ne te-
stamenta quidem iure condunt, nisi tuto-
rem curatoremue adhibuerint. Vid. *dissert.*
de marito tut. vel curat. vx. legit. Cap. II. §.
XXV. et XXVI.

*) Veluti

*) Veluti in Saxonia. *AVGVSTI Elect. Sax. Const. XV. §. Gleichergestalt.* Et tamen de mortis causa donatione dubitant *MATTH. WESENB. Paratitl. de mort. caus. donat. n. IV.* et *MODEST. PISTOR. Tom I. consil. I. n. XXIII. et XXIV.* an sine curatoris consensu fieri possit a muliere: eo, quod huiusmodi donatio pactis quodammodo similis habeatur. Enimvero, quum ratio; cur curatoris consensum in testamentifactione minus necessarium existimavit *AVGVSTVS* Elector, non alia sit, quam quod testatrix nullum laesionis periculum, condito testamento, incurrat, eademque ratio et donationi mortis causa accurate quadret: dubitare profecto non licet, quin sine curatore etiam mortis causa recte donet mulier Saxonica.



TIT. XVI.

DE OFFICIO ET ADMINISTRATIONE TUTORVM, MODISQUE, QUIBUS TUTELA IVRE GERM. FINITVR.

§. CCCLXXIII.

Con-
nexio.

TVtorum Romanorum erat, AVCTORITATEM interponere, si pupillus, infantia maior, aliquid ageret ; *) quo deterior posset fieri eius conditio, et ADMINISTRARE, i. e. pupillum defendere, bonorumque eius perinde curam gerere, ac bonum patremfamilias decet. An ergo eadem omnia fuerint apud Germanos, iam paullo accuratius erit disquirendum.

*) Cur pupillo, aliquid huiusmodi acturo, tutoris auctoritate fuerit opus, alibi iam diximus. (*Instit.* §. CCXLVIII.) Quod vero pupillum interuenire oporteret infantia maiorem, nec sufficeret tutoris voluntas, id inde est, quod nemo alii stipulari vel adquirere, multoque minus alium suo facto obligare, posset. §. 4. *Instit. de inutil. stipul.* §. 5. *Instit. per quas pers. cuique adquir.* BEYER. *ad Pand. lib. XXVI. tit. VIII. p. 569.* VINN. *ad §. 15. sequ. de inutil. stip.* Eam vero subtilitatem, quam vmquam placuisse Germanis, vix probabile sit: in antecessum suspicari vnusquisque potest, etiam circa administrationem atque auctoritatem consensumque tutorum ac curatorum permulta aliter se omnino habuisse apud Germanos, et hodie quoque multo aliter sese habere, ac Romae.

§. CCCLXXIV.

§. CCCLXXIV.

AVCTORITATEM, qualem ius Romanum exigit, ignorasse veteres Germanos, vel ex eo colligimus, quod fuerit actus legitimus, (*Instit. §. CCXLIX.*) tales vero actus, ex iure Romanorum civili formulario orti, simplicitati Germanorum parum conuenire videantur. *) Itaque vel suo omnia arbitrio agebant tutores, nec saepe pupillum interuenire huiusmodi negotiis patiebantur, vel, si pupillus quid ageret, ei sufficiebat qualiscumque tutoris consensus, siue expressus, siue tacitus, siue in ipso negotio, siue eo iam pridem perfecto, sine vlla sollemnitate, interpositus.

An in Germania nota fuerit tutorum auctoritas?

*) Equidem si per actiones legis et actus legitimos intelligas quosuis actus, qui sine sollemnitate ritue legibus praescripto explicari non possunt: dubitare nefas est, quin tales permultos habuerint veteres Germani. Tales sane ex LEGE SALLICA *tit. XXX.* sunt manumissio per iactum denarii; ex *tit. XL.* ritus vestigii minandi; ex *tit. XLVII.* desponsatio viduae, ex *tit. XLIX.* laifowerpum, ex *tit. LXI.* chrenechuda, ex *tit. LXIII.* abdicatio familiae, et alii innumeri. Nec minus ingeniosi in excogitandis huiusmodi ritibus fuerunt Langobardi, immo et reliquae gentes Germanicae. At certum tamen est, nusquam Germanis placuisse Romanorum de huiusmodi actibus principia, veluti quod non nisi apud certos magistratus esset legis actio: quod huiusmodi negotia non possent per procuratorem explicari: quod eadem nec diem admitterent, nec conditionem. *l. 77. ff. de reg. iur.*

§. CCCLXXV.

Qualis
tutorum
Germano-
rum
admini-
stratio?

Nec de ADMINISTRATIONE tutorum est, quod multa dicamus. Legitimi enim tutores, quum vsumfructum bonorum pupillarium perciperent, procul dubio tantum ad conficiendum inuentarium, edendumue indicem, iureiurando firmandum, tenebantur, non autem ad reddendas rationes. *) Reliqui tamen ad vtrumque erant obstricti, simulque damna, sua culpa data, refarcire cogebantur. Ita sancitum LEG. WISIGOTH. *Lib. IV. tit. III. §. III.* Ita et postea cautum IVRE SAX. *Lib. I. Art. XXIII.* nec non aliis statutis civitatum Germaniae, quibus et diplomata consentiunt. Ill. a LVDEW. *Reliqu. MSC. Tom. VII. p. 114.* Hinc iure Germanico tutores recte in *ἐκλογίστες* et *ἀνεκλογίστες* diuiduntur.

*) In feudis saepe dominus alium tutela vasalli impuberis inuestiebat, ita vt fructus caperet, quin et spem, mortuo pupillo potiundi feudo, haberet: id quod vocabant *Angefälle*. IVS FEVD. SAX. *Art. XXVI.* et ALAM. *Cap. XLIX. et LV.* Existat exemplum Fridrici II. Imp. qui anno MCCXXXV. Godofredo de Hohenlohe concessit *mundobardiam filii et bonorum quondam Rudolphi de Kiselow, tali conditione adiecta, vt si filium dicti quondam Rudolphi sine legitimo herede decedere contingeret, idem Godofredus bona sua ab imperio et imperatore in feuda, sicut ea dictus Rudolphus noscatur tenuisse, teneret*: apud ill. a LVDEW. *Reliqu. MSS. Tom. II. p. 220.* Cui geminum Ludouici Marchionis Brandeb. diploma reperies apud EVMDEM *Tom. VII. p. 115.*

§. CCCLXXVI.

Eorum
offi-
cium.

Ceterum per se patet, idem fuisse tutoris, ac patris, officium, adeoque illum, non adhi-

adhibito pupillo, omnia suo arbitrio gessisse. GREG. TVR. *Lib. V. Cap. XVI. Maclianus quondam et Bodiccus, Britannorum comites, sacramentum inter se dederant, ut, qui ex eis superuiveret, filios partis alterius, tamquam proprios, defenderet.* Hinc tutor pro pupillo agebat in iudicio. LEG. WISIG. *Lib. IV. tit. III. §. III.* LEG. LANGOB. *Lib. II. tit. XXV. §. IV.* IVR. PROV. SVEV. *Cap. CCCXXIII.* Idem contrahebat, *) omniaque agebat ipse, modo res pupilli non redderet deteriores. LEX WISIG. *Lib. I. tit. III. §. III.* Quin et pupillam vxorem ducere potuisse tutorem, illustri exemplo probare licet e diplomate apud illustr. a LVDEWIG. *Reliqu. MSSC. Tom. X. pag. 190.*

*) Et tamen ex LEGIBVS BVRG. *tit. LXXXVII.* libere contrahebat minor, modo quindecim annos haberet, ita tamen, ut ei saluum esset beneficium in integrum restitutionis. Nec illo loco mentio fit tutoris, cuius auctoritate vel consensu id fieri oportuerit. Quin LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXIX. §. I.* minorem etiam alienare res suas patitur, sed non nisi urgente fame, et obseruatis certis requisitis. Per modum vero vltimae voluntatis de rebus suis disponendi facultatem et impuberibus indulget LEX WISIG. *Lib. II. tit. V. §. XI.* Ex quo colligimus, plus libertatis has gentes reliquisse minoribus, quam populos reliquos, apud quos longior erat adolescentum pueritia.

§. CCCLXXVII.

Finiebatur tutela apud veteres MAIORENNI- Finieba-
TATE, sed ita tamen, ut non ipso iure ea tur tute-
exiret minor, sed caussa cognita. Quemad- la maio-
modum enim magistratus erat supremus pu- rennita-
pillo- te.

pillorum tutor : (§. CCCXLV.) ita aequum videbatur, non prius illos tutela liberari, quam tutores rationes reddidissent, adhibito magistratu, et hic inquisuisset diligentius, sintne pupilli satis frugi, ut rebus suis soli superesse possint, an prodigi aeris, et rerum suarum incuriosi. *) LEX WISIGOTH. Lib. IV. tit. III. §. IV.

*) Saltim tutelam non priuatim deponi voluit legislator Wisigothorum, sed vel coram sacerdote, vel coram iudice. En verba, quae d. §. IV. occurrunt: *Quum vero tempus illud aduenerit, quando cum, qui sub tuitione fuit, rem in sua potestate oporteat redigere: tunc ille tutor coram SACERDOTE vel IUDICE pupillo de cunctis rebus redditam ratione, ab eo, quem tuitus est, securitatis scripturam procuret accipere.* Apud Romanos contra omnia intra priuatos porietes videntur transacta. Magistratus saltim non exigebat rationes vi officii, sed tum demum, si pupillus tutelae iudicium instituisset, partes suas interponebat, tutoremque ad reddendas rationes, resarcienda damna, restituendaque reliqua cogebat.

§. CCCLXXXVIII.

Morte: an et aliis modis, qui iure Rom. recensentur. Non dubitandum, quin et MORTE vel tutoris, vel pupilli, tutela finita fuerit. At tanto rariores in Germania erant arrogationes, aliasque CAPITIS DEMINVTIONES: eaeque vel ideo non finiebant tutelam, quod non iniustatum esset in Germania, patrem etiam habenti tutorem dari. Cessabant ergo fere apud maiores nostros hi modi finiendi tutelam omnes, qui alioquin apud Romanos erant frequentissimi: nec temere reperies exemplum tutoris, in CERTVM DIEM, vel sub CERTA CON-DITIONE

DITIONE dati, vt tutela hoc modo, testamentariae proprio, finiri potuerit. *)

*) Neque tamen ideo negauerim, Germanos vniquam hoc modo tutores dedisse. Quin quum apud Romanos testatori tantum ius esset tutorem in diem vel sub conditione dandi, l. 8. §. 2. ff. de test. tut. §. 3. *Inst. qui test. tut. dari poss.* non magistratui: l. 6. §. 1. ff. de tut. dar. ab his et §. 2. *Inst. de Atil. tut.* iure Germanico nihil vel parentibus, de tutela liberorum cum alio paciscentibus, vel ipsis magistratibus obstitisse videtur, quominus et conditionem et diem, prout videretur, adderent, quum iam supra obseruatum sit, (§. CCCLXXIV. *) maiores nostros et actus legitimos, a Romanis inuentos, ignorasse, nec in suis, quos habebant, actibus sollempnibus vniquam recepisse principium, quod actus legitimi nec conditionem admittant nec diem.

§. CCCLXXIX.

Contra vt matrimonio finiatur tutela tum Apud masculorum, tum feminarum, quippe in Germani mariti tutelam peruenientium, mos est non modo omnibus Franciae prouinciis et ciuitatibus communis, MONTAN. *de Tutel. Cap. XV.* ^{matri-} ^{monium} ^{finiebat} ^{tutelam.} TIRAQVELL. *de leg. connub. gloss. I. n. I. III. et IV. et gloss. III. n. I.* BOER. *decif. CXXIV. n. VII.* verum etiam plurimarum Belgii ciuitatum legibus et statutis firmatus, ceu de Dordracenis, Harlemensibus, Amstelodamensibus, Brielensibus, Alcmariensibus, Edamensibus, Moenikendemensibus, Purmerendensibus, Delphensibus, Antuerpiensibus, Machlinensibus, Syluaeducensibus, Gandauensibus, Brugensibus, Slusensibus, Gelricis, probat SIM. VAN LEUVEN *cons. for.*

*Lib. I. Cap. XVIII. n. IX. vt dubitare non liceat, quin hae consuetudinum *veterum Francorum sint reliquiae. *)*

*) Saltim de feminis res certissima est, quippe quas iustis nuptiis ob pretium, a sponso solum, in mariti mundum ac tutelam peruenisse, multis inter se comparatis gentium Germanicarum legibus, probauimus. Cessabat ergo prioris tutoris potestas in feminam nuptam, eaque in maritum, tutorem vxoris sui legitimum, transferebatur. Apud LANGOBARDOS singularis erat LEX ROTHARIS Regis *Lib. II. tit. LV. §. II. Si quis dixerit de vxore aliena, quod mundium de ea ad ipsum pertineat, nam non ad maritum: tunc ille, qui eam habet vxorem, praebet sacramentum, cum legitimis sacramentalibus suis XII. quod de certo domino mundium ipse fecisset, et non eum alteri per legem dimittere debeat. Si autem hoc fecerit, habeat et fruatur. Quia iniustum videtur esse, vt tam grandis caussa sub vno scuto per pugnam dirimatur.*

§. CCCLXXX.

Excusationes
tutorum.

An proditae fuerint certae EXCUSANDI caussae voluntariae, ego quidem dubito, Saltim earum mihi nondum se vllum obtulit exemplum, *) vt non abs re suspicari mihi videar, hanc doctrinam ex iure Romano demum adoptasse Germanos. At necessarias et cis Alpes valuisse, eo minus quisquam negauerit, quo magis constat, earum plerasque ex ipsa recta ratione, seu iure naturae et gentium, promanare. (*Inst. §. CCXCV.*)

*) Nec puto vel opus fuisse huiusmodi excusationibus, vel eas facile admissas esse. Primo enim si pactitia esset tutela, nulla valebat excusatio, nec eam admisissent Germani, qui iam pridem meruerant

ruerant eloquium: *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* TACIT. *Annal. Lib. XIII. Cap. LIV.* Sin legitima; ne hanc quidem detrectasse videntur agnati, quippe non gratuitam, sed cum usufructu bonorum pupillarium coniunctam. Denique a magistratu non facile alii dabantur, quam idonei. Horum vero excusationes illos eo difficilius admisisse crediderim, quo maior erat eorum, tamquam superiorum tutorum, in rebus tutelaribus auctoritas,

§. CCCLXXXI.

Certius est, Germanos suspectos tutores ^{Suspe-}remouisse, idque tanto factum esse frequen- ^{ctorum}tius, quanto magis intererat magistratuum, ^{tutorum}tamquam tutorum superiorum, ex fide tute- ^{remotio}lam gerere eos, qui sua vice fungerentur. ^{iure}Hinc LEGI LANGOB. *Lib. III. tit. XXXIX.* hoc ^{Lango-}caput adstruxit Lotharius Imp. *Comperimus, quod ab his, qui secundum mundanam legem viduarum et orphanorum tutelam sibi vindicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquoties opprimuntur, quibus ecclesiastica sollicitudine succurrendum esse, censemus. Et si huiusmodi oppressores ab episcopali admonitione corrigi voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate durauerint, suggerendum clementissimo Imperatori, quatenus ipse EFFICACEM TUTUREM *) tribuat.*

*) EFFICACEM TUTUREM eundem esse crediderim cum eo, quem *gerentem* adpellant leges Romanae l. 14. ff. de solut. Quemadmodum enim Romani tutori legitimo, quantumuis suspecto, non temere abrogabant tutelae officium, ne infamia eius in ipsum pupillum quodammodo redundaret, sed sanguini habebant honorem, et suspe-

suspecto adiungebant curatorem administratum, inani tutoris nomine penes legitimum permanente: l. d. ff. de susp. tut. ita idem fecisse arbitror Lotharium, Imp. ac proinde tutorem illum, cui administrationem crediturus esset, vocasse TUTOREM EFFICACEM, quasi solo tutoris nomine sine re et efficacia penes legitimum permanentem.

§. CCCLXXXII.

Itemque Idem et infrequentibus saeculis obserua-
iureSus- runt SVEVI, quorum in IVRE PROV. *Cap. LXI.*
uico. §. II. verba in MEICHSNERIANA editione ita se
habent: *Wer seine treu nicht behalter an den
kindern, oder an den frauen, der ihr pfleger
ist, den soll man straffen, er soll auch dem Rich-
ter hüffen mit der hand, oder mit den pfen-
nigern: vor die hand zehen pfund. Die wahl
stehet an dem kläger vnd nit an dem richter.*
Sed in BERGERIANA pag. 112. et SCHANNATIANA
Cap. CXI. pag. 231. legitur: *Den soll man BAL-
MVNDEN VEL PALMVNDEN *) idque paullo post
Cap. CCCXXI. (edit. MEICHSN.) et in BERGE-
RIANA p. 71. in SCHANN. Cap. CXIII. p. 231. ita
explicatur: Der Richter soll ihn BALMVNDEN,
das ist also gesprochen, man soll ihm vertheilen
alle vormundschafft, vnd alle voigtey (BERGE-
RIANA: vnd all pflegnuzz) vnd dass er nie-
mands pfleger mehr mög gesein, so soll der
richter der frauen vormund seyn, bis dass er
ihr einen andern gebe, (BERGER: pis daz sie ihr
ainen andern tze Vormund genem. SCHANNAT.
sine sensu: vnd daz sie ihr ainen nem) vnd
soll die Frau ihr gut gewaltig machen, das der
erst ihr ungewaltig hat gethan. Vnd kommt
der*

der frauen pfleger für, vnd wird er des überkommen, daß er ein ungetreuer pfleger ist gewesen, mit zweyen mannen, so richtet es der Richter, als das buch saget.

- *) At quid est balmunden? Nihil aliud, quam falsum tutorem quem declarare, et tutela remouere. Bal enim est falsus. Ita BALLOMER, falsus dominus vel princeps, apud GREG. TVRON. *Hist. Lib. VII. Cap. XIV. et Lib. IX. Cap. XXVIII.* et AIMON. *Lib. III. Cap. LXI.* KILIANVS: BALMONDEN et Baelmonden est male tueri rem pupilli. Charta Caroli M. apud NAVCLER. *generat. XXVII.* Ea tamen tenore, ut quandocumque sui commissi praeuicator, aut in rebus vel hominibus, quod vulgo BALMVND dicitur, existat, statim sine mora, sine iudicio, aduocationem perdat. *CONF. DV FRESNE Gloss. Lat. sub voce Ballomer et Balmond.*

§. CCCLXXXIII.

Itaque SVEVI tutorem suspectum non modo a tutela remouebant, et in posterum indignum iudicabant, qui alterius tutela fungeretur: verum etiam poenam ei satis atrocem, puta amputationem manus, infligebant, data actori optione, suppliciumne illud amare exigere, an decem libras pro manu accipere mallet. Quae omnia, quin non ex iure Romano, sed Germanico, sint, nemo dubitauerit, maxime quum haec ordinaria fuisse videatur falsariorum poena, quod manu truncarentur. *)

- *) LEX LANGOB. *Lib. II. tit. LI. §. X. et XI.* *Ipsius, qui de ipsa falsitate conuictus fuerit, dextera manus amputetur.* Similis poena LEGE WISIG. *Lib. VI. tit. V. §. 1.* statuitur in eos, qui diplomata regia falsare ausi sunt, ut manum perdant, per quam tantum crimen admisissent. LEGE RIPVARIA *tit. LIX. §. III.* pollex dexter ei, qui testamentum falsauerit,

rit, aufertur iubetur, nisi eum L. solidis a cancellario redimere malit. Denique manum et notario, falsum conficienti instrumentum, non permiffa ei redemptione, amputari iubet eadem LEX LANGOB. *Lib. I. tit. XXIX. §. I. et Lib. II. tit. LV. §. XXXIII.*

§. CCCLXXXIV.

Axiomata.

Itaque ex his fatis manifestum videtur, I. tutorem apud Germanos omnia suo arbitrio, et, non adhibito pupillo vel minore, egiffe. II. Eundem boni patrisfamilias officio fungi, et, nisi tutela esset fructuaria, rationes quotannis reddere debuisse. III. Non iisdem modis apud Germanos, ac apud Romanos, finitam esse tutelam, nec IV. voluntarias excusationes tutorum admodum frequentes; contra ea V. poenam tutorum, qui non ex fide gererent, tanto feueriorem fuisse.

§. CCCLXXXV.

An tutor hodie auctoritatem interponat?

Ex primo itaque axiomate (§. CCCLXXXIV, 1.) reddimus rationem, 1) cur et hodie Germani, recepto licet iure Romano, nullum discrimen statuant inter *auctoritatem* et *consensum*, adeoque 2) subtilitates istae, quod tutorem praesentem in ipso negotio auctorem fieri oporteat, ea vero ex intervallo, per epistolam, vel internuncium interposita nullius momenti sit, in Germania plane exsulent. 3) Cur et hodie adulti quoque nihil fere agant, auctoribus tutoribus, sed 4) tutores omnia fere soli gerant, et 5) ipsam etiam hereditatem pro pupillis et minoribus adeant. BEYER *ad Pandect. Lib. XXVI. tit. VIII.* THOMAS *Not. ad Inst. Lib. I. tit.*

tit. XXI. p. 95. 6) Cur iidem, memores, se magistratus vice fungi, nihil fere sine eorum consilio et consensu agant. *)

*) SIM. VAN LEWEN *Censur. For. Part. I. Lib. I. Cap. XVI. n. XIII.* *Tutores, inquit, constituti nihil fere, nisi auctoritate et consensu magistratus pupillaris intercedente, gerunt.* Quum enim apud Romanos decreto praetoris opus tantum esse videretur, si res immobiles vel pretiosiores pupilli essent alienandae: tit. ff. de reb. eor. qui sub tut. apud nos tutores et in vendendis aliis rebus, pecuniis foenori locandis, vel otiosis obsignandis, acceptandis solutionibus, similibusque negotiis, consensum et auctoritatem magistratus requirere solent, tamquam tutoris supremi, adeo ut eius auctoritas in negotiis pupillaribus primum, secundum, vltimum esse videatur.

§. CCCLXXXVI.

Ex altero axiomate patet, 7) cur et iure Germanico, iam inde ab antiquissimis temporibus, adeoque multo ante receptam iurisprudentiam Romanam, tutores ad conficiendum inuentarium fuerint obstricti. 8) Cur apud nos omnes tutores cum inquisitione dentur, ne scilicet pupillis obtrudantur minus idonei. SIM. VAN LEW. *Cens. forens. Lib. I. Cap. XVI. §. VIII.* THOMAS *Not. ad Pand. Lib. XXV. tit. VII. p. 255.* 9) Cur, quamvis per REF. POLIT. *ann. MDXLVIII. et MDLXXVII. tit. von pupillen* praeter iusiurandum exigantur fideiussores: id tamen nusquam fere usu receptum sit, sed 10) plerumque plus cautionis in re, quam in personis, esse apud nos censetur, ac proinde, non nisi, qui immobilia possident, ad tutelam admittantur. *) 11) Cur Germa-

Quomodo administraret?

Germanorum iurisprudencia non contenta fit rationibus, finita tutela reddendis, sed 12) eas quotannis exigit, IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. XXIII.* et quidem, 13) non, uti olim, agnatis pupilli, *IBID.* sed 14) ipsi magistratui, tamquam supremo tutori, reddendas, REF. POLIT. *ibid. tit. von pupill. §. III.* nisi forte 15) tutor sit heres pupilli proximus, HOPP. *ad §. ult. Instit. de Atil. tut.* vel 16) tutela sit fructuaria, veluti pupillorum illustrium. SCHILTER *exerc. XXVII. §. XVI.*

*) Apud Germanos olim tutores legitimi usufructum ex rebus pupilli capiebant, (§. CCCLIII. sequ.) adeoque tamquam usufructuarii legitimi ad cautionem non erant obstricti. Si extraneum dedisset magistratus, non ipse ab eo cautionem exigebat, sed agnati, quorum, tamquam heredum futurorum, vel maxime intererat; rem pupilli saluam esse. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXIII.* Magistratibus, tamquam tutoribus superioribus, sufficere videbatur cautio promissoria, quum neminem confirmarent tutorem, nisi possessorem rerum immobilium.

§. CCCLXXXVII.

Quomodo tutela finitur?

Praeterea ex tertio axioma (§. CCCLXXXIV, 3.) discimus, 17) Germanos, quum passim hodieum habeant suos maiorennitatis terminos, non ubique pupillos anno XIV. nec pupillas anno XII. tutela exire pati, sed 18) eos ad maiorennitatem usque tutela regi velle, *bis sie zuibren iabren kommen.* *) IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XLII.* 19) Rariora fere esse exempla datae veniae aetatis, nisi inter personas illustres. 20) Non modo, qui in servitutem inciderunt, nec non proscriptos

et

et actos in exilium tutelam amittere, sed et relegatos, adeoque 21) eam non finiri capitis deminutione, sed quocumque statu, quocum tutelae munus commode consistere non potest, eatenus, vt alius interim detur, locum facturus priori, si impedimentum cesset, qualem casum capti ab hoste, sed demum reuersi, habet *IVS PROV. SVEV. Cap. CCCXVI. §. IV.* quamuis et *hic SPECVLATOR* antiquum obtinere, et ius Romanum expilare videatur.

*) *Zu seinen Jahren kommen* est maiorenem fieri, *zu seinen Tagen gekommen seyn*, consenuisse, et sexagesimum aetatis annum superasse. *IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XLII. SCHILT. Exerc. XXXVII. §. LXXIX. sequ.* Confundere haec SPECVLATOREM SVEVVM *Cap. CCCX. §. I. Cap. CCCXXIII. §. II. et Cap. CCCLXXXI. §. II.* quin eundem *Cap. CCCLXXX.* refellere Saxonem conari, obseruat THOMAS. *Not. ad Inst. Lib. I. tit. XXII p. 103.* simulque offendit, magis Germanicam esse notionem Saxoniam phrasios, *zu seinen Tagen kommen*, quia senes vocare soleamus *Betagte Leute.*

§. CCCLXXXVIII.

Quamuis porro 22) nemo dubitet, quin Germani admittant EXCUSATIONES omnes, quae ex aequitate vel recta ratione proficiscuntur, et proinde eos facile excusent, qui 23) aliis tutelis iam onerantur, itemque 24) pauperes, 25) lectulo adfixos, 26) imperitos literarum, 27) liti cum pupillo implicitos, vel 28) capitali inimicitia prosequutos parentes, 29) minores, (excepta matre,) 30) senes capulares, et similes: non tamen 31) quemquam facile excusabunt numerus liberorum,

X

familia-

An admittendae excusationes tutorum?

similiaque priuilegia, nisi vel ius Romanum alicubi sit pure receptum, vel priuilegia huiusmodi in leges et statuta prouincialia migrarint. Vid. THOMAS. *not. ad Inst. Lib. I. tit. XXV.* multoque minus 32) quisquam sibi persuadebit, dispositionem iuris Romani de tempore proferendae excusationis, quod §. 16. *Inst. de excus.* describitur, moribus Germanorum quadrare. HOPP. *ad d. §. 16. Inst. de excus. tut.*

§. CCCLXXXIX.

An accusatio-
nes tu-
torum
suspe-
ctorum?

Denique ad vltimum axioma (§. CCCLXXX, 5.) notamus 33) ignotam quidem hodie esse accusationem SVSPECTORVM quasi publicam, at 34) cuius tamen licere, praua tutorum facinora, vel eorum negligentiam ad magistratum deferre; quin 35) hunc, ea animaduersa, sua sponte in tutoris acta inquirere, eique 36) dum feruet inquisitio, administratione interdiceret, quin et 37) eundem, doli vel culpae conuictum, plane remouere, et, 38) si quid tristius inciderit, poena adficere posse. 39) Esse tamen rationes haud leues, cur haec inquisitio in foro fatis raro audiatur. BACHOV. *ad Wesenbec. tit. de susp. tut. n. VIII.*



TIT. XVII.

DE TERTIA HOMINVM DIVISIONE IN EOS, QUI INTEGRÆ EX-
ESTIMATIONIS, ET QUI INFAMES SVNT.

§. CCCXC.

SVb aliorum MVNDIO et TVTELA etiam Transi-
tio ad
tertiam
homi-
num di-
uisio-
nem. erant ecclesiae, monasteria et ciuitates, (§. CXXXII. seq.) quippe iure etiam Romano minorennibus quodammodo aequiparatae. *arg. l. 3. C. de iure reip.* Sed de hac potestatis et tutelae specie, quum ea magis ad ius publicum, quam priuatum, pertineat, et pauca eius superint vestigia, hic agere superuacuum videtur, *) ac proinde ad TERTIAM potius HOMINVM DIVISIONEM, quae iure Germanico obtinuit, prouehimur.

- *) Vt pauca duntaxat de hac tutela delibemus, ex monumentis antiquissimis constat, I. Reges et imperatores ecclesias et monasteria in tutelam suam suscipere solitos, eamque tutelam vocatam esse *mundiburdium*. Docent hoc diplomata innumera, nec non veteres formulae, tum MARCVLFI, tum aliae, a LINDENBROGIO, SIRMONDO, BIGNONIO, MABILLONIO, GOLDASTO editae, quarum vel numerum hic inire caediosum esset. II. Huius tutelae effecta fuisse luculenta, vt nulla alia potestas ecclesiae vel monasterii fundos ingredi, ibi ius dicere, aut actum iudicalem exercere posset, et si quis iniuriam vllam ecclesiae faceret, Rex vel alius, cuius in tutela erat, iure et armis ecclesiam defenderet. III. Nec gratuitam fuisse hanc tutelam, sed cum iurisdictione, iure praesidii, aliisque commodis coniunctam. IV. Eam saepe a Regibus quin et ab ipsis praelatis,

tis, aliis, veluti principibus ac comitibus, sub nomine aduocatiæ in feudum datam, ea lege, vt in omnes eorum successores feudales transiret & vnde dici coepit *die Erbvoigtey*. V. Multas ecclesias et monasteria postea, quum hi tutores iura pleraque ad se traherent, id egisse, vt ab aduocatorum illorum iurisdictione et potestate vel vi, vel pretio, sese eximerent: at passim tamen aduocatos sibi reseruasse varia iura ac praestationes, veluti iurisdictionem superiorem, censum in auena consistentem, *den voigts-haber*, obligationem alendi canes venaticos, et quae sunt huius generis alia. VI. Eandem fere indolem fuisse aduocatiæ vel *voigtiae*, cui vrbes vel imperiales, vel municipales, ad libertatem paullo maiorem adspirantes, suberant. Sed de his omnibus accuratissime actum ab aliis, veluti CASP. MAGERO *de Aduocatia armata*, DAN. HEIDERO *von Reichsvoigteien*. CHRIST. FRANC. BAVLLINI *de Aduoc. monast. reliquis*.

§. CCCXCI.

Alii integrae
famae,
alii infames.

Quemadmodum nimirum omnes gentes reip. ciues, vel ad omne scelus profligatos, vel parum honeste et decore vitae instituentes rationes, infamia notabant: ita idem fecisse animaduertimus Germanos, honestatis ac virtutis studiosissimos. Hanc noua personarum diuisio in eas, quae INTEGRAE FAMAE, et quae INFAMIA NOTATAE essent, quarum posteriores EHRLOSE, itemque RECHT- vel ECHTLOSE *) LEVTE dictas esse comperio. De his accurate egit V. C. PHIL. LVD. HVTH in *specim. iur. Germ. de his qui not. infam.* Altorfi MDCCXXIII. edito, cui me hic permulta debere, ingenue fateor.

*) Diplo-

- *) Diplôma, Goslariensibus annô MCCXIX. concessum a Fridrico II. Imp. apud fratrem τὸν μακαρίτην in *Antiqu. Gosl. Lib. II. p. 219.* *Quod si falsarius manum redemerit, exlex vel infamis erit, quod vulgarièr ECHTLOS dicitur, ac si pro falso manum perdidisset: ubi laudatus frater meus p. 222.* notat, in codice iuris municipalis Goslariensis huiusmodi infames vocari, *Recht-los, in Ehren los, und an Tugendén verletzt, totamque illam perlocham diplomatis Fridriciani ita verti in illo codice: Es löst der Felscher syne Hand, er ist doch recht und ehrenlos, und kan nicht zeugen. Lib. IV. tit. von Zeugnissen §. XIII.* Nimirum eodem recidunt haec vocabula. Lex enim veteribus erat *ewa, ebe, echt*, vnde *ebehaft* legitimum impedimentum, *echte* vel *eheliche Kinder*, legitimi liberi *echtlos*, iuris communis exfors, seu, vt FRIDRICVS II. Imp. loquitur, *exlex*, quamvis huius vocabuli alias plane alia notio sit.

§. CCCXCII.

Praecipuae virtutes, quibus Germani studebant, erant FORTITUDO bellica, FIDES, CAS- Infamia
quae
maior?
STITAS, et, si ea laus in homines a veri Numinis cultu alienos cadit, PIETAS. *) Quicumque igitur insigne aliquod facinus contra has virtutes admiserant, ii, poena atrociorè adfecti, famae atque existimationis suae iacturam fecisse videbantur, et horum infamiam ex principiis iuris Germanici MAIOREM non inconcinne vocat laudatus HUTHWS, *specim. iur. Germ. §. XVII.*

- *) Sunt sane hae virtutes, quas in Germanis praecipue admirati sunt veteres, Graeci aequè, ac Romani, quibusque ipsi Germani sibi vel maxime placebant. *Nullos mortalium ARMIS aut FIDE ante Germanos esse*, gloriabantur legati apud TAC. *Annal. III, 55.* nec minus magnifice fortitudi-

nem suorum laudant Germani apud IUL. CAES. *de bell. Gall. Lib. I. Cap. XXXVI. et XXXIX.* Et apud TAC. *Hist. IV, 64. ad arma nati dicuntur: quale testimonium illis etiam perhibent SENECA de ira Lib. I. Cap. XI. natural. Quaest. Lib. VI. Cap. VII. et IOSEPH. ant. Iud. Lib. XIX. Cap. I. et de bello Iudaico Lib. II. Cap. XVI.* De CASTITATE eorum ex instituto agit TACIT. *de mor. Germ. Cap. XVIII. et XIX; de eorumdem PIETATE IDEM Cap. IX.*

§. CCCXCIII.

Quae-
que mi-
nor?

Ast quum praeterea et quaedam vitae genera, quamvis in se nihil flagitii habentia, virtutibus tamen illis, quas maximi fecisse Germanos diximus, parum convenire videntur, ipsique parentum dedecora et liberis haerere crederent: *) factum inde est, ut et alii homines, qui se certo vitae generi mancipauerant, vel vulgo concepti fuerant, parum integræ famae haberentur, quorum infamiam MINOREM vocat idem HUTHIUS *ibid.* §. XVI.

*) Quemadmodum enim insignis nobilitas aut magna patrum merita principum dignationem et adolescentibus assignabant: TACIT. *de mor. Germ. Cap. VII.* ita et parentum flagitia notam inurere censentur liberis, et uti hodie etiam insignis laus habetur, parentibus honestis natum esse, *wann einer von ehrlichen Eltern gebobren ist:* ita nescio quid labis haerere creditur, quorum parentes ob maiora flagitia in crucem iuerunt, vel alio capitali supplicio adfecti sunt. Qua in re quantum differant Germanorum aliarumque gentium, veluti Britannorum, mores, nemo ignorat.

§. CCCXCIV.

§. CCCXCIV.

Quandoquidem itaque virtuti bellicae in primis studebant maiores nostri, quorum vniuersa instituta ad potentiam bellicam comparata fuisse, docet HERM. CONRING. *dissert. de antiqua vet. Germ. republ.* nemo mirabitur, infames iam ab antiquissimis temporibus vi-
 fos esse eos, qui hostibus terga dederant, vel ARMA perdididerant in acie. TACIT. *de mor. Germ. Cap. VI.* *Scutum reliquisse praecipuum flagitium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multique superstites bellorum infamiam laqueo finiuerunt.* Nec magis mirum est, et posteros huius moris fuisse tenacissimos, apud quos grauissimis iniuriis accensebatur, si quis ingenio exprobrauisset, quod *scutum suum iactasset.* *) LEX SAL. tit. XXXIII. §. V. edit. ECCARDI.

Infames,
 qui arma
 relique-
 rant.

- *) Quod ne facile contingeret, et insequentibus saeculis operam dabant homines nobiles et ingenui, qui non modo scuta, ne sibi viuis eriperentur, loro adstringebant humeris, verum etiam gladium catena prolixiore adligabant thoraci, ceu adlatis ex OLIVARII VREDII libro de *figill. Comit. Flandr.* exemplis demonstrauit frater desideratissimus, IO. MICH. HEINECCIUS *de vet. Germ. figill. Vid. Tab. XI. n. I. et II.*

§. CCCXCV.

Eiusdem commatis erant, qui alio quocumque ignauiae genere, veluti desertione, fuga, proditione, indignos se praebuissent virorum fortium nomine, at infami supplicio dignissimos. Hinc, eodem teste TACITO *ibid.*

Omnis-
 que ignaui im-
 belles,
 desertores, ex
 praelio fugientes.

Cap. XII. *proditores et transfugas arboribus suspendebant, ignavos imbelles et corpore infames.* *) *coeno ac palude, iniecta insuper crata, mergebant, diversitasque supplicii illuc respiciebat, tamquam SCELERA ostendi oporteat, dum puniuntur, FLAGITIA abscondi.* Add. LEX WLSIG. Lib. IX. tit. II. §. IX.

*) Notum est, LEXVM hic legisse *corpore infames*, alios, veluti ALTHAMERVVM, *retinisse corpore infames*, sed illud explicasse de *mancis et corruptis*. Quumque absurdum sit, credere, maiores nostros homines monstruosos, mancos et matilos, quibus quodam naturae errore ea deformitas obtigisset, supplicio tam horrendo adfecisse: ingeniose HUTHVS *ibid.* §. V. diuinavit, intelligi posse *murcos*, quo vel Romano vel Gallico nomine vocabantur, qui, ut militiam subterfugerent, pollicem sibi ipsi praeciderant, de quibus plura AEG. MENAG. *Amoen. Iur. civ. Cap. III.* Sed recte hanc coniecturam missam facit vir doctus, quia nec ulli alii scriptori castigatae Latinitatis, nec TACITO, *corpore infames* vocantur mutili et monstrosi, sed *malibria* passi. Ignotum quidem Germanis hoc vitium esse, dixit QUINCTILIANVS: sed tanto maiore poena coercendi erant, qui, fortassis a Romanis corrupti, in naturam hoc modo peccauerant.

§. CCCXCVI.

Etiam
apud
Francos,
Saxones,
Alaman-
nos.

Sed et apud Francos, qui vel militiam subterfugerant, vel ab exercitu, non impetrata venia, discesserant, (quod delictum vocabatur HERESLITZ,) capite et bonorum publicatione puniebantur. CAPIT. CAR. M. Lib. III. Cap. LXX. ANNAL. LOISEL. *ad ann. DCCLXXXVIII.* Similis feueritas et posterorum erat, nisi quod hi vitae desertoris parcerent. IVS PROV. SAX. Lib.

Lib. I. Art. XI. Wer treulosß beredet wird, oder heersflüchtig aus des Reichs dienste, dem vertheilet man sein ehr, vnd sein lehen-Recht, aber nicht seinen Leib, Add. IVS PROV. SVEV, Cap. LXXXVI. vbi desertores, et hosti terga obuertentes, non modo feuda, sed et alodia, erbe vnd lehen-Recht, amittere, docetur, addita tamen exceptione: Ob der Herr selber nicht fleuhet, fleuhet der Herr selber, nach des flucht bricht niemand seine treue.)*

*) *Clar. HVTHIVS ibid. §. XIV. erroris arguit SPECVLATOREM SVEVVM, quippe qui male excrisperit speculatorem Saxonem, et eos, qui ex praelio aufugiunt, confuderit cum iis, qui ab exercitu recedant. Sed mihi culpa vacare videtur Speculator, nec vltima verba intelligo de iis, qui, domino ab exercitu recedente, et ipsi recedant, (quis enim hos impune exercitum deserere dixerit?) sed de illo casu, si iam victoria ad hostes inclinante, vel rebus plane desperatis, dominus signum det receptui, et reliquias exercitus seruare cupiens, ipse fuga se subducatur. Tunc enim dubium non est, quin vnusquisque sibi consulere possit, et, salua fide et existimatione, quaelibet ipsi honesta ratio sit expediendae salutis. Ita Darius, fugiens Alexandrum, tantum abest, vt fugientibus militibus suis indignaretur, vt et pontes dissolui vetaret, professus, malle se insequentibus iter dare, quam auferre fugientibus. CVRT. Lib. IV. Cap. XVI.*

§. CCCXCVII.

Deinde et infamia merito notabant omnes, Infames qui quid contra FIDEM admiserant, quam etiam gloriae sibi ducerent, *neminem ante se armis et perfidi. fide esse.* Vidimus, quam abhorruerint a proditoribus et transfugis: de iis vero com-

tibus, qui clientelarem fidem fefellerant, TACITVS *ibid.* Cap. XIV. *Iam vero, inquit, INFAME in omnem vitam ac PROBROSVM, superstitem principi suo ex acie recessisse.* Infamia etiam notatos videmus *periueros, fallaces, pecuniarum acceptores*, LEG. ALAM. Cap. XLII. §. I. item *perfidos, die treulos beredet werden.* *) IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. XL.*

*) Et hi' in primis vocari Germanis solent SCHELMEN, item *ebren- und treuwergeffene Leute.* Vnde prius fit vocabulum, quod hodie quoque plebi in ore est, non satis expeditum videtur, nisi quod IO. GE. ECCARDVS *ad Leg. Salic. Tit. XXXIII. §. V.* illud deriuat a *Schelen* excorticare, vt *Schelm* idem sit, ac cadauer, seu homo, cadaueris instar abominandus.

§. CCCXCVIII.

Itemque **impudici, adulterae, stupratae, meretrices.** Quod ad CASTITATEM Germanorum attinet, iam supra vidimus, adulteras apud Germanos accisis crinibus verberibus domo ac vico exactas esse, ac deinde non aetate, non forma, non opibus, maritum inuenisse. TAC. *de mor. Germ. Cap. XIX.* Vbi sane vel ipsam *decaluationem*, vti medio aeuo vocabatur, cum ictu fustium coniunctam, argumento esse diximus, mulieres, vulgata semel pudicitia, infames habitas esse per omnem vitam. (§. CCCXX.) Sed et stuprum vltro passas, *facinoris sui debonestatas flagitiq, amissi pudoris* INFAMIAM *sustinere*, ait LEX BVRG. *tit. XLIV:* Et semper postea in Germania infame visum est conuicium, si quis feminam meretricem vel scortum vocaret, quum tamen Romae et in

in Graecia ab eo vocabulo non adeo abhorrent mulierculae, quae turpissimum quaestum profitebantur. *)

*) Audi enim, quaeso, Adelphasium apud PLAVT. *Poenul. Act. I. Scen. II. v. 87.* ita philosophantem:

*Invidia in me numquam imata est, neque malitia,
mea soror.*

*Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo,
mauolo.*

*Aurum in fortuna inuenitur; natura ingenium
bonum.*

*Bonam ego, quam beatam me esse, nimio dici
mauolo.*

*Meretricem pudorem gerere magis decet, quam
purpuram.*

*Magisque meretricem pudorem, quam aurum,
gerere condecet.*

Suntne haec mulieris, quam quaestus illius turpissimi pudeat? Putasne eam abhorruisse a meretricis vocabulo, quae et ipsa sibi illud tribuit, et pudorem pro dote meretrici esse iactat? At talia plura sunt apud comicos, ex quibus intelligimus, non adeo turpem hunc quaestum existimasse mulierculas, ut meretricum nomen abominarentur.

§. CCCXCIX.

PIETATIS laudem vel sic fati tueri se existimabant Germani, si sacerdotibus, tamquam Deorum internunciis, obsequium praestarent caecum, eorumque iussa pro oraculis; animaduersiones pro diuinitus inflictis haberent. *) Id quicumque non faciebant, infamia notabantur. Memoriae sane prodidit CAES. *de bello Gall. Lib. VI. Cap. XIII.* sacerdotes Druidas in Gallia abstentos reddidisse maleficos, eamque poenam apud eos grauissimam fuisse.

Quibus

Poenae
addicti a
sacerdotibus.

Quibus ita fuerit interdictum, eos numero improborum ac sceleratorum habitos, ab iis omnino decessisse, aditum eorum sermonemque defugisse, ne quid ex contagione incommodi acciperent, neque in petentibus ius redditum; neque bonorum ullum communicatum.

**) Hinc de Gallis CAESAR ibidem: Druides fere de omnibus controuersis publicis priuatisque constituunt, et, si quod est admissum facinus, si caedes facta, si de hereditate, si de finibus, controuersia est, iidem decernunt, praemia poenasque constituunt. Similia fere de Germanis, saltim militantibus, tradit TACITUS de morib. Germ. Cap. VII. Ceterum neque animaduertere, neque vincere, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus, permissum: non quasi in poenam, nec ductu iussu, sed velut Deo imperante. Sed et in comitiis, si quid aduersus bonos mores fieret, sacerdotibus coercendi ius fuisse, idem obseruat Cap. XI.*

§. CCCC.

Excom-
municati.

Quare eo minus mirandum videtur, Germanos, quum nuncium mitterent superstitioni patriae, et Christo nomen darent, sacerdotibus eandem attribuisse auctoritatem, eorumque censuram, si quem diris deuotissent, tanti fecisse, vt illum infamem, hominumque confortio indignum putarent, qui non daret operam, vt ab iis quam primum refecraretur. Sic sane CAPITVLARI INGELHEIM. anni DCCCXXXVI. cautum obseruamus, vt, qui rerum ecclesiasticarum quidquam turriperit, is INFAMIS, donec ecclesiae, quam laesit, satisfecerit, habeatur. Et de excommunicatis SYNODVS VERNENS. Cap. IX. decernit, eum

in

in ecclesiam non debere ingredi, nec cum ullo Christiano cibum et potum sumere, nec eius munera quemquam accipere debere, vel osculum parrigera, nec in oratione se iungere, nec saluare, antequam ab episcopo fuerit reconciliatus.

§. CCCCI.

Quum vero plerasque POENAS capitales, et Omnes corpus adfligentes, sacerdotes Germani, capitali quasi Deo imperante, irrogarent: (§. CCCXCIX, *) in promptu est ratio, cur et istae infamia notare existimarentur. De omnibus in vniuersum capitis damnatis sancitum est CAPITVLARE I. ANNI DOCCIX. §. XXVIII.

*Vt, postquam quisque ad mortem fuerit iudicatus, neque iudex fieret, neque scabinus, neque testis, nec ad sacramentum reciperetur, sed unde alii iurare deberent, ipse semper ad iudicium Dei examinandus accederet. Nec minus infamia haerebat illis, qui verberabantur publice, accisis criminibus: *) de qua flagellatione turpique decaluatione vid. LEX WISIGOTH. Lib. VI. tit. II. §. I. tit. IV. §. V. Lib. IX. tit. II. §. IX. LEX LANGOB. Lib. I. Tit. XVII. §. V. illustr. a LVDEWIG. reliquiar. MSC. Tom. II. p. 192.*

*) Delibauimus quaedam de hac poena fustigationis cum decaluatione supra, (§. CCCXX, *) monuimusque, similia reperi in IVRE SAXONICO. Huic adde SVEVICVM Cap. CXLVIII. *Man soll ihm haut vnd habre abschlagen.* Et Cap. CLXIII. *Wer sein laib, oder hand, baut, oder habr ledigen.* Sed quid est *das habr abschlagen*? GLOSSA IUR. PROV. SAX. Lib. II. Art. XIII. *Zu baut vnd zu habre, das ist, daß man einen zur staupen schlägt, vnd*
win-

windet ihm das hahr mit kolben aus dem baupt.
 Quis non exclamet:

Gerrae germanae, aedepol, lirae, lirae!

Nec magis crediderim, veteres hic in animo habuisse terga setosa Germanorum, ceu visum **MASIO de occas. concept. et intent. const. crim. §. 11. litt. e.** Vera enim intelligitur tonsura capillorum, forcipe ignominiae caussa facta, ceu saepe nobis laudatus **HUTHIUS §. XII.** probat ex **IVRE PROV. SAX. Lib. III. Art. XLV.** *Zween besen vnd eine secher ist derer busse, die ihr recht mit dieberey oder mit raub verwürcket.* Quin ipse glossator, cuius patulo ante somnia audiuimus, saniora statim addit: *Auch sägen etliche leute, da das recht gegeben ward, da trugen die Sachsen lange hahre, so beschur man diesen, daß man ihn kennete, vnd sich für ihm büßete.* Immo quam magni crinem prolixum et fluentem per humeros comam fecerint Germani, vel inde patet, quod non solum antiquissimis temporibus hoc habitu sese a reliquis gentibus distinxerint: Vnde **LVCANVS Pharsal. Lib. I. v. 408.**

Et vos CRINIGEROS bellis arcere Chaycos,

Et IUVENAL. sat. XIII. v. 164.

Caerula quis stupuit Germani lumina, flauam

CAESARIEM, et madido torquentis cornua cirro?

Verum etiam Franci id decus folis regibus suis proprium esse voluerint. Vnde **CLAVDIANO laud. Stilich. Lib. I. v. 203.** hi vocantur:

crinigero flauentes vertice reges.

Et GREG. TVRON. Lib. II. Cap. IX. reges criniti.

Ac proinde ii, quibus spem imperii omnem ereptum vellent, capillis solebant priuari. Gothos etiam pro magno accepisse, quod capillati dicebantur, patet ex **CASSIOD. Lib. IV. Cap. XLIX.**

§. CCCCII.

Manu
truncati
vel eam
redim-
mentes.

Non dubito, quin simili infamia et illi fuerint notati, qui manu truncati fuerant, quia haec fere ordinaria erat poena falsi admissi, *) (§. CCCLXXXIII.) turpissimi criminis,

nis, maxime apud Germanos, fidei studiosissimos. Id adeo verum est, vt et ii, qui, data pecuniae summa, manum redemissent, infames haberentur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. LXV.* IVS PROV. SVEV. *Cap. CLXII.* Simile etiam iam supra vidimus statutum Goslariefse, (§. CCCXCI, *) vt iam alia veterum loca non accumulemus.

*) Quin quum poena grauissima eorum, qui aliquid aduersus rep. admiserant, esset proscription, *des Reichs acht vnd ober-acht*: hos quoque infamiae notam effugere non putabant, qui vertente anno in eo statu perseverarent. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXXVIII. Die iahr vnd tag in des Reichs-acht find, die vrtbeilet man alle rechtsloß, vnd vertbeilet ihnen eigen vnd leben.* Add. IVS WEICHB. *art. V.* et IVS PROV. SVEV. *Art. CLXXVIII.* Sed si dicendum, quod res est, ipsa proscription, ob crimen perduellionis inflictæ, iam per se infamia notabat, non perseveratio demum annua. Testis est formula proscriptionis, qua anno MCCCLXXVI. aduersus *Hertwitten, den Kuchler*, vsus est Carolus IV. Imp. apud LVDEWIG. *Reliqu. MSSC. Tom. IV. p. 304. Wir Carl, cet. bekennen, daß wir verurtheilt vnd verzahlt haben Hertwitten, den Kuchler, vnd haben ihm genommen ehr vnd recht, eigen vnd leben, das eigen dem kläger, das leben dem herrn ledig, von dem sie rührent.*

§. CCCCIII.

Quin tantum abest, vt vlla poena huius-
modi infamia vacaret, vt et, qui illam, inita
transactione, a se amoliri conabantur, infames haberentur. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXXVII. Die dieberey oder raub sühnen, oder auch wiedergeben, vnd des vor gericht überwinden werden, oder die ihren leib oder haut*
Transi-
gentes
super
crimine
famoso.
vnd

und bahre ledigen mit gelde; die seyn alle rechtloß. IVS PROV. SVEV. Cap. CCCCX. Die diebheit, oder den straaßraub vergolten habent, und des mit gericht bezwungen sint, oder haar und haar erlediget habent vorgericht, die sint alle rechtloß.

§. CCCCIV.

Minor infamia haerebat campionibus.

Hactenus de iis, qui, admissio aliquo crimine, infamiam maiorem contraxerunt. MINORE, quae vel ex vitae genere viliore, vel ex natalium turpitudine, oriebatur, notabatur, quicumque mercede conducti pro aliis descendebant in arenam, et singulare certamen, tamquam iudicium Dei, subibant. Sic enim claudus vel caecus, provocatus ad huiusmodi certamen, alium numis suis conducebat, qui illum insontem esse, gladiatorio certamine probaret. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XLVIII.* IVS PROV. SVEV. *Cap. CLXXIV.* Hic medio aevo CAMPIO vocabatur, atque ex LEGE IRISICA *tit. V.* et IVRE NORMANNICO, SAXONICO, SVEVICOQUE ERAT INFAMIS: *Kämpffer und ihre kinder sint alle recht-loß.* SPEC. SAX. *Lib. I. Art. XXXVII.* SPEC. SVEV. *Cap. CCCCX.*

- *) Errare itaque videntur, qui hic intelligunt pugiles, et qui gladiatoriam artem facturi, pro certa mercede in arenam prodeunt. Quales sunt *die Sr. Marx-Brüder.* Videntur tamen et loca quaedam esse, quae et campiones, tantum conductitios, integrae famae fuisse, innuat, veluti in IVRE PROV. SVEV. *Cap. CLXXIV.* et WRIGHT: SAX. *Art. LXXX.* Sed priore loco verba: *der frey und unbesprochen ist an seinen rechten* non pertinere ad campionem, sed ad eum, qui hunc conduxit, perspicuum est.

In

In posteriore quoque traiecta esse verba, docet saepe laudatus HUTH. *Specim. iur. Germ. §. IX.*

§. CCCC.V.

Proximi his erant **LYDIONES**, qui in **SPECV-LO** utroque **SPIELLEVTE** vocantur. Hos non Germani minus, quippe a ludicris omnibus alienissimi, infamia notabant, quam olim praetor Romanus. *l. i. ff. de his qui not. infam.* **IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXXVII.** **IVS PROV. SVEV. Cap. CCCXCVII.** Attamen nec fidicines ac tibicines, qui vel vicatim circumeunt, vel in cauponis operas locant combibonibus, et ipsi quoque *Spielleute* vocantur, hanc notam effugerunt apud maiores nostros; ceu vel ipsi docent **RECESSVS IMBERII AVGVSTANVS MDC. tit. XXIV. sequ.** **REFORM. POLIT. AVGVST. MDXXX. tit. XXIV. sequ.** et **REFORM. POLIT. FRANCOF. MDLXXVII. tit. XXIX. sequ.** vbi iunguntur *Schalksnarren, Ffeiffer, Spielleute, Landfabrer, Singer und Reimensprecher.* *)

*) Est hoc, ceu nemo ignorat, antiquissimum mufices genus apud Celtas gentesque septentrionales. In conuiujs enim maiorum res gestas aliaque etiam ridicula carmina canebant. Prius institutum laude dignissimum est, hisque gentibus cum Hebraeis, Graecis, Romanis commune fuit, ceu ex instituto ostendit **PERIZON. Animadu. Hist. Cap. VI. p. 202. sequ.** de eoque poeseos Germanicae genere agit **MORHOFF. im Vnterricht von der Teutschen Sprache Cap. VI.** Sed medio aevo posterius carminum ludicrorum genus magis inualuit, vt nullum temere conuiuium sine hoc condimento transigeretur. Nescio an eius generis fuerit chorus ille poetarum, quem in aula sua aluisse ferunt **Hermannum, Thuringiae Landgrauium.** Quamuis

uis enim et hunc fortia veterum Germanorum facta rhythmis comprehendisse existimet CHR. FR. PAVLLINI *Annal. Isenac. p. 30.* aliud tamen innuere videtur vocabulum *das Spiel von Wartburg*, quod nihil ferium notat. Similia carmina ludera olim apud Diethmarfos suos in nuptialibus similibusque epulis audita esse, obseruat ANT. VIETH in *der beschreib. des landes Diethmarsen Part. II. Cap. V. p. 107. sequ.* vbi et specimina quaedam edidit. Et quis ignorat, saepe in principum illustriumque virorum conuiujs, et nostris temporibus, naenias suas cantillare homines metallifossorum habitu indutos, dictosque *die Berg-Sanger?*

§. CCCCVI.

Illegitime natis.

De macula, quae SPVRIIS in Germania haerebat, iam supra diximus: nam et hos huic ordini adscribunt iura prouincialia, tum SAXONVM, *Lib. I. art. XXXIX.* tum SVEVORVM *Cap. CCCCX.* verbis: *Vnd alle, die vnehelich geböhren sind.* Quae loquutio satis late patet, quum alioquin ex incestu tantum natos notasset olim LEX SALICA *tit. XIV. §. XII.* Sed insequentibus temporibus nulli fere fuere illegitime nati, quorum famae pepercerint leges Germanicae. *)

*) Sic enim infamibus accensentur nati ex congressu adulteri cum adultera; IVS PROV. SAX. *Lib. I. Cap. XXXVIII.* IVS PROV. SVEV. *Cap. CCCCX.* item partus praecoces, IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXXVI.* WEICHB. *Art. IV.* IVR. PROV. SVEV. *Art. CCLXXVII.* liberi clericorum, *die Pfaffen-Kinder* IVR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. XLV.* IVR. SVEV. *Cap. CCCXC VII. §. III.* OTTO M. *const. post leges Langob. tit. VII.* vbi imperator: *Diaconorum, Episcoporum, presbyterorum filios, notarios, sculdafios,*

fios, comites, iudices fieri, omnibus modis prohibemus.

§. CCCCVII.

Ceterum diuerſas fuiſſe *maioris* ac MINORIS ^{Effectus} infamiae effectus, facile intelligitur. Quod ^{infamiae} infames ^{minoris.} arcebantur a teſtimonii dictione, LEG. ALAM. *Cap. XLII. §. I. IVR. PROV. SAX. Lib. II. Art. XXXVI.* a poſtulando, IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. LXI.* IVR. PROV. SVEV. *Cap. LXXXIX. §. II.* ab honoribus, tum ſacris, (quale exemplum habes in CHRON. MONT. SERENI *ad annum MCCI.*) tum ciuilibus, veluti ab officio iudicis, IVR. FEVD. SAX. *Art. LXI.* et PROV. SVEV. *Cap. LXXIII. §. I.* quin et ab ipſis feudis. IVS FEVD. SAX. *art. I.* Praeterea nec aduocatorum praefidio uti poterant, SPEC. SAX. *Lib. III. Art. XVI.* nec delicto aliquo laeſi, ipſi heredesue eorum petere poterant mulctam, quam *weregeldum* vocabant, ſeu compositionem. *) LEX FRIS. *Tit. V. IVS PROV. SAX. Lib. III. Art. XLV.*

*) WEICHB. SAX. *Art. CXXVII.* eos, qui huiusmodi homines percufferunt, dimidium wergeldum praeflare iubet. PROVINCIALE I. c. *Pfaffen-Kinder vnd den, die vnebelich geboren ſind, giebt man zur buſſe ein fuder heues, als zween jährige ochſen ziehen mögen. Spielleuten, vnd allen denen, die ſich zu eigen geben, giebt man zur buſſe den ſchatten eines mannes.* En vmbra viri, qua pro mulcta contentus eſſe iubetur homo infamis, veluti qui artem ludicram facit. Id quod ita explicat IVS PROV. SVEV. *Cap. CCCXCVII.* *Das iſt alſo viel geſagt, wer ihm icht leides thut, das ſoll man ihm alſo beſſern, daß der jenen beleydiget hat, an einer Wand ſtand, da die Sonn anſcheinet, vnd ſoll der Spielman dar gan,*
Y 2 vnd

vnd soll an den Schatten der Wand schlan mit der Fuß, damit soll ihm gebüßet seyn, vnd gebessert. Addit SPECVLATOR de championibus: *Kämpffern vnd ihren Kindern, den giebt man zur Buß den Schatten von einem Kampff-Schilde gegen der Sonnen.* Erat ergo haec satisfactio perlusoria, et dicis caussa id eo decernebatur, vt iudex exigere posset multam, quae vocabatur *die wette*. Hanc enim exigere non poterat, nisi et actori satisfactum esset. Vbi locus non erat poenae priuatae, (*der busse,*) ibi cessabat et publica, (*die wette.*) Hanc enim rationem ipse reddit SPECVLATOR SVEVVS, dum addit: *Vnehrlicher leut busß giebt wenig frommen, vnd ist doch gesatzt darum, daß nach der busß des Richters gewette folge.* Et quamuis haec omnia SPECVLATOR obseruet olim tantum obtinuisse: (*die busse was hievor in der alten ebe,*) tamen et de suis temporibus addit: *Vnrechter leute busß geben biederleut selten.* Add. HVTH. *specim. iur. Germ. §. XVI.*

§. CCCCVIII.

Et maioris.

Infamia MAIOR non modo cum his effectibus omnibus erat coniuncta: LEG. FRIS. *Tit. V. ALAMANN. tit. XLII. §. I.* verum etiam priuabat facultate sese purgandi iureiurando, ita vt de crimine suspectus ipse semper ad iudicium Dei, quod vocant, remitteretur. CAPIT. *I. anni DCCCIX. §. XXVIII.* id est ad examen per ferrum candens, aquam calidam vel frigidam, duellum, et si qua erant eiusdem generis alia. IVS PROV. SAX. *Lib. I. art. XXXIX.* WEICHB. *Art. XC. SPEC. SVEV. Cap. CLXXII. §. V. et Cap. CCVIII.* Quin si proscriptio decreta erat, ne iuris quidem communis ita particeps erat, vt iudicis auxilium aduersus aliorum iniurias iure posset efflagitare. *)

PROV.

PROV. SAX. *Lib. III. Art. XVII. SVEV. Cap. CXXV. §. III.*

*) Et ob hanc praecipue causam infames vocabantur *Recht- vel Echtlose Leute*. Exemplo esse potest is, quem supra ad partes vocauimus *Hertwitte der Kuchler*, de quo inter alia CAROLVS IV, in diplomate apud LVDEWIG, *Reliqu. MSSC. Tom. IV. p. 364. Vnd haben ihn von allen rechten in das vnrecht gesetzt, vnd haben ihn erlaubt allermenniglich, dass niemand an ihm freueln noch vnrecht thun soll, vnd wer ihn angreiff, der soll des keine entgeltung haben.*

§. CCCCIX.

Quae quum ita sint: adfirmare non dubi- Axioma-
ta de in-
fama.
tamus; I. doctrinam de infamia et hodie per-
multis locis non ex iuris Romani, sed Ger-
manici, principiis esse profectam. II. Ho-
die quoque famae iacturam potissimum fa-
cere imbelles, perfidos, incastos, et poena
famosa adfectos. III. Nec hodie infamiae
minoris nota vacare certa vitae genera, quae
Romanis numquam turpia visa sunt. IV.
Quin et nascendi fortem existimationem
quodammodo minuere. Denique V. diros
illos infamiae effectus, quos paullo ante de-
scripsimus, ne hodie quidem penitus exo-
leuisse.

§. CCCCX.

Quum itaque doctrina de infamia in foris De infa-
mia ho-
minum
ex iure
Germa-
nico iu-
dicand-
um.
nostris non ex iure Romano, sed Germani-
co proficiscatur: (§. CCCCLIX, 1.) consequens
est, 1) vt fallantur, qui apud Germanos ex
caussis ciuilibus neminem; ex caussis crimi-
nalibus

nalibus eos tantum, quibus infamia per sententiam irrogatur, notari, quin 2) infamiam iuris antiqui patrii principiis plane refragari, contendunt. GROENEWEG *ad* §. 2. *Inst. de poen. tem, litig.* SCHILF. *Exerc. X. §. XXXV. sequ.* 3) Vt potius multi apud Germanos integrae famae sint, quos vel edicto praetoris, vel legibus Romanorum notatos nouimus: *) 4) multi contra apud nos infames habeantur, quos Romani numquam notauerant. THOMAS. *Not. ad Pand. Lib. III. tit. II. p. 76. sequ.*

*) Sic plerique fatentur, apud nos infamia haec notari eos, qui mercede conducti in scenam prodeunt, feminas intra annum luctus nubentes, milites praedia conducentes, et tutores pupillas ducentes domum. STRYK. *Vf. hodiern. Lib. III. tit. II.* Contra tortis, fustibus ictis, excoriatoribus, lictoribus, castratoribus suum, quos Romani numquam notarunt infamia, maculam aliquam haerere, vulgo creditur, eaque opinio tam altas in hominum animis radices egit, vt tot seueris imperii legibus euelli vix potuerit.

§. CCCCXI,

Imbelles et ignauos infames haberi.

Quumque Germani in primis notent imbelles et ignauos: (§. CCCCIX, 2.) facile reddideris rationes, 5) cur infames hodie num habeantur ii, qui hostem fugiunt, nec in proeliis se praestant viros. 6) Cur, quamuis consuetudinem armis finiendi lites leges publicae damnent, iisque, qui certamina singularia subeunt, graue supplicium committuntur: milites tamen et nobiles vix eos integrae famae esse censeant, qui prouocati ad arma, non adfunt. 7) Cur contra expeditissima

tissima videatur famam atque existimationem instaurandi ratio, si quis expediat arma, et, iniuriis ferro vindicandis promptum ac paratum sese esse, ostendat. *)

*) Posteriora haec esse ex antiquis Germanorum moribus, nemo dubitauerit, qui iam apud VELLEIVM PATERC. *Lib. II. Cap. CXVIII.* legerit, apud maiores nostros, *solita esse armis discerni, quae apud Romanos iure terminabantur.* Mansit iste mos et posteris, adeo, vt etiamsi quis in ius vocasset aduersarium, tamen, vbi aliae liquidae deessent probationes, plerumque res ad arma rediret. His moribus et hodie viuere malunt plerique, quam lites sequi, nec seuerissimae leges adhuc pares fuere inueterato malo, quod se iam pridem plerisque, tamquam insignis virtus ac fortitudo, commendauit. Vid. IS. CASAVB. *ad Athen. Deipnos. IV, 13.*

§. CCCCXII.

Quumque maiores nostri et a perfidia maxime abhorruerint, perfidosque infamia notarint: (§. CCCCIX, 2.) non mirabitur quisquam, 8) non modo proditores, periuros, praeuaricatores, sed et 9) qui promissis *bey ehrlichen Nahmen, Cavaliers-parole,* et similibus non steterunt, (TEXTOR *dissert. de clausula fidei equestris.* ZOLLM. *dissert. de promissionibus generosa fide vallatis,*) quin 10) omnes mendaces, infames haberi, adeo vt 11) Germani sibi in eos et ius alapae infligendae esse credant, et 12) vix vllam iniuriam magis infamem putent, quam si quis virum honestum mendacii coarguat. *)

*) Omnia haec experientia satis confirmat. Obseruauit sane BEYERYS *spec. iur. Germ. Lib. III. Cap. V. §. X.* Germanos olim et famam oppignorari

posse credidisse, idque sibi velle formulas, quae et hodie satis frequenter audiantur: *bey Adelichen Ehren, bey Treu vnd Ehren, bey Schelmen-schelten.* Dolet praeterea vir doctus, ab antiqua fide adeo descivisse saeculum, ut haec obligatio fere insuper habeatur, nisi quod milites, sub hac promissione ex captivitate dimissi, illi pretii quid statuere soleant. Quin nihil et hodie obstare existimat, quo minus aduersus eum, qui fidem sub hac clausula datam fefellerit, agi possit ad id, *ut infamis et virorum honestorum consuetudine indignus iudicetur, et ad praestandum, quod promisit, vna cum usuris ob moram commissam, et impensis litis condemnatur.* Quam turpe porro Germanis omne mendacium visum sit, quantamque iniuriam eos pati existimarint, quibus aliquis mendaciis illuserit: satis probat vetus paroemia: *Auf eine lügen gehöret eine mauschelle.* Egerunt de hac paroemia CARPZ. *Pract. crim. Quaest. XCVII. n. XL.* STRVV. *de vindicta priu. Cap. X. aph. X. n. IX.* STRYK. *Diff. de alapa,* et HERT. *paroem. iur. Lib. I. paroem. C.* et, ius hoc iniustum esse, recte docuerunt. Attamen inde patet, vel veteres saltim existimasse, licere cuiuis et obiectum et obtrusum mendacium manu refutare.

§. CCCCXIII.

Itemque impudicos et impudicas. Quum praeterea et castitatem maximi semper fecerint Germani: (§. CCCCIX, 2.) inde esse arbitramur, 13) quod et adulteri et stupratores, et constupratae, et 14) mulieres vulgares, vix integrae famae habeantur, ideoque 15) eius ignominiae metus non paucis mulierculis improbis persuadeat, ut vel abigere foetum studeant, vel eum, vix in lucem editum, occidant. Quare 16) optandum videtur, ut defloratae probrum illud et crimen poena

poena quacumque, salua tantum existimatione, expiare possent.

§. CCCCXIV.

Id quoque moribus antiquis fatis conuenire arbitramur, quod certae quaedam poenae infamare creduntur. (§. CCCCIX, 2.) Hinc enim fit, 17) ut ob idem delictum alter, militari disciplina, quamuis fatis acerba, emendatus, integrae famae sit, alter, fustibus vel virgis publice caesus, infamia notatus existimetur. 18) Vt in primis famam confumere censeantur virgidemia publica, *der Staupbesen*, et 19) reliquae poenae omnes, a carnifice inflictae, *) quin et 20) dirae quaestiones, quamuis hae poenis adnumerari nequeant, adeoque 21) non fatis conueniunt moribus nostris, quod inculcat ius civile: *non ictum fustium infamare, sed caussam. l. 22. ff. de his qui not. infam.*

*) Hinc πολυθρύλλητον illud: *Es sey der mensch vnter scharffrichters oder henckers händen gewesen.* Sed haec opinio de infamia carnificum sero admodum in Germania inualuit. Eas enim operas olim praestabant viri honesti, *die Frohnboten*, quibus et quaedam iurisdictio competebat. THOMAS. *de Iurisd. differ. secundum mores Germ. §. LXXXI.* Anno adhuc MCCCCLXX. Budstadii in Thuringia homicidam capitis damnatum gladio percussit senior interemti agnatus. MULLER. *annal. Sax. ad ann. MCCCCLXX.* Quin in quibusdam Germaniae vrbibus olim infimos senatores, vel alios honestos ciues, hoc officio functos esse referunt. Vid. BE-SOLD. *Tbesaur. pract. voce Scharffrichter.* In caus-

fas, cur postea infames visi sint carnifices, inquit RITTERSHVS. *de iure asyl. p. 66.*

§. CCCCXV.

De infamia minore opificum, qui in rebus fordidis versantur. Quumque et hodie certa vitae genera cum infamia minore coniuncta esse credantur: (§. CCCCIX, 3.) talia praecipue sunt, 22) quae in fordidissimis operis versantur, veluti excoiatorum, castrantium fues, non autem 23) balneatorum, aliorumque, quos olim notauit vulgus, ab omni vero infamia immunes, et iuris collegiorum capaces esse voluerunt leges imperii. *) REC. IMP. *anni MDLXXVII. tit. XXXVIII. §. I.*

*) Recensentur ibi textores, tonfores, opiliones, publicani, et molitores, quorum liberis ne suo quidem aeuo ad vllam dignitatem ecclesiasticam aspirare potuissent, obseruat MONACH. S. GALLI *in vita Caroli M. Lib. I. Cap. VIII. apud CANISIVM.* Sed iam alibi obseruaui, non omnes statim artifices opificesque initio in certas tribus ac collegia coaluisse, sed quasdam artes et a faece plebis ac seruilis conditionis hominibus exercitas, ac proinde, quum sola opificia, quae iure corporis, vel collegii in vrbibus gaudebant, honesta dicerentur (*ehrliche vnd zünfftige Handwerker.*) inualuisse paulatim, vt reliqua pro inhonestis et cum ignominia quadam coniunctis venditarentur, aut saltim haberentur despiciatui. Vid. *diff. nostra de leuis not. mac. §. XXX.* Hinc CONR. DE FABARIA *de Casib. Monast. S. Galli Cap. XIV.* vbi recenset scurras, qui Dithelmum Comitum, fratricidam, publice laceffuerint conuiciis, in eum numerum refert pelliparios, (*Gärber vnd Kürschner.*) panifices, coriarios, textores, vestillones, immotores, per quos qui intelligendi sint, nisi legendum videatur *molitores*, ego quidem me fateor scire

scire cum ignarissimis. Vid. GOLDAST. *Tom. I. Script. rer. Alam. p. 88. et 142.*

§. CCCCXVI.

Quemadmodum porro olim et nascendi Et nato-
 fors existimationem quodammodo minuit: rum ex-
 (§. CCCCIX, 4.) ita 24) et hodie antiquum tra ma-
 obtinere animaduertimus Germanos, et trimo-
 hinc 25) natos extra matrimonium alibi ab nium.
 honoribus, alibi 26) a collegiis opificum, ali-
 bi, 27) vbi a fisco vindicantur in seruitutem,
 ex ipso numero ciuium excludi. Sed quum
 miseranda potius, quam odio prosequenda
 sit fors eorum, quos parentum improbitas
 sine sua culpa pessumdedit: merito hanc iuris
 antiqui iniquitatem damnarunt posteri, ma-
 xime ab eo tempore, quo, efflorescentibus
 in Germania optimarum artium studiis, ex-
 periundo didicerunt, posse et hanc maculam
 doctrina et virtute elui, quae miseris paren-
 tum culpa haesisset. *)

*) Nescio, annon inter primos opinionem hanc vete-
 rem absurdissimam re ipsa refutarit DESIDERIVS
 ERASMVVS ROTERODAMVS, qui e furtiuis amoribus
 natus, solo ingenio eam sibi gloriam peperit, quam,
 quoad homines erunt, nulla vumquam delebit ob-
 liuio, quin et ad summos honores, ipsamque pur-
 puram adspirare facile potuisset, nisi ei quouis ho-
 nore potius fuisset otium litterarium.

§. CCCCXVII.

Denique quum veteres illi infamiae effe- Effectus
 ctus, quos supra descripsimus, ne hodie qui- infa-
 dem plane exoleuerint: (§. CCCCIX, 5.) ra- miae.
 tionem

tionem inde reddideris, 27) cur infamia notati nec ad honores, nec 28) ad nostra vsque tempora in opificum collegia, nec 29) ad testimonii dictionem admitti soliti sint: quamuis 30) fatendum sit, hunc rigorem fere inter opifices duntaxat durasse, et 31) permulta hic mutasse leges recentiores; ipsumque saeculum nostrum, quod ad quemuis ingenii cultum humanitatemque magis magisque quotidie enititur. Vid. THOMAS. *not. ad pand. tit. de his qui not. infam.*



TIT. XVIII.

DE QUARTA HOMINVM DIVISIONE, ET STATV PEREGRINORVM.

§. CCCCXVIII.

Quamuis non paucae adhuc superessent Diuisio
hominum diuisiones : vel ipsa tamen quarta
promissae breuitatis fides, quanto omni-
num in
omnia transcurfu dicenda sint, admonet. Quare
sub finem libri huius primi quaedam tantum
subiicere iuuat de differentia CIVIVM ORIGINALI-
RIGINARIORVM et ADVENTITIORVM, nec non
PEREGRINORVM, ne diuisionem illam, in omnium
fere gentium iurisprudencia obuiam, at in
Germania parum hodie vtilem, *) penitus
praetermississe videamur.

*) Scripsit *de iure peregrinorum* pereruditam dissertationem IO. SCHILTERVS, quam quisquis euoluerit, illico animaduertet, in Germania parum interesse inter ciues et peregrinos, et durioris illius conditionis, in quam hos detruserat Romanorum superbia, ne umbram quidem in Germania nostra adparere. Quare et hic antiquos Germanorum mores cum iure hodierno comparare nec iniucundum futurum existimo, nec infructuosum.

§. CCCCXIX.

Primo itaque tenendum, non fuisse vllam Germanationem magis in peregrinos humanam ac
hospitalem, quam Germanos, adeo, vt ipsi
scriptores Romani hanc eorum φιλοξενίαν
mirarentur. IVL. CAES. *de bell. Gall. Lib. VI. Cap. XXI.* *Hospites violare fas non putant.* Qui
qua-

quaque de caussa ad eos venerint, ab iniuria prohibent, sanctosque habent: iis omnium domus patent, victusque communicatur. Et TACIT. de mor. Germ. Cap. XXI. Hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortaliū arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque adparatis epulis excipit. Quum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non inuitati adeunt; nec interest, pari humanitate excipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad ius hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris, et poscendi inuicem eadem facilitas. Denique paucis interiectis: Victus inter hospites comis.

§. CCCCXX.

Id et de medio aeuo dicendum. Eadem et postea humanitas fuit gentium Germanicarum *) et borealium. Saltim de Suionibus in libello de Daniae situ refert ADAMVS BREMENSIS, iis omni probro grauius videri, hospitium denegare transeunti, ita, vt certamen habeant inter se, quis dignus sit hospitem recipere. Ei illos omnia exhibere humanitatis iura, quot illic commorari velit diebus, ad amicos suos illum certatim per singulas dirigere mansiones. Quibus similia sunt, quae de gentibus borealibus referunt IO. MAGNVS hist. Goth. Lib. IV. Cap. I. et LOCCEN. antiqu. Sueogoth. Lib. II. Cap. XXII. p. 99. sequ. ANT. VIETH Beschreib. des Landes Diethmars. Part. II. Cap. IV. p. 102. sequ.

*) Argu-

*) Argumento esse potest LEX BVRG. tit. XXXIII. §. I. *Quicumque hospiti venienti tectum aut forum negaverit, trium solidorum inlacione mulctetur*, eique similis sanctio in CAPITVLAR. Lib. I. §. LXXV. Conf. LVP. FERRAR. *Epist. XI. XLII. XLV. LXXI*. Ex quibus locis patet, non soli cuiusvis virtuti relictum fuisse hoc officium, vti solent alia, quae officii magis et voluntatis sunt, quam necessitatis: sed multa coercitōs esse illos, qui minus hospitales essent. Ast feueriores multo Gothi, apud quos aedes eorum, qui viatores tecto ter arcuisse comperti essent, ex legis praescripto incensas esse, tradit IO. MAGNVS *ibid.*

§. CCCCXXI.

Eiusdem humanitatis erga peregrinos id ^{Victos} quoque haut leue argumentum est, quod victores non vltra praelium saeuirent, sed victos non modo seruarent, verum etiam plerumque in ciuitatis suae societatem reciperent. Sic Arborichos, (forte an Armoricos,) a Francis ciuitate donatos, refert PROCOP. *de bell. Goth. Lib. I.* idemque beneficium hi postea praestitere Saxonibus, quos *Francis coadunatos, vnum cum illis populum factum esse*, scribunt EGINARD. *vit. Caroli M. Cap. VII.* et FOETA SAXO *ad ann. DCCCIII.* nec non Frisiis, Burgundionibus, Thuringis, Bauaris, quos seruitute oppressos esse a victoribus, nemo veterum tradidit. *) In Venedos tamen vel Slauos, qui implacabili odio non modo Germanum, sed ipsum Christianum nomen, persequebantur, paullo inclementius consuluisse Germanos, non inficiamur, eosque in seruitutem redactos esse, iam supra nos obseruare, meminimus.

*) Solos

*) Solos ergo, vti videtur, Alamannos hoc fatum man-
 fit, vt perdomiti praelio Tolbiacensi, a Chlodo-
 uaeo in seruitutem redigerentur, quamuis postea,
 comperta eorum fide, paulatim benignius habiti
 fuisse videantur. Saltim sub Carolingis eandem
 Alamanniae, ac reliquarum prouinciarum, fuisse
 conditionem, ex scriptoribus antiquis, qui de ca-
 sibus monasterii S. Galli commentati, et MELCH.
 GOLDASTO in *script. xer. Alam. Tom. I* edita sunt,
 satis constat.

§. CCCCXXII.

Partem
 tantum
 agri sibi
 vindica-
 cantes.

Nec mos erat gentibus Germanicis, agro
 mulctare victos, sed partem tantum sibi po-
 scere, reliqua dominis relinquere sub lege
 annui vectigalis. Sic tributarios Thuringos
 fecit Chlodouaeus. *GEST. REG. FRANC. Cap. I.*
 Et Burgundos agrum, quem in Gallia occu-
 pauerant, cum Gallis senatoribus diuisisse,
 refert MARIUS AVENTIGENSIS in *Chron. apud OR-*
CHESNE Tom. I. Et exstat sane de hac diui-
 sione testimonium in *LEGE BVRG. tit. LVII.*
 Simile fuisse institutum Visigothorum et O-
 strogothorum, obseruat HERT. *notit. veter.*
Germ. popul. Part. III. Cap. VII. §. V. De
 Langobardis *IDEM ibid. Cap. IX. §. III.* Nec
 dubito, quin idem fecerint Franci, quando
 in Gallia sibi nouas sedes quaesuerunt, ad-
 eoque et hi parte agri sibi vindicata, parte Gallis
 relicta, illis immunitatem dederint, *) his
 tributa imperarint.

*) Et haec vera origo esse videtur TERRAE SALICAE, id
 est, Francis sub lege immunitatis datae. Nec du-
 bium est, Francos idem institutum seruasse post-
 ea, quum Alamannos, Thuringos, Burgundos,
 Frisios, Saxones deuicissent. Et hinc factum ar-
 bitra-

bitramur, vt *terrae Salicae* et in his prouinciis, mediaque Germania mentionem fieri videamus, et quidem saeculis etiam insequentibus, quum pridem euanyisse credidisses Saliorum memoriam. Adferri sane possunt chartae non modo antiquiores, quales sunt apud *BROWER Annal. Treu. Lib. IX. ad ann. DCCCCIX. CAR. DV FRESNE in Glossar. voce Lex Salica* TRADIT. *FULD. apud Pistor. Lib. III. n. XXVIII.* verum etiam recentiores, apud *ZYLLES. Def. Maxim. p. 31. TOELN. Cod. Dipl. p. 17. et 22. GOLDAST. Tom. II. Script. Alam. n. XXVIII.*

§. CCCCXXIII.

Multo minus ergo Germanicae originis Populantes victos populos patria expellebant, nisi quod Saxones perfidia sua aliquando eiusmodi deportationem mererentur. ANNAL. LAMBEC. *ad ann. DCCXCIX. FULD. ad ann. DCCCIV.* Potius vnicuique genti deuictae suae leges, suique mores patrii relinquebantur, adeo, vt apud Gothos, Francos, Burgundiones et Langobardos, vnus lege Romana, alter Salica, alii Langobardica, Gothica, Burgundica, Alamannica vel Boica viuerent. *) Vid. HIST. IVR. CIV. *Lib. II. §. XV. sequ.* nec vllus cogeretur legibus gentis victricis sese subiicere, dumne aliquid, quod Christianae pietati repugnare videbatur, admitteret. Quod in primis probatur ex *CAPITVLAR. de partib. Saxon. apud BALVZ. Capitular. Tom. I. p. 250.*

*) Sic *WISIGOTHI* prouincialibus reliquerunt vsum iuris Romani: eumque in finem corpus Alaricianum compilatum nouimus. *IAC. GOTHOFR. proleg. Cod. Theod. Cap. X.* quamuis eius iuris vsum postea aboleret *Childiswindus Rex, LEX WISIG. Lib. II. tit. I. §. IX.*

Idem et OSTROGOTHOS fecisse, ex CASSIODOR. *Var. Lib. I. Cap. I. Lib. II. Cap. IV.* et GREG. TVRON. *Hist. Lib. II. Cap. XXXIII.* patet. , Similis fuit humanitas BVRGVNDIONVM. Vid. LEX BVRG. *praefat. p. 267.* FRANCORVM, teste AGATH. *Lib. I. p. 7.* et aliarum gentium: eiusque moris diu post eos fuisse tenacissimos, satis ostendunt exempla apud GVICHENON. *Biblioth. Sebus. Cent. II. n. III. p. 188. Cent. I. n. XCIX. p. 170.*

§. CCCCXXIV.

Peregrinos facile suscipiebant.

Illa quoque mira Germanicarum nationum humanitas est, quod nemini temere ad se confugienti iura ciuitatis, honorum, militiae, negarent, hominesque non tam natali solo, quam ingenio ac virtute, aestimarent. SALV. MASSIL. *Lib. VI. de gubern. Dei pag. 90.* *Inter haec vastantur pauperes, viduae gemunt, orphani proculcantur, in tantum, ut multi eorum, et non obscuris natalibus editi, et liberaliter instituti, ad hostes fugiant, ne persequutionis publicae ad afflictione moriantur: quaerentes scilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possunt. Et quamuis ab his, ad quos confugiunt, discrepent ritu, discrepent lingua, ipso etiam, ut ita dicam, corporum atque induuiarum barbaricarum foetore dissentiant: malunt tamen in barbaris pati cultum dissimilem, quam in Romanis iniustitiam saeuientem. Itaque passim vel ad GOTHOS, vel ad BACAVDAS, vel ad alios ubique dominantes barbaros, migrant, et migrasse non poenitet. Add. CAPITVL. CAR. CALVI tit. XIV. §. IX. p. 66. Tom. II. edit.*

*edit. Baluz. et chartam eiusdem apud eumd. Tom. II. pag. 1444. *)*

- *) Similes chartae exstant Ludouici Pii, Imp. quibus anno Imperii II. et III. Hispanis quibusdam, ad se confugientibus non modo sedes, quas occupauerant, sed et varias immunitates et priuilegia indulget. Eas tamquam praeclarum humanitatis erga peregrinos, Sarracenorum iniuriis patria extorres, exemplum ex metropolitanae ecclesiae Narbonensis tabulariis edidit PETR. PITHOEVS *inter annal. et hist. Franc. script. coetan. XII. p. 427. sequ.*

§. CCCCXXV.

Fieri non potuit, quin fama humanitatis inusitatae, qua peregrinos omnes ad se fugientes excipiebant, plures pelliceret, ut inter Germanos, quam in patria, fortunam experiri mallerent. Historia enim satis docet, eos peregrinos bene meritos ciuitate donasse, veluti Euspicium et Maximinum, ad quos Chlodouaeus M. in charta apud DACHER. *Tom. V. spicileg: Vos ergo, inquit, Euspici et Maximine, desinite inter Francos esse peregrini.* Multi quoque peregrini ad summas non modo in ecclesia, sed et in republica, dignitates adspirabant, *) quales in Francia fuerunt, Theodorus et Proculus, Episcopi Turonenses, *qui de partibus Burgundiae aduenierant, Francilius, Episcopus ibidem ex senatoribus,* GREG. TVRON. *Hist. Lib. III. Cap. XVII.* Chrumelinus, genere Romanus, Willibadus, natione Burgundio, patricii et duces, et alii innumeri, quos passim celebrant

prifei annales. Vnde et *Romanos, conuiuas regis*, memorat LEX SAL. tit. XLIV. §. VI.

*) Exceptis tamen Iudaeis, qui religionis odio nec ad militiam, nec ad consilium publicum, nec ad iudicum dignitatem admittebantur, immo ne vectigalia quidem conducere poterant. Vid. SYNOD. PARIS. v. Cap. XV. ARVERN. Cap. IX. MATISCON. I. Cap. XIII. De eorum tamen insolentia singularem libellum scripsit AGOBARDVS Tom. I. Op. p. 62. edit. BALVZ. Quum enim anno DCCCXXVIII. edictum ab Imperatore impetrassent, quo cauebatur, ne mancipium Iudaicum, inuito domino, baptismo imbueretur, iique, hoc praesidio tuti, paullo insolentius sese gerere coepissent aduersus Christianos, Agobardus non modo eorum audaciam hoc libello, alioque, quem *de Iudaicis superstitionibus* inscripsit, nec non *epistola ad Nibridium, Narbonnensem episcopum de cauendo conuictu et societate Iudaica* masculce repressit, verum etiam insequente anno DCCCXXIX. habita Lugduni synodo, vniuersis episcopis, qui eo confluxerant, persuasit, vt scripta ad Imperatorem epistola eum ad coercendam Iudaeorum insolentiam, cohortarentur. Quae omnia pluribus illustrauit laudatus BALVZIVS.

§. CCCCXXVI.

Peregrini tamen minore summa componebantur, quam ciues.

At quamuis fatis humani aduersus aduentitios et peregrinos essent Franci et Germani reliqui: negari tamen non potest, prae peregrinis aliquam praerogatiuam fuisse ciuium. Primum enim hi maiore pecuniae summa componebantur, (vti loqui solebant,) quam peregrini. Qui *ingenuum Franconem aut barbarum, aut hominem, qui lege Salica viuebat, occiderat, VIII M. denariis, id est, solidis CC. culpabilis iudicabatur.* LEX SAL. tit.

XLV.

XLV. §. I. Qui Romanum tributarium, MDCCC. denariis, id est sol. XLV. *ibid. §. VII.* Qui aliquem *in truste dominica occiderat*, exsoluere tenebatur XXIII M. denarios, seu solidos DC. qui *Romanum hominem, conuiuiam Regis*, XII M. denarios, id est solidos CCC. *ibid. §. IV. et VI.* Quale discrimen per saepe in aliis veterum Germanorum legibus reperies. *)

*) Vide ex WENDELINI *gloss. Salico, voce Romanus* obseruat HERT. *Notit. Regn. Franc. Cap. III. §. I. p. 277.* Francos se duplo nobiliores putasse Romanis. Sane et in LEGE RIPVARIORVM maior semper poena ei irrogatur, qui Ripuarium occidit, vel percussit, vel alia quacumque iniuria adfecit. Paulo humaniores reliquis fuere Burgundiones, quorum LEGE *tit. X. §. I.* legimus: *Burgundio et Romanus una conditione teneantur.*

§. CCCCXXVII.

Deinde peregrinos, vagabundos saltim, Et qui- busdam
et nullos certos lares ac penates sibi consti-
tuere volentes, quos *mangones et cottiones* *) locis in
vocabant, legibus seueris coercebant Franci. feruitu-
CAPIT. CAROLI M. *anni DCCLXXXIX. §.* digeban-
LXXVII. Quin eos in feruitutem videntur tur.
redegisse, nisi ob barbarorum crudelitatem
e patria fugissent. Ita enim intelligo loca
CAPITVLAR. *Lib. III. §. XVIII. et Lib. IV. Ad-*
pend. §. II. vbi accuratum aduenarum indi-
cem facere iubentur missi dominici: nec non
praeceptum CAROLI CALVI *Capitular. tit. XIV.*
§. IX. pag. 66. De aduenis, qui oppressione
NORMANNORVM *vel BRITANNORVM in partes*
istorum

*istorum regnorum confugerant, statuerunt seniores nostri, ut a nullo reip. ministro quamcumque violentiam vel oppressionem, aut executionem patiantur, sed liceat eis conductum suum quaerere et habere, donec aut ipsi redeant ad loca sua, aut seniores illorum eos recipiant. Nullus autem eos INSERVIRE praesumat, eo quod loco mercenarii apud aliquem manserint, nec censum aut tributum exigere. (Conf. §. XXXVI.) Multo clarius de huiusmodi consuetudine terrae Ghisnensis et iure Coluevlerli ibi recepto, scripsit LAMB. ARDENS. *bistor. Com. Ardens. et Guisnensium. Cap. XXXVI.* apud LVDEWIG. *Reliqu. MSS. Tom. VIII. p. 419. sequ.**

*) *Mangonum* vocabulum Germanicum esse putat B. RHENANVS *Rer. Germ. Lib. II.* Mangonum, inquit, adhuc nomen et res manet, apud Germanos *die Mengen.* Sed *mangones* aequae ac *caciones* (ita enim scribendum erat,) sunt circumforanei, qui res minoris pretii vicatim circumferunt. FESTVS: *Arillator, cocio.* Conf. DV FRESNE *Glossar. Lat. voce Cocio.* Coluevlerli denique nihili vocabulum videtur, dicendi potius Coluekerli. Ait enim LAMBERTVS: *Qui clauati seu clauigeri vel claua dicebantur, agnominati ab eo, quod non licebat eis aliud genus armorum, nisi clauam tantum, baiulare. Colve autem vel Kalbe est claua. Vnde Coluekerl, clauiger.* Hos quoque aduenas in seruitutem reductos, et clauam ferre, simulque *pensionem opprobriosam* incurrere, et quasi de iure persolvere coactos esse, scribit LAMBERT. *ibid. p. 419.*

§. CCCCXXVIII.

Denique iam olim, saltim apud Francos, peregrinis extra patriam fato functis, va-
luit IVS ALBINAGII, vt de rebus suis, quas
relinquerent, disponere non possent, sed
eas omnes fiscus regius vindicaret. Agit de
hoc iure Francorum prolixè CAR. DV FRES-
NE in *Gloss. Lat. sub voce Albanus*, sed nul-
lum adducens testimonium vetustius. At
nos iam alibi adduximus tabulas CAROLI M.
monasterio Hohenaugiensi concessas apud
MABILLON. *Annal. Benedictin. Tom. II. pag.*
497. in quibus res PEREGRINORVM pro-
priae esse dicuntur regis, secundum legem
Francorum, excipiunturque soli peregrini
Scoti, quibus omnibus reges Francorum liber-
tatem dederint, vt nullus raperet aliquid de re-
*bus eorum. *)* Qui locus eo est notatu di-
gnior, quo clarius ex eo intelligitur, ius illud
odiosissimum et antiquum, et ex ipsis Franco-
rum legibus profectum esse.

Bona eo-
rum iure
albinagii
fisco
vindica-
ta.

*) CAR. DV FRESNE in *Gloss. Lat. Tom. I. p. 124.* obser-
nat, ex quorundam opinione Albanos primum di-
ctos Scotos, quibus consuetudo peregrinandi paene
in naturam versa fuerit, vt ait WALAFR. STRAB.
Lib. H. de vita S. Galli Cap. XLVII. Hos enim Al-
banos vel Albanicos olim dictos esse, pluribus te-
stimoniis probat. Sed hoc ipsum CAROLI M. diplo-
ma Hohenaugiense ostendit, Scotos exemptos fuisse
ab illa lege, adeoque vix verosimile est, ab iis esse
iuri illi Albinagii vocabulum arcessendum.

§. CCCCXXXIX.

Peregrini hodie iisdem fere iuribus, ac ciues, fruuntur.

Enimuero haec Germanis innata et a natura ipsa impressa humanitas facile subegit posteros, vt paucos hos peregrinitatis effectus tollerent. Sic enim 1) quibusuis peregrinis aditum non modo ad iura ciuitatum specialium, sed et 2) ad militiam et honores patere, animaduertimus, quamuis 3) non sine praerogatiua aliqua ciuium, si eiusdem sint meriti. Sed et 4) iisdem illos frui connubii et contractuum iuribus, res ipsa docet, nisi quod in nundinis quibusdam praerogatiuis donari municipales, iam supra vidimus. (§. CXVII. et CXVIII.)

§. CCCCXXX.

Paucissimis locis in rediguntur in seruitutem.

Praeterea 5) diram illam consuetudinem in seruitutem redigendi peregrinos et aduenas, plerisque locis abolitam esse, certum est. Apud Ghisenses saltem saeculo XI. hanc consuetudinem sustulisse Manassen, Comitem, tradit LAMBERT. *ibid. pag. 421.* Et 6) alibi quoque paucae eius reliquiae manent, veluti in tractu Algouiae, vbi aer seruos reddere dicitur, (§. XXXVI, 3,) nec non in Palatinatu, vicinisque tractibus, vbi ab antiquissimis temporibus obtinet *ius wildfangiatus*, sed arctis admodum limitibus circumscriptum laudo Heilbrunnensi. *)

*) Attamen

- *) Attamen nuper admodum ex actis Paderborna ad nos transmissis didicimus, et ibi aerem aliqui feruos facere, eiusque conditionis esse, quicumque certa praedia intra certum tractum possident, nisi libertatem domini clementia impetrant, quorum codicillorum exemplum in ipsis actis existabat.

§. CCCCXXXI.

Denique 7) et ius albinagii adhuc in sola Ius albinagii in Gallia supereffe nouimus, *) GREG. THONAGII in Germania ubique cessat. *Los. Lib. III. Syntagm. Cap. XII. n. VIII. sequ.* quippe 8) in Germania ac reliquis imperii prouinciis abrogatum a Fridrico II. Imp. anno CIO CC XX. *Auth. omnes peregrini C. comm. de success.* Hanc enim legem non ad solos Italos, uti vulgo putant, pertinuisse, sed ad vniuersum imperium, cum subiuncta illi diplomati Honorii Papae confirmatio docet, in qua leges eo diplomate comprehensas *pro utilitate omnium Christianorum editas esse*, scribit, GOLDAST. *Const. Imp. Tom. I. p. 376.* tum ipsius Fridrici Imp. praefatio, qua *illas leges in die, qua de manu summi Pontificis recepit imperii diadema, editas, per totum imperium suum, cunctosque populos, quae clementiae suae regat imperium,* publicari iubet.

- *) Recte itaque obseruauit BODINVS *de republ. Lib. VI. n. LXII.* iuris albinagii in Germania nullum superesse vestigium, nisi quod Hanonios vicinae Galliae mores, veluti quadam contagione infecisse videantur. Sane apud eos seruari hunc moris antiqui rigorem, testantur FRANC. ZYPAEVS *Not. Iur. Belg. p. 187.* PETR. GVDELIN. *Iur. nouiss. Lib. V.*

Cap. X. NIC. BVRGVND. ad Consu. Flandr. tract. XIV.
quamuis primus obseruet, eos hoc acerbo iure vti
non aduersus Brabantos, Leodieneses, Germanos,
sed aduersus Francos, aliosque, qui vltra Scaldim
habitent, et apud Hanonios diem obierint supre-
mum. Sed de statu peregrinorum, et vniuerso
personarum iure haec delibasse suffecerit. Itaque
ex instituti nostri ratione iam ad alteram IVRIS GER-
MANICI partem, quae est de IVRE RERVM, proue-
himur.



LIBRI II.
DE
IVRE RERVM.
PARS I.

TIT. I.

DE VARIIS RERVM SECVNDVM
IVS GERMANICVM DIVI-
SIONIBVS.

§. I.

RES nobis hic sunt omnia, quae exsistunt, solis exceptis *personis*. Nam et *actiones*, quatenus in bonis nostris sunt, et si considerantur tamquam iura, quae nobis ~~competunt~~, sunt RES incorporales, quamvis consideratae tamquam medium ius nostrum persequendi, pro tertio, et diuerso a rebus, iuris obiecto recte habeantur.

Quid intelligamus per res?

§. II.

Prima rerum diuisio iure Romano est, quod quaedam DIVINI, quaedam HVMANI IV-
RIS esse censeantur. *l. i. pr. ff. de rer. diuis.* Germani vetustissimi templis carebant, nec, teste TACITO *de mor. Germ. Cap. IX.* *cohibebant parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimilare eos, ex magnitudine coelestium arbitrabantur. Lucos ac nemora consecrabant, deorumque nominibus adpellabant secretum illud, quod sola reuerentia videbant.*

Germanorum qualis religio?

Itaque

Itaque et aras, quales apud Romanos aliasque gentes memorantur, eos non putares habuisse, multoque minus simulacra et vasorum sacrorum, ex auro argentoque confectorum, adparatum, quem potissimum rerum sacrarum nomine Romanis venisse, nouimus. Sed, si dicendum quod res est, maioribus nostris, profanorum Deorum cultui adhuc deditis, nec templa, *) nec alia loca sacra, nec arae, nec simulacra, nec aliae huiusmodi res sacrae defuisse videntur.

*) Sane enim TANFANAE templum, a Germanico Caesare euersum, apud Marfos extitisse, testatur TACITVS *Annal. Lib. I. Cap. LI.* IDEM *de morib. German. Cap. XL.* mentionem facit templi HERTHI, ad est, Terrae matris, cuius et penetrabile in casto nemore, et vehiculum veste tectum describit. Sed et barbaras aras, apud quas Germani tribunos et primorum ordinum centuriones mactauerint, commemorat IDEM *Lib. I. Annal. Cap. LXI.* At fuerint haec fortassis casae potius ac tuguria, quam templa magna et splendida, et arae non nisi caespitum vel saxorum congeries, quales passim ob saxorum sibi inuicem impositorum molem non sine stupore spectamus, veluti prope Helmstadium, CONRING. *de antiqu. statu Helmst. p. 51.* in Holfatia prope Wedeliam, ARNKIEL. *Cimbr. Heydentb. Lib. I. Cap. XXX. §. IV.* in Dania WORM. *monim. Dan. Lib. I. Cap. III.* denique in Drentia: VBB. EMM. *Hist. Fris. Lib. I.* et alibi.

§. III.

Habebant
templa,
aras, si-
mulacra,
lucos,
colles,

Habebant ergo Germani templa, sed pauciora, quibus medio aeuo quaedam alia, veluti apud Saxones Irminsulae, apud Slauos Radegasti, apud alios alia accessisse arbitramur, de quibus Slauorum fanis consuli mere-

meretur HELMOLD. *chron. Slau. Lib. I. Cap. LII.* arbores,
et ibi BANGERTVS pag. 125. sequ. Habebant et fontes
 simulacra sua, quae lucis detracta secum in sacros.
 praelium ferebant, TAC. *de mor. Germ. Cap.*
VII. quibus postea refertissima etiam Slauorum
 fana fuisse, testantur DITM. *Chron. Lib. VI. p.*
381. et HELMOLD. *Chron. Slau. Lib. I. Cap. LII.*
 Habebant denique aras, sacros fontes, ADAM.
 BREM. *Lib. I. Cap. VI.* WILLIBALD. *Vit. S. Bonif.*
Cap. VIII. sacras arbores, et in primis quer-
 cus, de quibus AVENTIN. *Lib. III. Ann. Boic.*
Cap. I. CAPITVL. *Lib. VII. §. III. et VI.* sacros
 colles, de quibus AVENTIN. *Lib. III. Cap. I.*
 sed in primis lucos et siluas, auguriis patrum
 et prisca formidine sacras, *) quale castum
 illud nemus apud TACIT. *de mor. Germ. Cap.*
XL. lucus Semnonum apud EVMD. *Cap.*
XXXIX. alique, quos describunt IDEM *Lib.*
IV. anal. Cap. LXIII. anal. Lib. II. Cap. XII.
et hist. Lib. IV. Cap. XIV. HELMOLD. *chron.*
Slau. Lib. I. Cap. LXXXIII.

*) Quanta has religione coluerint, vel inde patet, quod
 arborem in iis caedere sacrilegium videretur.
 Ad quam Germanorum superstitionem adludens
 CLAUDIANVS *de laudibus Stilich. Lib. I. v. 228.*

Vt procul Hercyniae per vasta silentia siluae
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Religione truces, et robora numinis instar
Barbarici, nostrae feriant impune bipennes.

CONF. INDICVL. SVPERST. PAGAN. *Cap. VI.* apud BA-
 IVZ. *Capitul. Reg. Franc. Tom. I. p. 150.* CAPITVL. *de*
part. Sax. ibid. p. 254. et quae obseruauit SAGITTAR.
in antiqu. gentil. Thur. Lib. I. Cap. III.

§. IV.

Ergo et
apud
Germanos
res
vel diuini
vel
humani
iuris.

Itaque procul dubio res DIVINI aequae, ac HUMANI IVRIS, habuere Germani, et vtrasque iis diserte tribui animaduertimus a TACITO *Lib. I. annal. Cap. LI.* dum de Germanico scribit: PROFANA simul et SACRA, et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanae vocabant, solo aequantur. An vero res diuini iuris in sacras, sanctas, religiosasque distinxerint, ignorare me quidem fateor, quamuis res non modo sacras, sed et alias multas, quibus religio deberetur, et ipsa fortassis conditoria, sanctione poenali muniuisse videantur. *)

*) Tantum enim adest, ut impune violare licuerit rem ullam sacram, ut et iis, qui vidissent eam, vel iussi, et sine irreuerentia attigissent, pereundum esset. TAC. de mor. Germ. Cap. XL: *Dicatum in eo vehiculum, veste contactum, attingere vni sacerdoti concessum.* Et paucis interiectis: *Mox vehiculum, et vestes, et, si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.*

§. V.

An et
diuisio
in sacras,
sanctas
et reli-
giosas
nota
fuerit
Germanis
iam
Christia-
nis?

Ceterum iis temporibus, quibus Christo nomen dabant Germani, Christiani etiam adsumferant notionem illam rerum SACRARVM, SANCTARVM et RELIGIOSARVM, quam in iure Romano deprehendimus, ac proinde dubitari nequit, quin Gothi, Franci, Burgundiones, Langobardi, et reliquae originis Germanicae gentes, vna cum religione Christiana

na hanc ipsam opinionem imbiberint, illaque eo facilius radices egerit, quo magis ei iam olim, quum adhuc simulacra colerent, fuissent adfueti.

§. VI.

SACRAE ergo istis erant res consecratae per Quae il-
 chrisma, vti ecclesiae, altaria, vasa sacra, lis res sa-
 quin et oratoria priuata, quorum vsus saecu- cras, san-
 lo VIII. et IX. inualescere coeperat, quamuis ctae, re-
 deinde in synodis quam plurimis damnatus. ligiosae?

ZIEGL. *not. ad Lancellot. Inst. iur. can. Lib. II. tit. XVIII. §. II.* DN. BOEHMER. *dissert. de sacris legatorum priuatis.* Eaedem res illis etiam SANCTAE erant, quippe inuiolabiles, et aduersus omnem iniuriam sanctione seuera munitae, et a profanis vsibus secretae, CAPIT. *Lib. I. §. XXXI.* et iure asyli donatae. *) RELIGIOSAE denique non modo sepulcra, quippe in locis sacris et religiosis quaerenda, partim quod ibi animae minus vexari spiritibus immundis, partim quod sanctorum commendari patrociniis crederentur, ceu plane ex mente pontificiorum loquitur LANCELOT. *Inst. iur. can. Lib. II. tit. XXIV. §. I.* verum etiam xenodochia, orphanotrophia, ptocho- trophea, nosocomia, gerontocomia, et similia. LEX LANGOB. *Lib. I. tit. II. §. IX.* CAPITVL. *Libro VI. n. CVII.*

*) De origine, progressu, et insigni abusu iuris asyli ex instituto egerunt plures, inter quos praecipue consulendi SELDEN. *de iur. nat. et gent. Lib. IV. Cap. II.* GEORG. RITTERSH. PETR. SARPIVS et OSIAN- DER *de iure asyli, HOSPINIAN. de Templ. Lib. I. Cap.*

ult. Attamen non omnes statim gentes ius hoc asyli videntur admisisse. Saltim in LEGE SAX. tit. III. §. IV. seq. legimus: *Qui hominem propter factam in propria domo occiderit, capite puniatur. Capitis damnatus nusquam habeat pacem: si in ecclesia confugerit, reddetur.* Sed haec vel ad specialem casum pertinent, vel ad tempus apud Saxones valuerunt. Postea enim per vniuersam Germaniam valuit illud ius asyli, quoad ecclesiae Romanae sua vbique constitit auctoritas.

§. VII.

Quae
commu-
nes?

Enimuero quum hic nihil singulare habuerint Germani, ipsaque iura rerum sacrarum ac religiosarum illis non alia fuerint, ac quae inculcat ius canonicum, et quae reliquae etiam gentes Christianae receperant: iis non immorabimur, sed quaedam tantum adiiciemus de rebus HVMANI IVRIS, quae apud Romanos in COMMUNES, PUBLICAS, VNIVERSITATIS et SINGVLORVM diuidebantur. COMMUNES Germanis etiam fuisse aerem et aquam profluentem, nemo negauerit: LEX LANG. *Lib. I. tit. XIX. §. XII.* quamuis et *ius venti* intra tractum suum sibi vindicasse principes, ex ANT. MATTH. *not. ad Chron. Egmond. Cap. LXVIII.* et SCHREVELII *Harlemo Lib. IV. pag. 181.* discamus: an mare quoque et littora maris, communia putarint, non aequè expeditum est. *)

*) Maris saltim septentrionalis dominium adfessasse videntur variae gentes Germanicae, quae illud passim classibus suis occupabant, et non modo piraticam faciebant, et in littoribus sacra profanaque diripiebant, verum etiam alios vsu maris prohibebant. In Germania antiqua classibus valuisse Suionas,

Snionas, scribit TACIT. *de mor. Germ. Cap. XLIV.* ubi et eorum naues describit. De Saxonum potentia nautica SIDON. APOLLINARIS *Lib. VIII. Epist. VI. et IX.* Sed et de Francis EVMENIVS *in panegy. Constantino Caes. dicto, nihil clausum esse ait Francis, quo nauigijs pateat accessus.* Quantum mari a saeculo nono dominati sint Normanni, et quantum sui formidinem per vniuersam paene Europam circumtulerint, ex historia eorum temporum notissimum est.

§. VIII

Certius est, plerasque res, quas PVBLICAS Quae vocabant Romani, Germanos nostros vel publicae? principibus, vel reipublicae, attribuisse, ita, vt vsus non pateret singulis, nisi quibus eum concessissent principes, iue, qui praecerant reipublicae. Id sane verum esse de fluminibus, portibus, iisque omnibus, quae *ἀδίστοτα* vocari solent, facile probatur. Reges, sane Francorum *) sibi vindicabant ius piscandi in fluminibus, idque *suam forestem* vocabant, (vid. *charta Childeberti apud CAR. DV FRESNE sub voce Foreste p. 486.*) siluas maiores feu forestas, (CAPITVL. REG. FRANC. *Lib. IV. Cap. XLII.*) metallifodinas, (vid. *charta diuisionis a Ludouico Pio anno DCCCXVII. factae apud BALVZ. Tom. I. Capitul. p. 375.*) quin et ipsos thesauros. CAPITVLAR. III. *ann. DCCLXXXIX. in adpend.* COD. CAROLIN. *Epist. DLXI. apud DV CHESNE Tom. IV.*

*) Eadem iura et reliquos Germanicarum gentium reges et principes sibi adrogasse, nouimus. De fluminibus eorumque incrementis vid. HERT. *de superior. territ. §. XLVII. de siluis §. XLVIII. de metallifodinis §. XLVI. de thesauris §. XLV. ubi*

erudite ex antiquitatibus Germanicis demonstrat, has res omnes sibi vindicasse principes, et hinc ea iuribus maiestatis vel regalibus a plerisque iuris publici scriptoribus accenseri. Flumina tamen maiora LEX WISIGOTHICA Lib. VIII. tit. IV. §. XXIX. integra ab villo piscando occupari contra communem utilitatem, vetat.

§. IX.

Quae vniuersitatis? Res VNIVERSITATVM etiam habuisse Germanos, certissimum videtur. Habuere enim comitatus vicique sua praetoria, mallos, curias, fora, quamuis contra stadiis, theatris, aliisque huiusmodi aedificiis publicis aequo animo caruerint. Accesserunt postea, quum vrbes exstruerentur, cauponae publicae, aquaeductus, balnea, triclinia publica: *hochzeit- und tanz-häuser*. Singuli quoque pagi hodiernum habent sua paucua communia, filuas communes, similiaque, quae ad totam vniuersitatem pertinent. Id vero notatu dignum, agrum ipsum antiquissimis temporibus non singulorum, sed totius alicuius vniuersitatis fuisse videri, eumque deinde publice quotannis diuidi consueuisse, non singulis, sed totis familiis. Id sane colligimus ex CAES. *de bello Gall. Lib. VI. Cap. XXII.* et TACIT. *de mor. Germ. Cap. XXVI.* quamuis ista loca paullo obscuriora sint, et Oedipum adhuc desiderent haec aenigmata. *)

*) CAESAR rem ita describit: *Agriculturae non student, maiorque pars victus eorum lacte et caseo et carne consistit, neque quisquam agrum modum certum aut fines proprios habet, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui*

qui una coierunt, quantum eis, et quo loco visum est, attribuant agri, atque anno post alio transire cogunt. IDEM *Lib. IV. Cap. I. apud Sueuos priuati ut separati agri nihil fuisse*, scribit. Denique TACITVS: *Agri, inquit, pro numero cultorum ab vniuersis per vices, (plerique malunt vicos,) occupantur, mox inter se iuxta dignationem partiuntur, facilitatem partienti camporum spatia praestant. Arua per annos mutant, et superest ager.* Nos haec ita accipimus: Cuius vniuersitati, e. g. pago, erat ager communis: *Die gemeine Fluhr.* Illum magistratus quotannis distribuiebant secundum familias, ita tamen ut et dignitatis haberent rationem. et illustribus ac ingenuis plus, quam plebeiis, assignarent. Possessores illi, vertente anno, cedere cogebantur agro, aliumque accipere, quem magistratus attribuebat, forti fortassis ac fortunae rem comittens. *Sorzem*, sane partem agri multo post vocare solitos esse Gothos et Burgundos, ex eorum legibus satis constat. Quin et Vandalis, ipsisque Francis non ignotum fuisse hoc vocabulum, patet ex VICT. TVNVN. *de persecu. Vand. Lib. III.* et GREG. TVRON. *Lib. IV. bist. Cap. XLIX.*

§. X.

Enimvero ficuti illa agrorum communio Quae non multo post TACITI tempora paene desuisse singulari videtur: ita et agri, et pleraeque res aliae, rum? SINGVLORVM esse coeperunt: nec fieri potuit, gliscentibus paullatim opibus, quin plura occuparentur a potentioribus, quae antea ad totam vniuersitatem pertinuerant. Quin multa possidere coeperunt, quae maiores ignorarant, quo in primis referas hortos, vineas, *) et pomaria, quibus caruisse maiores nostros, testatur TACIT. *de mor. Germ. Cap. XXVI.*

*) *Vino caruisse Germanos, humore, ex bordeo aut frumento, in quamdam similitudinem vini corrupto, contentos, scribit TAC. de mor. Germ. Cap. XXII. addens tamen, proximos ripae et vinum mercatos. Quo ipso hi sese distinguebant a Neruiis et Sueuis, nihil ad se vini importari sinentibus, teste CAES. Lib. II. Cap. XV. et Lib. IV. Cap. II. In Gallia Probum Imp. vites feri permisisse, tradit VOPISCUS in Probo Cap. XVIII. At Germaniam magnam saeculo adhuc IX. nondum habuisse vineas, vel inde patet, quod Ludouico Germanico ob vini copiam assignarentur vrbes quaedam trans Rhenum, veluti Moguntia, Spira Nemetum, et Augusta Vangionum, ANNAL. BERTINIAN. ad ann. DECCXLIII.*

§. XI.

Res corporales, incorporeales, mobiles et immobiles. Non iam immorabimur alteri rerum diuisioni, quam nobis ius Romanum sufficit. Nam et Germanos distinxisse res CORPORALES et INCORPORALES, quas *iura et iustitias, gerechtigkeiten* adpellari in diplomatibus, videmus: et corporales porro diuisisse in MOBILES, (*fabrniß* vel *fabrende habe,*) et IMMOBILES, (*grundstücke,*) tam notum ac peruulgatum est, vt eas diuisiones vtramque paginam facere in legibus Germanicis, nemo ignoret.

§. XII.

Diuisio vere Germanica in proprias et fiscales. Potius progredimur ad primam ac praecipuam rerum diuisionem in PROPRIAS ET FISCALIS, *) quam ita pulcre explicat HIER. BIGNON *ad Marculf. Lib. I. Cap. II. p. 857. PROPRIETATE et FISCO duae notantur bonorum species, et velut maxima rerum diuisio, quae eo saeculo recepta erat, quod et ex Cap. XXXIII. (Marculfi) infra colligi potest. Omnia namque praedia*

dia aut PROPRIA erant, aut FISCALIA. PROPRIA seu proprietates dicebantur, quae nullius iuri obnoxia erant, sed optimo maximo iure possidebantur, ideoque ad heredes transibant. FISCALIA vero BENEFICIA sive FISCI vocabantur, quae a rege ut plurimum, posteaque ab aliis, ita concedebantur, ut certis legibus seruitiisque obnoxia cum vita accipientis finirentur.

*) Equidem CAR. DV FRESNE Glossar. Tom. II. p. 454. *Fiscus, feudum, beneficium, praesertim vetustioribus scriptoribus, quia in primaeua feudorum institutione principes terras fiscales seu patrimoniales fidelibus suis seu subditis concedebant in beneficium et feudum, idque ad vitam. Unde fisci nomen retinebant, quia non omnino alienatae erant, sed censebantur esse de dominio donatoris et feofatoris. Sed in eo fallitur vir doctissimus, quod fiscos, ut vocabant, tantum in feudum datos existimat, quum et terras Salicas fisci fuisse, vel saltim a fisco esse profectas, ex iis, quae §. XIV. monebimus, satis superque intelligatur. Fisci huiusmodi villae de MVNERE REGIO possessae dicuntur apud MARCVLF. form. Lib. I. cap. XII. et XXXIII.*

§. XIII.

Rursus PROPRIVM, (ita pergit BIGNONIVS,) Propria seu PROPRIETAS duplex. Alia quippe ALODE seu hereditas, proprium paternum aut maternum, erat. Alia non a parentibus accepta, sed labore et parsimonia cuiusque comparata, EX COMPARATO aut EX CONQUISITV dicebatur. Sed postea et res comparatas ALODII nomine vocaberunt, eoque peruentum, ut allodia liberi iuris praedia, quae nec fidem, nec pensitationem haberent, generaliter dicta sint, ad feudi differentiam, quo sensu alodii vocabulum adhuc

hodie iure nostro vsurpatur. Similia habent idem BIGNON. ad Marculfi Libr. I. Cap. XIII. pag. 895. et SIRMOND. not. ad capitular. tit. VII. pag. 761.

*) Multis veterum testimoniis haec probat HIER. BIGNON. *p. 875. et p. 895.* Nos iam addimus quaedam loca ex CAPITVL. *Caroli Calui Tit. XXXII. p. 145. et 147. apud BALVZ. Tom. II. vbi horum omnium bonorum fit mentio: Vt missi nostri eis ALODES illorum, quos de HEREDITATE, et de tali CONQVISITV, qui de NOSTRA DONATIONE non venit, habuerunt, reddant. Et paullo post: et sicut praescriptum est, ALODES illorum de HEREDITATE, et DE CONQVISITV, quod tamen de DONATIONE sua non venit, eis concedit. Conf. M. ANT. DE DOMINCY de praerogat. allod. Cap. X. p. 65. sequ. STRVV. de allod. Imperii §. II. III.*

§. XIV.

Fiscalium alicuius feudales, aliae Salicae.

Neque tamen omnia bona FISCALIA erant feudalia; sed in BENEFICIA et BONA SALICA distinguebantur. Illa et HONORES dicta; CAPIT. *Lib. IV. §. XXX. Lib. III. §. LXXI. CAPITVL. Caroli Calui tit. XXXII.* eaque cum fidelitate et seruitiis, in primis militaribus, coniuncta fuisse, nouimus. Haec inter feudum et alodium veluti media, nec ad seruitia militaria, nec ad fidem clientelarem, possessores obstringebant, attamen et ipsa a beneficio principum proficiscebantur, et ad solos masculos transmittabantur ex LEGE SALICA *tit. LXII. §. VI. *)* Conf. DOMINCY *de praerog. allod. Cap. VII. §. IV. sequ. p. 43. STRVV. de allod. imp. §. VII.*

*) Ex quo facile patet, non omnino ac rem tetigisse ECCARDVM *ad Leg. Sal. p. 107.* dum terram Salicam non

non aliam fuisse putat, quam quae ad salam, vel domum curtis praecipuam, pertineret. Ita enim vix ratio reddi potest idonea, cur a successione in terram Salicam filiae exclusae sint, nec satis probabiles sunt illae, quas reddit ipse ECCARDVS, quod nimirum, qui aedes paternas receperint, debuerint etiam habere, unde eas sustentarent: quod seruitiorum militarium onus non filiabus, sed filiis, incubuerit: et filiae praeterea, quum per matrimonia in alienas familias deferrentur, ibi, unde viuerent, inuenerint. Prima enim ratio non satis urget, quum et hodie domos paternas saepe quis adquirat sine terris salicis, et eae tamen ideo non facile corruant. Altera non tam ad terram Salicam, quam ad feudalem, pertinet: tertia iusto plus probat, nempe filias ne proprietatis quidem vllam partem consequi debuisse, sed exfortes esse potuisse hereditatis paternae. Quod tamen nemo dixerit.

§. XV.

Nullum est dubium, quin et postea hae Eaedem rerum diuisiones Germanis diutissime in vsu fuerint. *) Hinc saeculo adhuc XIII. saepe diuisiones et post distinguuntur PROPRIETATES et FEVDA, illae Franco- bina exempla adferre iuuabit, chartam Phirum lippi Comitis Flandriae ann. MCLXXX. apud tempora vsu seruatae, MIRAEVM *dipl. Belg. Lib. II. Cap. LVI. p. 285.* et alteram Theoderici, Thuringiae Landgrauii et Orientalis et Lusatiae marchionis, ann. MCCXCIX. apud illustr. a LVDEWIG. *Reliqu. MSS. Tom. I. p. 209. sequ.* Similiter Fulquinus quidam, circa annum DCCCL. monasterio Gemblacensi donans IVRIS SVI PRAEDIVM, in pago Bravibant, in loco, qui dicitur Dorp, addit, se donare rem exquisitam et inexquisitam, totum et ad integrum, et quod tam de ALLODIO, quam

quam de COMPARATO, seu de quolibet ATTRACTV, ad se ibidem dignoscatur peruenisse. MIRAEVS dipl. Belg. Lib. I. Cap. XIX. p. 141. Denique diuisionis feudorum et terrae Salicae exempla ex hoc aetio iam supra nos dare, meminimus. (Lib. I. §. CCCCXXII. *)

*) Huc etiam merito referas, quae iure Saxonico, Alamannico, nec non statutis cum aliis, tum maxime Lubecensibus et Hamburgensibus, passim dicuntur *vom eigen vnd leben; erbe vnd errungenen vel wohlgeuonnen Gütern*. Inter quae ratione alienationum, successionum, et iuris retrahendi non leue discrimen statuitur, de quo iam nonnulla ex his similibusque statutis differuit IAC. FRIDR. LVDOVICI *diff. de distinct. bonorum hereditar. et adq. uisitorum*.

§. XVI.

Axioma
ta quae
dam de
rerum
diuisionibus.

Enimuero, vti, quod de rebus *diuini iuris*, sacris, ecclesiasticis, religiosis, in Germania obtinet, ex alio fere fonte, quam vetere iure Germanico, promanat: ita I. hodie quoque pleraque aedificia publica, quin II. ipsas quoque aedes priuatas quodammodo sanctione poenali munitas esse, animaduertimus. III. Res vero pleraeque *communes*, quatenus occupari ac possideri possunt, et *publicae* omnes iure Germanico etiamnum ad principem pertinent. *) IV. Rerum *uniuersitatis* conditio ex ipsa natura collegii fluit, ac proinde a iure Romano Germanicum hic vix discrepat. Contra V. veteris diuisionis in res *proprias* vel *allodiales* et *fiscales*, *hereditarias* et *adquisitas*, *feuda* et *allodia auita*, (*altväterliche*

liche Stamm-Güter) vestigia non pauca, eaque expressissima, supersunt.

- *) Quum enim principibus assignandae essent res, vnde ipsi cum familiis viuerent: consultissimum visum est, ea concedere, quae communia vel publica essent, ne singuli eo onere premerentur. Eleganter GROT. *de iure belli et pac. Lib. II. Cap. VIII. §. V.* *Germaniae autem populi, quum principibus ac regibus quaedam essent assignanda, vnde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimauerunt ab illis rebus incipiendum, quae sine damno cuiusquam tribui possint, cuiusmodi sunt res omnes, quae in dominium nullius peruenerunt. Quo iure vsos et Aegyptios video. Nam et ibi regum procurator, quem ἰδιον λόγον vocabant, vindicabat res eius generis. Vbi, quae de simili Aegyptiorum instituto refert, auctoritate STRABONIS Lib. XVII. p. 797. nituntur.*

§. XVII.

Quandoquidem itaque pleraque aedificia publica sanctione poenali munita esse videmus: (§. XVI, 1.) facile explicare licebit, cur 1) principum palatia ita sancta habeantur, vt nec principes ipsos, nec 2) eos, qui ex illorum familia sunt, iniuria aliqua adficere, RITTERSH. *de iure asyl. Cap. III. n. 23.* nec 3) imagines aliasque res, ibi repertas, dolo malo vel culpa corrumpere, STRYK. *de sanctis. resident. Cap. III. n. 14.* nec 4) alios ibi adgredi, aut vlli mortalium vim facere, aut gladium saltim stringere, vel manum verberandi causa tollere liceat, nisi vt vis iniusta repellatur. RICHT. *Part. V. Consil. XX.* 5) Cur in plerisque principum palatiis publice pendeat tabula, cum manu et securi, vel alio signo,

Sancta
habentur
palatia
principum.

quod vocatur *der Burgfriede*. *) MYLER, *de stat. Imp. Part. II. Cap. LII. §. I.* FRITSCH, *ad l. vn. C. de palat. et dom. domin. Cap. XII. n. III.*

*) Quamvis enim et sine huiusmodi signo proposito sancta sint principum palatia, MYLER *ibid. §. V.* quum recte ostenderit STRYK. *ibid. cap. II. n. 4. sequ.* sanctimoniae istius fundamentum non aliud esse, quam ipsam Principis sanctimoniam: plerumque tamen signa huiusmodi *verberum* adfigi solent in ipso atrio vel propylaeo, ne imprudenciores in legem, tamquam in laqueum, incidant. SPEIDEL. *voce Burgfried.* In muro palatii Caesarei Viennae depicta est manus, strictum vibrans gladium, cum verbis: *Der Römischen Kayserl. Majestät Befehl, und ernstliche Meinung ist, welcher in diesem Gezirck der Röm. Käyserl. Burg und Freyung mit Zanken und Schlagen verfährt, der wird mit Vngnad an Leib und Leben schwer gestraffet werden.* PFEFFING. *ad Vitriar. Lib. III. Cap. XVII. §. 76. p. 1251. Tom. III.* Aibi sola adscribuntur verba: *Fürstlicher Sächst. Bürgfriede.*

§. XVIII.

Hinc et immunitas eorum et ius asyli. Eodem pertinet, 6) quod Principum palatia ubique immunita habentur ab omni metatorum onere. TABOR. *de metat. Part. I. Cap. VII. n. X.* 7) Quod ibi ius asyli obtinet, ac proinde neminem inde vi extrahere licet sine iniuria principis. MAGER. *de Aduoc. arm. Cap. XV. n. LXXXVII. sequ.* FRITSCH. *ibid. Cap. XII. n. 10.* MYLER. *ibid. Cap. VI. §. XXIX.* 8) Quod simile sibi ius vindicarunt Regum Principumque primi ordinis legati, in exterorum principum aulis commorantes. Qua de re inter Innocentium Papam XI. et Lauerdinum acriter disceptatum esse, nemo ignorat.

rat. *) KVLPIſ de Legat. Stat. imper. Cap. XIX.
 §. III. HAHN. de Legation. §. CXXXIX. ſequ.
 WICQVEF. P. Ambaſſadeur. P. I. Sect. XXVIII.

*) Vocabatur *ius quarteriorum* vel *franchiſarum*, id-
 que in eo conſiſtere volebat Lauardinus, quod
 non modo iuriſdictionem in familiam exercere
 poſſent legati, verum etiam iure aſyli gauderent
 eorum palatia, quin et vici, quos habitarent, ad-
 eo vt adapitatores et viatores magiſtratum, (*die*
Spirren,) neq̄ quemquam ibi prehendere; nec eo
 venire poſſent. De lite iſta, quam in neruum
 erupiſſe nouimus, accurate egerunt THOMAS
diſſert. de iure aſyli legatorum aedibus non compe-
zente, et v. A. CORN. VAN BYNKERSH. de foro le-
gat. Cap. XX. ſequ. Opuſc. min. p. 550.

§. XIX.

Hinc etiam ſunt 9) acriores poenae, quae Poenae
 iis, qui intra principum palatia deliquere-
 runt, ſolent irrogari, veluti 10) quod, qui eorum,
 vel gladium duntaxat ſtrinſerint, vel manum qui pala-
 ad verberandum ſuſtulerint, manu truncati tia haec
 in perpetuum, vel ad tempus relegantur: violant.
 CARRZ. *prax. crim. Lib. I. qu. XL. n. 33. ſequ.*
 11) quod furta etiam minus atrociam, in prin-
 cipum palatiis admiſſa, fracta laqueo gula ex-
 piantur. STRYK. *de reſident. princip. Cap. IV.*
n. 24. ſequ. 12) quod denique et in eos, qui
 fenestras palatii dolo malo confregerunt, vel
 qui ſupellectilem ibi repertam corruperunt,
 huiusmodi exempla facta eſſe, legimus. 10.
 CHANVT. *adpend. ad Papon. Lib. XXIII. tit.*
VI. arreſt. I. n. 2.

§. XX.

§. XX.

Sancti-
monia
aliorum
aedifi-
ciorum
publico-
rum.

Quumque omnium fere aedificiorum publicorum similis in Germania sanctimonia esse existimetur: (§. XVI, 1.) facile reddideris rationem, 3) cur simile ius passim obtineat in dicasteriis, *) 14) ecclesiis, 15) coemeteriis, 16) curiis, 17) foris, 18) cauponis, 19) macellis, vbi caro venditur, 20) vel merces publice expendantur, 21) in portibus et littoribus, quin et in molis, vineis, pomariis quibusdam. DATT. *de Pace publ. Lib. I. Cap. VI.* Saltim ita cautum IVRE LVBEC. *Lib. IV. tit. XV. art. II.* *Verbricht einer vor dem Rath, oder dem Gerichte, mit Worten vnd Wercken, desgleichen in der Kirchen, vnd Kirchköffen, auf dem Rath-Hause, Gericht-Buden, in der Marckt-Zeit, Weinkeller, Marckt, Fleisch-Schrangen, Waagen, auf dem Stade bey der Traven, der soll nach Gelegenheit der Verbrechung mit mehrer Straff, dann sonst gebräuchlichen, belegt werden. Dann diese Oerter haben BVRGFRIEDEN.*

- *) Vrsit hoc vel maxime Matthias Imp. quum Ordines Boemiae quosdam in arce Pragensi ex fenestris proiecissent, weil solches, wieder dieselbe in Dero Prager Schloß vnd Königlicher Residenz, in der Böhmischen Cantzley, wo die größte Sicherheit vnd Respect seyn soll, fürgenommen worden, itemque, weil die Stände in Dero Prager Schloß vnd Königlicher Residentz, in der Böhmischen Cantzley, vnd zwar in der Ratbs-Stuben, als an einem vornehmsten Ort, dahin aller recurs, so wohl in Iusticien- als des gantzen Landes angelegenen Sachen ist, auch billig daselbst der größte Respect gehalten werden; vnd iederman vor Gewalt gesichert seyn soll, mit gewapneter Hand kommen, allda zween aus dero Stadthaltern,

*halten, und einen Secretarium, ohne alle vorgeben-
de Anklag und verböhr, gewaltthätiger Weise ange-
fallen, auch zum Fenster hinaus in die Tieffe des
Schloß-Grabens gestürztet. Vid. GEORG. RITTERS-
HVS. de Iur. asylor. Cap. III. n. 22.*

§. XXI.

Multo magis ergo 22) ipsae vrbes, non mo- Et vrbi-
do intra moenia, sed et extra illa, intra agrum um ea-
suburbanum, gaudebant iure asyli, quod vo- rumque
cabatur *der Weichfriede*, (Lib. I. §. CXIII, *) territo-
BEYER. *de violat. securit. domest.* §. XXI. quam- riorum.
uis 23) ea pax hodie, sancita pace publica,
non maioris momenti sit, quam 24) priuile-
gia, quae ciues ad singularia certamina auo-
cari prohibebant, qualia olim data esse legi-
mus Noribergensibus, WAGENSFIL. *de Ciuit.*
Norib. Cap. XXVII. pag. 253. Viennensibus,
LAMBECC. *de Biblioth. Vindeb. Lib. II. Cap. V.*
p. 81. Fridbergensibus et Gelenhusanis, LV-
NIG. *Part. Spec. Cont. IV. tit. Friedb. p. 729. et*
tit. Gehb. p. 787. immo et Francofurtensibus,
Tremoniensibus et aliis, de quibus idem LV-
NIGIVS *p. 561. 442. sequ.*

§. XXII.

Quum vero et aedes priuatae quodammo- Nec non
do sanctae Germanis viderentur: *) (§. XVI, aedium
2.) non obscurum erit, 25) quid in legibus priuata-
Germanicis sibi velit vocabulum PACIS DO- rum.
MESTICAE, *des hauß-friedens.* BEYER. *diss. de*
viol. secur. domest. §. XXII. et XXVII. 26) Cur
eam violasse dicantur, qui aedes alterius op-
pugnarunt, vi introierunt, dominum vel in-
quilinum

quilinum verberarunt vel yulnerarunt, intra eius parietes, (*binnen seinen vier pfählen,*) 27) Cur ea violatio securitatis domesticæ capitalis sit Coloniae, STATVT. COLON. art. LXXXIV. et LXXXVIII. Vltraiecti, VOET. ad §. 8. *Inst. de publ. iud. n. 1.* Lubacæ, IVR. LVBECK Lib. IV. tit. VIII. art. V. 28) alibi relegatione perpetua digna videatur, vti Hamburghi, IVS HAMB. Part. IV. art. LI. §. ult. alibi veluti Susati, Spiræ, et in Ruffringia, grauiore mulcta puniatur. ESBACH ad Carpz. P. IV. Const. XIII. def. IV. LEHMANN. Chron. Spir. Lib. IV. Cap. XVI. n. XXXVI. GRYPHIAND. de Weichb. Sax. Cap. LXXXVI. n. X.

- *) Iure etiam Romano domibus tribuebatur sanctitas, sed ob religionem Deorum penatium. CIC. *pro Domo Cap. XLI.* Vid. *Antiqu. Rom. Lib. IV. tit. VI. §. XVI. Tom. II.* Vnde neminem domo suo extrahere et in ius vocare licebat, l. 21. ff. de in ius voc. l. 4. §. 5. ff. de damn. infect. l. 103. ff. de regulis iuris. Et atrociore iniuria videbatur adfectus, cuius domus vi introita esset l. 5. pr. §. 2. §. l. 23. ff. de iniur. Alia ratio erat Germanis, sanctiohe poenali muniendi aedes priuatorum, nimirum turbæ et bella priuata, sub quibus tota fere Germania medio æuo congemuit. Inde ortæ omnes sanctiones de pace publica, *Landfrieden*, canonica, *Gottes-frieden*, vrbana, *Weichfrieden*, aedificiorum publicorum, *Burgfrieden*, et priuatorum, *Hausfrieden*. Ceterum initio vrbes quasdam potentiores huiusmodi praesidium circumposuisse ciuium suorum aedibus; postea vero id exemplum imitatas esse alias, quæ *αυτονομία* gaudebant, coniiicit BEYERVS de *violat. securit. domest.* §. XXIV. sequ.

§. XXIII.

Res *communes*, quatenus occupari et possi- Res
 deri possunt, et *publicas* omnes iure Germa- commu-
 nico ad principem et hodie pertinere, (§. nes et
 XVI, 3.) argumento est 29) ius concedendi publicae
 vsu venti molis pneumaticis, et aquam fere ad
 aquaticis: SCHILT. *Inst. iur. publ. Lib. II. tit. I.* prin-
 §. IX. HERT. *de superiorit. territor. §. XLVII.* pes per-
 30) ius, ex aqua profluente colligendi aurum, tinent,
 MARQV. FREH. *orig. Palat. Lib. II. Cap. XVII.*
 31) ius vindicandi nouas insulas, GRYPHIAND.
de insul. Cap. XI. n. 61. 32) alueos derelictos,
 GRYPH. *ibid. n. 45.* GROT. *de iure bell. et pac. Lib.*
II. Cap. VIII. §. IX. 33) alluuiiones, GRYPHIAND.
ibid. n. IX. STYPM. *de iure marit. Part. II. Cap.*
V. n. L. sequ. 34) metalla, mineralia, salinas,
 HERT. *de super. territ. §. XLV. sequ.* 35) gem-
 mas, et alia a mari eiecta, vnde et 36) ius col-
 ligendi bona naufragorum nē hodie quidem
 vbiq̄ue plane exoleuit. HERT. *ibid. §. LVI. p.*
*323. sequ. **)

*) Vbi post SCHOTTEL. *Cap. XX.* erudite docet HERTIVS
 p. 314. *sequ.* id ius in Germania non modo circa littora
 maris, verum etiam circa ripas fluminum nauiga-
 bilium exercuisse principes, et quidem non modo
 ante *authent. Nauigia C. de furt.* sed et multo post
 illa tempora, adeo vt adhuc saeculo XVI. ERASMVVS
de instit. princ. Christ. p. 178. effuderit hanc quere-
 lam: *At hodie quibusdam in locis, quidquid quo-*
sunque modo perit in mari, id veluti suum occu-
pat praefectus, ipso mari immitior: nam quod tem-
pestas reliquum fecit miseris, id ille, veluti altera tem-
pestas, eripit. Ex quo intelligi poterit, cur no-
 na sanctione opus esse visum sit CAROLO V. in *const.*
crim. art. CCXVIII.

§. XXIV.

§. XXIV.

Iura re-
rum vni-
uersita-
tis in
Germa-
nia.

Cur circa res vniuersitatum non ad-
eo discrepet a iure Romano Germanicum,
in promptu caussa est, quia nimirum earum
conditio ex ipsa collegiorum natura et in-
dole fluit. (§. XVI, 4.) Cui addere licebit et
alteram, quod vniuersitatum regimen, quale
in ciuitatibus, et corporibus opificum, occur-
rit, Germani ab Italis, hi a Romanis acce-
pisse videntur. Vid. *diff. de colleg. et corp.
opific. Cap. II.* Ceterum pauca tantum addo,
veluti 37) in pagis rusticos non modo com-
muniter pro indiuiso vti rebus vniuersitatis,
veluti pascuis communibus, verum etiam
38) pro diuiso, veluti siluis communibus,
eoque 39) pertinere diuisiones rerum com-
munium, quas vocant *Kabeln.* 40) Prisci
istius moris agros toti vniuersitati relinquen-
di (§. IX. *) vestigium hodie quoque super-
esse in inuestituris immobilium allodialium, *)
de quibus DECHERVS *dissert. sing.* et BEYER.
spec. iur. Germ. Lib. I. Cap. XIX.

*) Antiquissima, et hodie quoque frequentissima est il-
la immobilium agrorum aequae ac domorum inue-
stitura, quam ante receptum ius Saxonicum in vni-
uersa Germanja viguisse, recte colligas ex IURE
PROV. SAX. *Lib. I. Art. VIII. et LII. Lib. II. art.
XXIV.* WEICHB. *Art. XX. LX. sequ.* IUR. PROV.
SVEV. *Cap. CCCVIII. et CCCXI.* Veram quoque
esse hanc inuestituram, non nudam confirmatio-
nem iudicis, recte vidit BEYERVS *ibid. §. X.* qui et-
iam §. XIII. *sequ.* obseruat, inuestituram eam non
dare iudicem, sed magistratum. Ex quo recte
colligere mihi videor, morem hunc non ex feruili
municipum conditione repetendum esse, ceu sibi per-

persuasisse videtur BEYERVS *ibid.* §. XX. *sequ.* sed ex dominio illo vniuersitatis in agrum vniuersum, ex quo collegerunt, vniuersitati, eamque repraesentanti magistratui dominium directum in fundos omnes competere, adeoque novos possessores obstrictos esse ad petendam inuestituram.

§. XXV.

Diuisionis rerum PROPRIARVM, seu ALLO-Diuisio
DIALIUM, et FEVDALIVM, hodiernum vsum esse rerum in
quotidianum, docet experientia. Eam vero allodia-
doctrinam, tot voluminibus explicatam hic les et
enarrare, et superuacuum, et ab instituti no- feuda-
stri ratione alienissimum videretur. Itaque les.
magis facturi nobis videbimur operae pretium,
si reliquarum diuisionum in bona HEREDITA-
RIA et ADQVISITA, nec non in FEVDA et ALLO-
DIA AVITA vsum, hodie superstitem, paucis
ostenderimus.

§. XXVI.

Ad priorem quod attinet diuisionem, de In here-
ea anno MDCCXIV. singularem dissertationem ditarias
scripsit IAC. FRID. LVDOVICI, in qua §. III. *sequ.* et adqui-
ostendit, 41) HEREDITARIA bona IVRE HAMB. fitas.
Part. III. tit. I. art. VII. et LVBE. *Lib. I. tit. X.*
Art. VI. dici, quaecumque iure hereditario
sive ab ascendentibus, sive a descendantibus,
sive a collateralibus, *) ad aliquem peruene-
runt, 42) iure MVNIC. LVNEB. *part. VI. tit. fin.*
quae a patre vel maioribus; denique 43) ex
CONSTIT. D. Augusti, *Elect. Sax. Part. II. Const.*
XII. quaecumque saltim ab auo profecta sint:
44) ADQVISITA autem dici reliqua omnia,
quae non sint hereditaria, IVR. LVB. *Lib. I. tit.*

X. *Art. VI.* veluti donata, labore et arte par-
ta, et quae quis ex ipsis hereditariis bonis
comparat. *IVS HAMB. Part. III. tit. I. §. VII.*
et IX. Vnde et alibi vocantur *die errungen-*
schaftt. 45) Hanc diuisionem fere tantum
ad fundos seu immobilia pertinere. *LVDOV.*
ibid. §. XVIII. sequ.

*) Non ergo, quae coniux coniugi dedit, quia con-
iuges nec parentum, nec cognatorum nomine ve-
niunt. Id quod iure Lubecensi et Luneburgensi
dubio caret. Attamen *IVS HAMB. Part. III. tit. I.*
art. VIII. bonis hereditariis adnumerat etiam,
was von demjenigen, so einem manne von wegen
der frauen, vnd der frauen wegen des mannes von
erbgut. mitgegeben, oder bey ihrer beyder leben mit
angeerbet wird, vnd was nach absterben des einen
ehegatten bey dem überlebenden verbleibet. *LVDOVICI*
ibid. §. XIII.

§. XXVII.

Eius ef-
fecta.

Ad effectus huius diuisionis superfites re-
ferimus, 46) quod iure Saxonico bonorum
hereditariorum alienatio illicita olim esset,
nisi ea consentientibus heredibus fieret. *IVS*
PRÖV. SAX. Lib. I. Art. LII. Quod quidem
ius hodie admodum restrictum, ac paene vsu
sublatum est, saluo tamen plerisque locis iu-
re retractus. *STRYK. de success. ab int. Diss. VI.*
Cap. I. §. XXIII. Nec aliunde est, 47) quod
quum acquisita alienari vbique possint, de he-
reditariis alicubi nemo sine heredum consensu
vel testamento disponere, vel 48) illa inter vi-
uos alienare possit. *IVS LVB. Lib. I. tit. X.*
Art. VI. HAMB. Part. III. tit. I. art. IV. et Part.
II.

It. tit. VIII. §. III. STAT LVNEB. Art. X.
 Quamvis 49) non desint variae exceptiones,
 quas diligenter exposuit LVDOVICI *ibid.* §.
LVIII. sequ.

§. XXVIII.

Denique et auctorum bonorum, ad fami-
 lias illustres pertinentium, qualia olim et ter-
 rae Salicae erant, vestigia hodie quoque su-
 peresse, (§. XVI, 5.) nemo negabit, qui 50) Natura
allodio-
rum aui-
torum
illustri-
um.
 considerauerit naturam allodiorum, quae pas-
 sim et ordines imperii, (ceu erudite docuit
 STRVV. *de allod. imp.* §. X. *sequ.*) et nobiles in
 Germania possident: siquidem 51) et ius pri-
 mogeniturae illa adfcit, MAVRIT. *consil. Ki-
 lon. I. adp. n. 65.* TIRAQV. *de iure primog. Part.*
IV. n. 31. et 52) filiae illustrium, superstitibus
 masculis, in illa non succedunt, STRVV. *ibid.* §.
LV. quamvis 53) is effectus, inuectis iuribus
 peregrinis, potius filiarum illustrium renun-
 ciationibus, quam ipsi naturae horum bono-
 rum, tribui vulgo soleat.

§. XXIX.

Ceterum de allodiis his 54) id quoque no-
 tatu dignum est, quod quemadmodum olim, An iis
priuen-
tur, qui
deliquere-
rint?
 qui feloniam, quin et aliud crimen atrocius,
 admiserant, feudis tantum, non item allo-
 diis priuabantur, vti luculenter probari
 potest exemplis Sunegifili et Gallomanni,
 apud GREG. TVR. *hif. Lib. IX. Cap. XXXVIII.*

nec non, Henrici Leonis apud A. R. N. LVB. *Chron. Slav. Lib. II. Cap. XXXVI.* ALBERIC. *ad ann. MCXCIII.* contra 55) ob crimen laesae maiestatis et allodia huiusmodi in fiscum redigebantur: LEX BAVVAR. *tit. II. Cap. I. §. III.* MABILL. *de rè dipl. Lib. VI. n. LIX:* ita 56) idem hodie quoque obtineat, et generatim proscripti bonis omnibus, allodialibus aequè ac feudalibus, priventur, siue coniuratione aduersus remp. siue crimine fractae pacis, eam animaduersionem commeruissent. ORD. WORM. *ann. MDXXI. tit. II.*



TIT. II.

DE DOMINIO, EIVSQVE DIVERSIS GENERIBVS.

§. XXX.

VTi iure Romano ius circa res vel **REM** Ius vel **IPSAM** adficere, vel **PERSONAM** deuin- in re, vel ad rem.
 cire censetur: ita quin eadem differ-
 rentia iurium **IN RE** et **AD REM**, vel **IN REM** et
IN PERSONAM, iure etiam Germanico cognita
 fuerit, nemo, credo, dubitauerit. Et **IVRIS**
 quidem **IN RE** eadem species fuisse videntur,
 quae Romanis, puta **DOMINIUM**, **SERVITVS**, **IVS**
HEREDITARIUM ET **PIGNVS**.

§. XXXI.

DOMINIUM Germanis quoque praecipue erat Domini-
 ius in re corporali: attamen et res incorpo- um, Ger-
 rales seu iura cuiuscumque generis, siue cum manis et
 corporalibus coniuncta, siue seiuncta ab iis- in rebus
 dem, tamquam feuda vel allodia haberi po- incorpo-
 terant, nec tam subtiliter ea, quae in domi- ralis
 nio sunt, ab iis, quae in bonis sunt, vm- constitit.
 quam distinxerunt Germani, vti Romani.
 Hinc exstant exempla, quod principes ipsi et
 comites sola regalia in feudum acceperunt,
 terris iure allodii ad eos iam tum pertinenti-
 bus. *) **STRVV. de allod. Imp. §. XXXVIII.**
 De iuribus vero aequae, ac de rebus corporali-
 bus, utebantur phrasi: *in PROPRIUM tradere.*
 Vid. **HEDAM hist. Ultraiect. p. 95.**

- *) De Hohenzollerano Comitatu VLR. PREGIZERVS *im Teutscheu Regir- und Ehren-Spiegel* p. 27. *Das Schloß und Stamm-Hauß Hobenzollern neben dem darunt liegenden Land ist der alten Graffen und Fursten zu Hobenzollern rechtes freyes eigenthum, und tragen diese von dem Römischen Reich nichts zu Lehn, als den blat-bann, und eine gewisse steuer von dem Schultheissen - Ambt in der Reichs-Stadt zu Reutlingen.* Similia de Comitatu Solmensi tradit HERT. *de super. terris* §. LVIII. *sequ. de Saarwerdensi* 10. GOEDDEVS *Consil. Marp. Vol. IV. Conf. LVII. de dynastia Homburgensi* ITTER. *de feud. imp. Cap. V. p. 182.* Quin saepe ipsa regalia iura, tamquam allodia, possideri, pluribus exemplis ac testimoniis probarunt GOEDD. *Consil. Marp. Vol. IV. conf. XXXVII.* ITERVS *de feud. Imp. Cap. VIII. p. 424.* STRVV. *de allod. Imperii* §. XLVIII. Itaque et plenum et minus plenum dominium ex Germanorum sententia cadere poterat etiam in res incorporales, nec vllum discrimen agnouere Germani inter *veram et quasi traditionem, veram et quasi possessionem, verum et quasi dominium.*

§. XXXII.

Dominium
quid?
et quod
tuplex.

Itaque DOMINIVM Germanis fuit ius de re pro lubitu disponendi, omnem vtilitatem inde capiendi, aliosque vsu istius excludendi, quin et eandem ab alio quocumque vindicandi, nisi ea facultas vel lege, vel conuentione, restringeretur. *) Ex qua definitione patet, Germanis etiam dominium vel PLENVM, vel MINVS PLENVM, id est, lege vel conuentione inaequaliter inter duos diuisum, fuisse.

- *) Ita aliquando restrictam videmus facultatem dere disponendi, veluti in bonis mulierum, feudis bonis auitis: aliquando facultatem vtilitatem omnem inde capiendi, vti in bonis pupillorum, quorum

quorum tutelam legitimam plerumque fructuariam fuisse, supra vidimus: (*Lib. I. §. CCCLII. sequ.*) aliquando facultatem vsu rerum suarum alios excludendi, veluti in agris rusticorum, in quibus domino venari passim licet: (*Lib. I. §. LXXVII, 2.*) aliquando facultatem vindicandi res commodatas et depositas, quae in alterius possessionem peruenerint, vti Lubecae, Hamburgi, aliisque locis, in quibus obtinet paroemia iuris: *Hand muß band wahren*: de qua infra suo loco. Minime omnium tamen adimi potest ius, alios vsu rei excludendi. Quamuis enim plures quoque vti possint re vna: tamen plures vti re nequeunt eodem modo, nisi sit communis. Vnde huic effectum solum dominii essentiam ingredi, non inscite obseruat BEYER. *Spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. X. §. VI. p. 171.*

§. XXXIII.

Dominii MINVS PLENI species in Germania potiores sunt FEVDVM, ius vere Germanicum, CENSITICVM, quatenus cum inuestitura coniunctum est, et, quod vocabulum aliquando reliquas species omnes complectebatur, VSVMFRVCTVS. *) *Emphyteusin* enim gentes Germanicae originis ignorabant, nisi quod Langobardi et Wisigothi illam ex Romanorum legibus adsciuerant. LEX LANGOB. *Lib. III. tit. VIII. §. II.* LEX WISIG. *Lib. X. tit. I. §. XI.* SCHILT. *Exerc. XVI. §. LXXXIII.* Nec *superficie* ego quidem in antiquitatibus Germanicis vel volam vel vestigium deprehendi. **) Generatim vero, qui vtile dominium habebat apud maiores nostros, is VSVMFRVCTVM habere dicebatur, ceu obseruauit BEYER. *Spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. X.* SCHILT. *Exerc.*

XVI. §. XIX. XX. THOMAS. not. ad Inst. Lib.
II. tit. IV. p. 157.

*) Nimirum Romanis usufructus erat servitus, id est, ius in re aliena; Germanis dominium utile. Quod adeo verum est, ut et feudum *usufructum* nomine veniat: II. Feud. 23. fin. et usufructus, qualis in *præstaria* est, vocetur dominium, veluti in FORM. LINDENBROG. Cap. XXIII. Propterea has litteras in te adfirmavimus, ut, dum adjuvis, usualiter ipsam rem tenere, et DOMINARE debeas.

**) Nisi quis huc referendum putet exemplum Ludovici II. Thuringiae Landgravi, quem arcem Wartburgensem in monte ad Frankensteinos pertinentem aedificaturum terram, prope Schauenburgum clam effossam, eo avehendam curasse, ac deinde, se in terra sua aedificare, iurasse ferunt. Quamvis et hic plus iniuriae ac fraudis, quam iuris, deprehendamus, et ipsa historia non nisi a DRESSERO, BANGIO, BINHARTO. aliisque eiusdem farinae scriptoribus referatur, merito explosa a PAVLLIN. *Annal. Isenac. §. XIX. p. 15.*

§. XXXIV.

Bona censitica quoruplicia.

De FEVDO iam dicere nos non patitur instituti ratio. BONA CENSITICA *) duorum generum erant. *Aliis* enim censiti inuestiebantur: *alia* isti sine inuestitura possidebant, quamvis censum inde solvere tenerentur. CLOSSA ad IVS PROV. SAX. Lib. II. Art. XXI. Priore casu dominium directum erat penes dominum inuestientem, ceu docuerunt FRANZK. *de laudem. Cap. XI. §. LV.* et SCHULTER. *exerc. XVI. §. LXXXIV.* posteriore ipse censitus plenum dominium habebat rei, is, qui censum inde capiebat, iuris tantum, seu redditus annui dominio gaudebat. FRANZK. *ibid. Cap.*

Cap. XI. §. XXX. SCHILT. Exerc. XVI. §. LXXXV. Prionis generis fuisse videntur censiti, quos describit TACIT. *de morib. Germ.* Cap. XXV.

*) Loquimur de praediis censiticis: alioquin *census praestatio* non semper erat signum domini directi. Saepe enim census soluebatur etiam in signum protectionis, qualem monasterium S. Emmerani Ratisonense praestabat Pontifici Max, HVND. *metrop. Salisb. Tom. I. p. 149. et p. 157.* cuiusmodi exemptiona, plura collegit ill. BOEHMER: *diff. de vario cens. signif. et iure §. X. sequ.* Aliquando et in signum exemptionis census pendebatur: qualia exempla sunt apud eundem virum doctissimum §. XII. aliquando in signum subiectionis: *ibid. §. XIII. sequ.* quo et census advocatae referas, *ibid. §. XXI.* aliosque principibus, episcopis, nobilibus, patronis ecclesiarum, praestitos, de quibus *ib. §. XXIV. sequ.* Sed de his censibus omnibus in praesenti quaestionem non esse, facile vnusquisque animadvertit.

§. XXXV.

Inuestitura itaque colono censito dabat vti-
le dominium, quod siue in perpetuum, siue ^{laudem}
ad dies vitae, siue vsque ad domini reuoca-
tionem, renunciationemue coloni durabat.
IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art. LIX.* IVS PROV.
SVEV. *Cap. XLVIII. §. VI.* Hinc et laudem-
mum soluebat, IVR. PROV. SAX. *Lib. III. tit.*
LXXVII. quod LAVNECHILD, quasi *Lehn-Geld*
vocat in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit. I. §. VI.*
et iure gaudebat mutandi fundi faciem, nec,
canone non soluto, expelli poterat, vti emphy-
teuta, sed duplum in poenam praestare te-
nebatur in dies singulos, qui quidem est cen-
sus ille, quem doctores *promobilem*, iura

Germanica *den rutscher - zins* vocant, de quo IVS PROV. SAX: *Lib. I. Art. LIV.* et SPEC. SVEV. *Cap. LXXI.*

§. XXXVI.

Et quae sine inuestitura et laudemio possidentur. Posterioris generis census varias ob causas imponebantur praediis, veluti in signum iurisdictionis, vel quia in venditione eorum reseruat, vel denique, quia certa pecuniae summa emtus fuerat. Cuius generis sunt REDITVS ANNI, *renthen*, vel *jährliche gülden*, medio aevo tanto frequentiores, quanto magis sanctionum, foenebri malo a Pontificibus oppositarum, seueritas homines ad excogitanda huiusmodi *inueniata*, quibus legibus istis fraus fieret, reddebat ingeniosos. STRYK. *cautel. contr. sect. II. Cap. VIII. §. XIII. sequ.*

§. XXXVII.

Vsufri-
ctus iu-
ris Germ.
verum
domi-
nium
vtile. Latius patet VVSFRVCTVS vocabulum, quo plerumque omne dominium vtile a Germanis notabatur. In LEGE LANGOBARDICA *Lib. II. tit. XV. §. II.* ille vocatur LIDOLEIP, quasi *Leibe zu Leib*, quemadmodum et in SPEC. SVEV. *Cap. XLVIII.* iisque nominibus et precariae, ab ecclesiis concessae, et ius censiticum, et dotalitium, mulieri viduae constitutum, veniebant. Hunc vero non in seruitute aliqua, vti iure Romano, sed et in dominio vtii constituisse, vel inde patet, quod et inuestiri solerent vsufructuarii, IVR. PROV. SAX. *Lib. III, Art. LXXVII. Art. XXI. §. III.*

IVR. PROV. SVEV. *Cap. CXCVI.* et rem iure alienarent, nisi ea facultas illis pacto aliquo adempta esset. *) IVS PROV. SVEV. *Cap. XLIX. §. IV.*

*) Rem ergo alienare nefas erat, si contrarium pactum accessisset, quale tamen admodum frequens est in formulis MARCVLFI *Lib. II. Cap. V. VIII. et in adpend. Cap. XXVII. XLI. XLII.* qui talibus praestariis semper inseruit formulam: *Et aliubi res ipsas alienare pontificium non habeam: (vbi pontificium est potestas, quemadmodum apud GELL. Noct. Lib. I. Cap. XIII. et l. 1. C. Theod. de mat. bon. l. 3. C. Th. de fid. cath.)* De huiusmodi pacto SPECVLATOR SVEVVS, *Cap. XLIX. §. III. Haben aber die Laib* (ita ibi vocantur usufructuarii,) *ihr gut daran geben, vnd haben also gedingeret, daß er des guts ane ihrem Willen nicht an werd, oder hingeb. Habent si des gezeugen zween mann zu ihn, oder steht es an ihr hantvest, (in instrumento,) so mag er des guts nicht an werden an ihren Willen. Seinen laib, (vsufructum,) wird er wol an.* Pacto huiusmodi non adiecto, licita erat alienatio, sed saluo domino directo iure promissos, de quo §. sequ. IV. *Will er das gut, ane werden, er soll es dann dem herrn ee anbieten, ee andern Leuten, vnd will er als viel darum geben, als ein ander mann, so soll man ihm es geben. Will er des nicht, so gebe er sein recht, wem er will, vnd wem er es geit, der soll auch dem herrn zins geben.* Ex quibus patet, Germanis ignotam fuisse regulam iuris Romani: usufructuarium cedendo vsufructum alii, quam proprietario, nihil agere. §. 3. *Inst. de vsufr.*

§. XXXVIII.

Operae autem pretium fuerit, praecipuas huius vsufructus Germanici species hic recensere paullo accuratius. In his prima ac veluti praecipua est DOTALITIVM, de quo supra

Veluti
dotali-
tium.

pra plura diximus. (*Lib. I. §. CCXLV. sequi*)
 Iam id addimus, viduas vetere iure non ser-
 vitutem tantum in praedio dotalitio esse con-
 sequutas, sed ipsum vtile dominium, idque
 vel inde patere, quod et alienandi iure
 quodammodo gauderent, SCHILZ. *Exerc.*
XVII. §. XXXI. et, quidquid usufructuario
 iure illis promittebatur in pactis dotalibus, id
 iis proprium esse diceretur. *)

*) Ita Henricus I. Rex Germ. in diplomate saepe lau-
 dato apud GYROL. in *hisp. Henr. Aucup. p. 313.* do-
 tis loco Mechthildi suae tradit vrbes Quinglinga-
 burg, Palithi, Northusam, Gronau, Duderstode,
 cum ciuitatibus et omnibus, ad praedicta loca per-
 tinentibus, et quidem non perpetuo possidendas,
 sed ita, vt illis, *si superstes marito fuerit, et in san-
 ctæ viduitatis pudicitia permanserit, temporibus
 suis feliciter perfruatur:* id est, vt usufruc-
 tum perciperet ad dies vitae. Et tamen idem
 Henricus fatetur, *sed huic omnia potestatiua manu
 tradidisse, et DONASSE, quidquid PROPRIÆ HEREDITA-
 TIS in praesenti in locis istis videatur habere:* ad-
 ditque: *se illa Mathildæ in IVS PROPRIVM condes-
 sisse.* Quae quidem non seruitutem in re aliena,
 sed dominium exprimere, nemo credo negave-
 rit. Et talia in aliis quoque instrumentis dotali-
 bus passim occurrunt.

§. XXXIX.

Nec non Idem dicendum de altera usufructus Ger-
 precaria. manici specie, puta de PRECARIA. Quamuis
 enim precariarum, quae et praestariae dice-
 bantur, alia plane origo sit, quam pluribus
 descripserunt THOMAS. *dissert. de nat. prec.*
iurid. §. XXV. sequi. et BOEHM. *iur. eccles. Lib.*
III. tit. XIV. eae tamen semel receptae a
 Germanis

Germanis vere indiderunt naturam vſusfructus Germanici. Nam et renouatio earum, ſoluto laudemio, erat petenda ſingulis quinquenniis, CAPIT. CAROL. *ann. DCCC. apud BALVZ. Tom. I. p. 332. et ann. DCCCIII. ibid. p. 411.* et cenſus exigebatur annuus in agnitionem domini directi: et alienatio permiſſa erat, niſi ſpeciatiſſime adempta eſſet. *)

*) Omnia haec diſcimus ex formulis praefſtariarum variis apud BALVZ. *Capitul. Tom. II. p. 406. 428. 450. 472. 506. 585.* et MABILL. *Analect. Tom. III. p. 84.* vbi fere ſemper eccleſia ſibi ſtipulatur cenſum annuum ad lumina, et alienationi obicem ponit formula tali vel ſimili: *vt aliubi nec vendere nec donare nec alienare pontificium habeam, niſi ſub iure et poteſtate ac dominatione eccleſiae permaneat.* Ceterum de praecariis huiusmodi agunt etiam LEX ALAMANN. *tit. II. IVS PROV. SVEV. Cap. CCCXI. §. II. ſequ. et Cap. XLVIII.* vbi et inueſtiturae, et cenſus annui ſit mentio.

§. XL.

Talis etiam fuiſſe nonnullis videtur vſusfructus rerum omnium vxoris, marito competens, tamquam tutori vxoris legitimo. Vti enim vxor nihil earum rerum alienare, conſtante matrimonio, potuerit ſine mariti conſenſu: ita inde adparere putant, ſuſpenſum fuiſſe vxoris dominium vtile, illudque in maritum tranſiſſe. BEYER. *ſpecim. iur. Germ. Lib. II. Cap. X. §. XIV.* Sed, ſi fatendum, quod res eſt, vſusfructus tutorius, adeoque et marito competens, nihil commune habuit cum dominio vtili. *)

*) Domi-

- *) *Dominium enim utile dicitur in relatione ad directum. Nisi ergo dicere velis, mulieri vel pupillo competiisse dominium directum, fieri vix potest, ut marito vel tutori recte tribuatur utile. Accedit, quod, ut recte observavit THOMAS. not. ad Inst. Lib. II. tit. IV. p. 157. ususfructus tutori et marito non conceditur ad dies vitae, sed quoad tutela durat. Itaque existimo, illum ususfructum plane diversae indolis esse, veram nimirum servitutem personalem, quamvis leges Germanicae vocabula artis negligant, et quum vere Germanis duplex esset ususfructus, alterque in dominio utili, alter in servitute consisteret, has tamen species vix distinxisse videantur.*

§. XLI.

An et
maiora-
tus sit
ususfru-
ctus
Germ.
vel do-
minium.

Idem BEYERVS *ibid.* §. XXXII. huc refert MAIORATVM, cuius possessoribus alii ususfructum tantum; alii dominium plenum; BEYERVS VERO CUM PINELLO *J. i. C. de bon. matern. p. 2. n. 6.* et LVD. MOLINA *de Hisp. primog. Lib. 1. Cap. XIX.* dominium utile iuris Germanici tribuit. Enimuero quum et peregrinae originis videantur maioratus, et in iis quoque vix ostendi possit, cui dominium directum competat: *) nolim ego quidem huic doctrinae suffragari.

- *) Equidem laudatus BEYERVS *ibid.* §. XXXVI. hunc nodum ita dissolvit, *quod dominium directum si non successor futurus in maioratu, certe tamen integra familia sustineat, quae possessorem, in bonis maioratus non recte se gerentem, vis privare possit. Verum successoris dominium directum possessor nunquam agnoscit: nec sequitur, ut familia propterea eo dominio gaudeat, quia bonis maioratus privare possit possessorem non utentem fruentem boni viri arbitratu. Siquidem et Electores Imperii sibi vindicarunt ius imperium abrogandi Wenceslao Impera-*

Imperatori, quibus tamen ideo non magis competere dixeris dominium directum, quam imperatoribus vtile.

§. XLII.

Hinc pauca elicimus axiomata: I. Ius emphyteuticum non est originis Germanicae, sed censitum. II. Censitis prout ad investituram et laudemium obstricti vel non obstricti sunt, eatenus vel vtile, vel plenum, dominium competit. III. Doralitium non minus vere coniunctum est cum dominio vtili, quam IV. precaria. V. Reliquae species vsusfructus Germanici potius ad seruitutes, quam ad dominium vtile, pertinent.

§. XLIII.

Quum ergo ius emphyteuticum non sit Ius emphyteuticum Germanicae originis: (§. XLII, 1.) facile intelliges, 1) cur praedia rustica hodie in dubio magis censitica praesumantur, quam emphyteutica. SCHILT. *Exerc. XVI. §. LXXXIV.* MENOCH. *de praesumpt. Lib. III. Cap. CVI. n. III.* MOLL. *ad P. II. Const. XXXIX.* 2) Cur tamen, iure emphyteutico sensim a clero in Germaniam introducto, ea bona ex regulis iuris Romani aestimentur, ac proinde 3) et laudemium domino emphyteuteos debeat, et 4) canon, adeo, vt, 5) eo intra biennium vel triennium non soluto, emphyteuta priuari possit praedio. 6) Cur vocabulum *erben zins-güter*, quod vulgo tribuitur praediis emphyteuticis, iis perperam tribui existiment THOMAS. *not. ad pand. Lib. VI. tit. III.*
p. 110.

p. 110. et BEYER. *posfr. pand. Lib. VI. tit. III. §. XXIV.* *)

*) Bona enim censitica vocabantur *Erb-Zins-Güter*, antequam Germanis innotuerat ius emphyteuticum. Deinde in huiusmodi bonis dominis in Germania non competebat ius protimiseos, BEYER *ibid.* §. XXII. quod tamen denegari nequit domino emphyteuseos. l. 3. C. de iure emphyteut. Enimvero uti doctores saepe confuderunt bona censitica et emphyteutica: ita non mirum est, Ictos Ienenenses, ducto a bonis emphyteuticis argumento, domino etiam in bonis censiticis vindicasse ius protimiseos apud RICHT. *Decis. LXXVI. §. LX.* iisque et in re suffragari SCHILT. *Exerc. XVI. §. LXXXIV.*

§. XLIV.

Ius bonorum censiticorum laudemialium.

Quumque in praediis censiticis dominum utile competat censito, si inuestitura interueniat: (§. XLII, 2.) commode inde explicari poterit, 7) cur vocentur *zins-lehn*, dominusque, qui censum accipit, *lehn-und zins-herr* dici soleat. 8) Cur mutato possessore petenda sit renouatio inuestiturae, soluendumque laudemium, *der wein-kauff*. RICHT. *Part. II. Dec. LXXXIII. n. XXIII.* non autem 9) mutato domino directo, FRANZK. *de laudem. Cap. IV. n. XXII.* CARPZ. *Part. II. Const. XXXIX. def. XXVIII.* nec 10) praedio ad liberos defuncti possessoris deuoluto, qui ordinarie tantum soluunt honorarium, *den schreib-schilling*. FRANZK. *ibid. Cap. VIII. n. CXIX.* 10) Cur census augeri quidem nequeat, at 12) statim tamen die soluendus sit promte, eoque 13) non soluto, non quidem priuationi locus sit, sed tamen 14) ipse census singulis diebus alicubi et hodie duplicetur. *)

*) Mori-

- *) Moribus hodiernis id ius fere abrogatum esse scripserunt CARPZ. *Part. II. Const. XXXVIII. def. XXV.* et SCHOTTEL. *de fing. Germ. iurib. Cap. XIX. §. VI.* Sed eum tamen rigorem passim adhuc obseruarunt viri docti, BECHM. *ad Pandect. Vol. I. P. I. Ex. XIII. n. XXXIII.*

§. XLV.

Quum contra in censiticis bonis, cum in-
uestitura et laudemio non coniunctis, ei, cui Et non
census debetur, non competat dominium ^{miali-}
directum.*) (§. XLII, 2.) facile patet, ^{um.} 15) cur bona
ista, etiam nulla praeuia denunciatione, possint
alienari, et 16) is, qui censum exigit, neius
quidem protimiseos habeat. 17) Cur, censu
non soluto, nec priuationi locus sit, CARPZ.
P. II. Const. XXXIX. def. II. nec dupli exa-
ctioni, quamuis 18) non iniquum quibusdam
videatur, ei, cui census debetur, in praedio
competeret tacitam hypothecam. LVDOV. *doctr.*
pand. Lib. VI. tit. III. §. XII.

- *) Equidem huic indistincte nullum ius, nisi censum
et laudemium exigendi, relinquunt, et plenum
semper dominium ad censitum transire existimant
doctores, veluti COLER. *de process. exsequut. Part. I.*
Cap. X. n. CLXI. LYNKIVS *de bon. censit. Cap. IV.*
§. II. Contra hoc dominium plenum doctorum
errore inuestum, et bona omnia censitica sine dis-
crimine in vtili tantum dominio esse, existimat
BEYER. *specim. iur. Germ. Lib. III. Cap. XXIII. §.*
XV. Alii nobiscum distinguunt bona *laudemialia*
et *non laudemialia*, et in illis domino dominium di-
rectum; in his tacitam hypothecam tribuunt. LVDOV.
doctr. pand. Lib. VI. tit. III. §. XII. Alii ne id
quidem concedunt. Tantam caliginem ICris prae-
stantissimis offudit emphyteuseos cum iure censiti-
co confusio, quam intempestiua iuris Romani ad

res Germanicas adplicatio peperit. At si inter bona censitica laudemialia et non laudemialia distinguas, facile ac sine pulueris iactu has lites omnes compones.

§. XLVI.

Ius dotalitii.

Quemadmodum porro dotalitium procul dubio coniunctum est cum dominio utili: (§. CXLII, 2.) ita non mirum est, 19) illud a Ictis Germanicis vocatum esse usufructum, COLER. *Part. I. Dec. LX. n. XIV. TAB. de dotalit. §. XXV.* quippe quem cum dominio utili pari passu ambulare, diximus. (§. XXXIII.) Nec minus inde ratio reddetur, 20) cur utilem dotalitii vindicationem vxori concedant RAVCHB. *Part. I. Quaest. XXX. n. XXI.* HENEL. *de dotalit. Cap. XII. §. XVIII.* BEYFR. *spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. XX.* 21) Cur et ex lacu terram arabilem fieri posse a vidua, existimet NIC. EVERARD. *conf. CCXVII. n. XVII.* 22) Cur laudemia, census, aliaque praestationes, non defuncti heredibus, sed viduae, debeantur. HENEL. *de dotalit. Cap. VIII. §. VIII.*

§. XLVII.

Ius precariae.

Quia praeterea idem dicendum erat de precaria: (§. XLII, 4.) consequi videbatur, 23) ut et precariam alienare liceret, nisi id, speciali adiecto pacto, prohiberetur: 24) Ut et ad heredes deuolui posset ius precariae. 25) Ut non minus, ac in aliis bonis, quae quis iure usufructus possidebat, et inuestitu-


uestitura exigeretur, et 26) laudemium. BEYER. *spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. X. §. XXIX.* Quae omnia 27) tam euidenter ex dominii utilis, vel ususfructus Germanici, indole fluunt, ut in precaria dominium utile agnoscant doctores plurimi, ex quibus ALVAROTTVM, SCHRADERVM, BLUMBLACHERVM, VELASCVM, MOLINAM, *) et BOEKELMANNVM laudat BEYER. *ibid. pag. 174.* Immo hic *tract. II. de iustit. et iure disp. CCCLXXI. n. IV. pag. 528. Tom. II.* ipsum quoque *usufructuarium habere, ait, dominium utile rei, qua fruitur, sed quod cum ipsius morte sit finiendum consolidandumque cum proprietate, deficiatque multum ab utili dominio simpliciter, quale sit emphyteutae, feudatarii, aut superficiarii.* Ex quo colligas, in ipsam quoque Hispaniam penetrasse veteris iuris Germanici principium, quod ususfructus non in seruitute, sed in dominio utili, positus sit, at in eo tamen falli doctores etiam Hispanicos, quod illud ex iure Romano, et quidem ex *l. 4. ff. de usufr.* explicare non dubitant.

§. XLVIII.

Reliquae ususfructus Germanici species Non magis ad seruitutes; quam ad dominium ^{omnis} utile pertinent. *) (§. XLII, 5.) Vnde patet, ^{ususfructus} 28) quod nec dominium directum in iis vlli ^{Germ.} tribui possit, et 29) inuestitura pariter ac ^{est do-} 30) laudemium in iis plane cesset, immo ^{minium} 31) alie- ^{utile.}

31) alienandi facultas usufructuario vel plane adempta, vel 32) admodum restricta sit. Quo 33) in primis referimus usumfructum paternum, maternum, maritalem, tutonium, de quibus omnibus iam supra fusius actum esse, meminimus.

*) Saltim, inuecto iure Romano, pleraeque usufructus species naturam usufructus Romani induere, precariae autem permultum cum precario Romano commune habere coeperunt. Itaque conclusiones pleraeque, hactenus explicatae, non ubique obtinent, sed veluti reliquiae iuris veteris, passim superstites, et tamquam nantes in gurgite vasto tabulae obseruandae sunt.



TIT. III.

DE MODIS ADQVIRENDI DOMI-
NIVM NATVRALIBVS.

§. XLIX.

Quemadmodum Romana iurisprudētia acquirendi modos in NATVRALES vel IVRIS GENTIUM, et CIVILES diuidit: ita eandem diuisionem Germanis quoque sollemnem fuisse, extra omnem dubitationis aleam positum videtur. *)

- *) Quum enim naturales ex iure naturae et gentium proficiscantur, hoc vero ius recta ratio inter omnes gentes constituerit, et apud omnes peraeque custodiatur: §. 1. *Inst. de iur. nat. gent. et ciu.* fieri non potest, quin Germanis hi acquirendi modi aequae noti, atque vsu quotidiano recepti, fuerint, ac Romanis. Nec dubitari potest, quin et suos sibi acquirendi modos habuerint, ab iis, quos leges Romanorum ciuiles inuexerant, admodum diuersos, quum et suum sibi ius ciuile habuerint. (*Lib. 1. §. 1.*) Sic e. g. praescriptio Germanica diuersissima est a Romana, quia vtraque legibus ciuilibus, illa Germanorum, haec Romanorum, inuecta est.

§. L.

NATVRALES acquirendi modos, de quibus hoc titulo agere consilium est, in ORIGINALIOS et DERIVATIVOS; illos in SIMPLICITER et SECVNDVM QVOD originarios, recte diuidunt GROTIVS et PVFFENDORFFIVS. Ex quo simul patet, non plures, quam tres fingi posse modos acquirendi, ex iure gentium derivandos, OCCVPTIONEM, ACCESSIONEM et TRA-

DITIONEM, adeoque nec in Germania plures quaerendos esse.

§. LI.

Occupatio eius- que prima species venatio. OCCUPATIONIS quae sit natura et indoles, quotque eiusdem species sint, iam alibi satis explicauimus. Itaque, omissis illis generalibus, ea, quae singularia circa eam habuerunt Germani, paucis consuetabimur. VENATIONIS cupidissimos fuisse Germanos, eamque praecipuam principum atque ingenuorum occupationem pacis temporibus fuisse, iam supra, ubi de iuribus nobilium atque ingenuorum actum est, perspicue ostendimus. *)

- *) Existimat equidem doctissimus BEYERVS, *Specim. iur. Germ. Lib. II. Cap. II. §. III. sequ.* non vno argumento probari posse, olim apud Germanos hoc ius omnibus patuisse. Nam 1) IVRE PROV. SAX. *Lib. II. Art. LXI.* et SVEVICO *Cap. CCCLII.* cautum esse, neminem ideo puniri, quod feram sit venatus, auemue aut piscem ceperit, *daß niemand seinen Leib, oder seinen Gesund, an diesen dreyen verwürcken möge.* 2) Passim adhuc in Germania superesse libertatem venandi, *die freye pürstgerechtigkeit*, OTT. *von der freyen pürst. Vlm. 1725.* quam prisca status Germanici reliquis accensere non dubitat. 3) IVRE illo SAX. *ibid.* trium duntaxat forestorum bannorumue ferinorum fieri mentionem. 4) Rarissimum ad Fridrici I. Imp. tempora vsque fuisse iuris forestalis usum: deinde sub finem demum saeculi XII. in feudum dari coepisse. STEPH. CHRIST. HARPR. *sciagraph. libert. venationis German.* §. III. *sequ.* Quibus argumentis quid solidi infit, paucis erit dispiciendum.

§. LII.

§. LII.

Quamvis enim vtroque iure, SAXONICO et ALAMANNICO, proditum sit, *dass niemand seinen leib oder gesund an fischen, vögeln vnd wilden thieren verwürtken möge*, idque ius speculator SAXO ex iure, a Deo, conditore huius vniuersi, generi humano in haec animalia concessio; SVEVVS ex constitutionibus Regum Germanorum deriuet: non sequitur tamen inde, vt libera fuerit in Germania venatio, sed vt mitiore poena coercendos putarint eos, qui feras, aues et pisces interceperint, quam reliquos fures, qui aliorum inuaserint custodiam. *)

An libertas venandi probetur ex iure Sax. et Alamannico?

- *) Et tamen non defunt exempla, quae olim in eos, qui furtim venari ausi erant, satis acriter animaduersum esse, docent. Memoriae enim prodidit GREG. TVRON. *Hist. Lib. X. Cap. X.* Guntchramnum Regem, quum Vogesum pererrans venandi causa, vestigia quaedam occisi bubali deprehendisset, et a comite istius siluae comperisset, Chandonem cubicularium ibi furtim venatum, eum prehendi, vinetumque obrui lapidibus iussisse. Sed et saeculo XII. circiter medio *viri cuiusdam, propter furtiuam venationem adiudicati patibulo*, mentio fit in diplomate apud illustrem IO. PETR. DE LVDEW. *Reliqu. MSS. Tom. VI. p. 51.* Tantum itaque abest, vt libera fuerit venatio, vt poenis atrocissimis iam tum coercerentur, qui aduersus bannum ferinum feras cepissent, occidissentue. In quam principum seueritatem grauiter inuehitur IO. SARISBER. *Policrat. Lib. I. Cap. IV.*

§. LIII.

Nec adeo certum est, libertatem illam venandi, qua alicubi gaudent ciues, quaeque

An ex iure voca- quod

vocatur die freye Pürst? vocabulo *der freyen pürst-gerechtigkeit* venire solet, pristinae libertatis Germanicae reliquiis accensendam esse, quum nusquam fere eam libertatem vsurpent plebei, quam vbi vel procax libertas ciuitatem miscuit, veluti olim in Frisia, VBB. EMM. *rer. Fris. Lib. II. pag. 74.* vel, extinctis familiis regnatricibus, plebs ad maiorem libertatem adspirauit, voluti in Sueuia: *) vel vbi tanta est ferarum multitudo, tantaque siluarum vastitas, vt non adeo necessarium videretur, eas sanctionibus feuerioribus muniri.

*) De iure venandi promiscue omnibus passim permissio conferri meretur KNIPSCH. *de ciuit. imper. Lib. II. Cap. VII. n. XX.* Alioquin paucis illis tractibus exceptis, in Germania quoque vbique obtinet, quod scripsit IUL. POLLVX *in proem. Lib. V.* onomastici: *ἡρωικὸν καὶ βασιλικὸν* esse venandi studium, id est *heroicum et regium*, a quo priuatos ipsum vitae institutum detertere debeat.

§. LIV.

An ex paucitate siluarum regiarum, quas memorat ius Saxonicum? Negari porro nequit, a SPECVLATORE SAXONE tres tantum siluas, banno ferino regali munitas, recenseri, quas vocat *die heyde zu Köhne*, in Thuringia; *den Hartz*, in inferiore Saxonia; et *die meydeheyde oder Pretinische heyde*, quas ipse pro eadem habuit, illustris LVDEWIGVS vero in *dissert. de venatu eiusque regali diff. V. pag. 39.* alteram in ducatu Magdeburgico, alteram in Saxonia quaerendam esse, existimat. At tanto plures huiusmodi *siluas regales*, vt vocat GREG. TVR. *ibid.* vel *forestes*, solis regibus patentes, enumerant

merant CAPITVL. CAROLI M. *anni DCCCIV.*
Cap. XXXIX. LVDOVICI PII *anni DCCCXIX.*
Cap. XXXIX. CAPITVL. *Lib. IV. Cap. XLII.*
 CAPIT. CAROLI CALVI *tit. LII. §. XXXII.* Ce-
 terum ad paucissimas redactas esse silvas re-
 gias, non magis mirum est, quam reliqua
 bonā regum fiscalia fere ex hominum memo-
 ria euanuisse. *)

- *) Tot enim diplomata, quae passim supersunt, fa-
 tis ostendunt, Reges amplissimos siluarum tractus
 cum banno ferino episcopis, principibus, eccle-
 siisque donasse. Sic Carolus M. anno DCCXCVIII.
 Episcopo Wormatiensi contulit omnem siluaticum
 in Otenwalt, qui olim ad fiscum pertinuerat.
 SCHANNAT. *hist. episc. Wormat. in cod. probat. p. I.*
 Arnulfus Rex anno DCCCLXXXIX. ecclesiae Eyfste-
 tensi donat *quemdam lbcum, Sezzi nominatum, cum*
quadam parte siluae et FORESTI de curte Weisenburg.
 FALCKENSTEIN. *cod. dipl. antiqu. Nordg. p. 14.* Sed
 et Otto III. anno DCCCLXXXVIII. Episcopo Wor-
 matiensi concedit regium BANNVM in siluis circa
 Wimpinam ciuitatem, et villam Biscouesheim, si-
 tis, *quam ille cum imperatoris licentia et auctorita-*
te, nec non et voluntate et adsensu bonorum mili-
tum in circuitu habitantium, nouiter inforestarit, vt
nulla debinc persona parua siue magna, aliquam fe-
ram vel bestiam ibi venari vel capere, vel insequi
praesumat, sine licentia superius iam dicti episcopi,
siue successorum eius. cetera. SCHANNAT. *ibid. p. 28.*
 Tale etiam diploma Henrici II. eidem ecclesiae
 Wormatiensi datum, habet SCHANNAT. *p. 34.* alia-
 que Ottonis I. et Henrici II, quibus Episcopo Vl-
 traiectino datur facultas venatu prohibendi alios
 quoscumque, *cervos, vrsos, capreas, apros, be-*
stias insuper, quae Teutonica lingua Elo et Schelo ad-
pellantur, capturos. HEDA *de episc. Ultraiect. p. 83.*
et 101. Similia Ottonis IV. Conradi IV. Rudol-
 phi I. collegit. HERT. *de super. territ. §. XLVIII.*
p. 302. Quis ergo miretur, bannum regale vbique
 Cc 5
 paula-

paullatim ad principes peruenisse, adeoque paucas saeculo XIII. superfuisse silvas regias?

§. LV.

An iuris forestalis rarior ante Fridricum I. vsus? Denique vel ex his, quae adduximus, exemplis satis intelligitur, contra annalium fidem referri vel ab HARPRECHTO, vel a BEYERRO, rarissimum vsque ad tempora Fridrici I. Imp. fuisse iuris forestalis vsus. Neque enim id quisquam dixerit, qui res veterum Francorum, ipsaque regum Germaniae diplomata, vel saltem, quae CAROLVS DV FRESNE in *Glossario Lat. voce Foreste* collegit, paullo accuratius vmquam expenderit. *)

*) Quin ipsae leges veteres argumento sunt, banni ferini multo maiorem vsus fuisse ante Fridricum I. Imp. quam post illa tempora, quibus principes et regias silvas intra sua territoria fisco suo paullatim vindicarunt. Attulimus supra nonnulla huius generis testimonia ex CAPITVLARIBVS. Iam addo, quae occurrunt in LEGE LANGOB. *Lib. I. tit. XXIII. et Lib. III. tit. XXXV.*

§. LVI.

Venandi ius quale medio aeuo? Quare certissimum est, venationem in Germania propriam fuisse regibus, nobilibus, et ingenuis, et hos illam in praediis; illos in territoriis suis; istos in siluis regiis seu forestis maioribus exercuisse, ita, vt nemini vel subdito, vel extraneo, id ius permitterent, sed grauissimis poenis tamquam fures coercerent, qui intra fines banni alieni venari non dubitassent, nisi extraneus ius illud intra alterius fines iure seruitutis vel praescriptione *) quaesiuisset: qualia exempla etiam hodie

die superesse, obseruauit HERT. *de superior. territ. §. XLIX. pag. 504.*

*) Attamen ORDIN. PRÓV. SAX. anni MDLV. *tit. daß keiner auf des andern grund vnd boden etc. poenam C. florenorum interminatur iis, qui in fundo alieno (außer ihrer vnd ihrer leute eigenthum) venentur, nec ratio haberi iúbetur praescriptionis, (ungeachtet eines fürwendens, daß es anders hergebracht, vnd im Brauch gehalten.)* Prodesse tamen et hic possessori praescriptionem immemoriam, post CARPZ. *Part. II. Const. III. def. XXV.* obseruat ZIEGLER. *de iur. maiest. Lib. II. Cap. XIV. §. XLV.* qui et insequente §. XLVI. exemplis probat, extra Saxoniam-electoralem quasi possessionem in possessorio profuisse et iis, qui in alieno fundo iure venandi quiete vsi essent.

§. LVII.

Nec alia ratio fuit iuris AVCVPII, et PISCATIONIS, quod ipsum quoque reges, principes, nobiles ac ingenui sibi solis vindicarunt, exclusis aliis. Saltim certum aucupii genus, quod per falcones et accipitres, per laqueos et retia exercebatur, principes et nobiles sibi, tamquam praecipuum, seruarant. Testes sunt non solum HINC MARVS, qui singulari epistola, quam de officiis domus regiae Francorum scripsit, *Capite V.* inter praecipuos ministros Carolomanni refert etiam *venatores principales quatuor et falconarium vnum*: sed et HERTIVS, qui *ibid. pag. 502.* meminit chartae Rudolphi I. Regis, qua Comiti Cartimelibocensi cedit *villam Tribure cum CAPTVRIS FALCONVM et foresto Schlichter.* Nec piscandi ius cum omnibus promiscue communicatum esse, sed reges et principes in fluminibus quoque

Nec non
iuris
piscandi
et
aucupii.

que sua *foresta*, id est, loca, sanctione poenali munita, habuisse, iam supra ex charta Dagoberti, regis, ostendimus. (§. VIII.) Iam adde diploma Ottonis I. anno DCCCXLIV. scriptum, apud HEDAM de *episc. Ultraiect. pag. 84.* quo ecclesiae Ultraiectinae *totam PISCATIONEM, quam hucusque in Amuson et in Almere ad suum REGALE IVS habere visus sit, in proprium concedit.* Facilius tamen haec iura cum aliis communicata esse siue per inuestituram, siue per priuilegium, facile est ad intelligendum. *)

*) Hinc in diplomatibus vetustioribus, tantum non omnibus, quoties praedia quocumque titulo in alios transferunt reges et principes, ea se cedere profitentur *cum adpenditiis suis, mancipiis, aedificiis, campis, agris, pratis, siluis, aquis, aquarum decursibus, molendinis, PISCATIONIBUS, terris cultis et incultis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, mobilibus et immobilibus, seu quidquid legitime et iuste adspicere et permanere videtur.* Exemplum vide apud FALCKENSTEIN. *ibid. p. 17. 27.* Qualis formula tam frequens est in Imperatorum chartis, vt Henricus IV. in diplomate, quod frater, *ô mancipiis, in Antiqu. Gosl. Lib. I. p. 82.* edidit, ei praemittat verba: *Idem autem, vt mos est dare regibus vel imperatoribus, sic dedimus, cum omnibus adpenditiis. cer.* Sed et *aucupiorum* mentionem fieri, saepe animaduertimus.

§. LVIII.

Itaque venationem Germanis non fuisse Occupationem re- speciem occupationis, satis luculenter, vt
rum ho- opinor, ostendi. Contra frequentissima ma-
stiliam ioribus nostris fuit OCCUPATIO BELLICA, quip-
per la- pe qui latrociniiis, excursionibus in vicinas
trocinia. prouin-

provincias, et piratica *) rem facere, pulcrum sibi ac gloriosum ducebant. CAES. *de bello Gall. Lib. VI. Cap. XXIII.* Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac desidia minuendae causa fieri, praedicant. Et POMPON. MELA *de situ orb. Lib. III. Cap. III.* Ius in viribus habent, adeo, ut ne latrocinii quidem pudeat. Add. TACIT. *annal. Lib. XII. Cap. XXVII.* AMMIAN. MARCELL. *Lib. XVII. Cap. X. Lib. XXI. Cap. III.*

*) De Saxonum piratica res nota est ex SIDONIO *Lib. VIII. Ep. VI. Lib. VIII. Ep. IX.* aliisque vetustis auctoribus, ex quibus excerpta dedit LEIBNIT. *script. rer. Brunsv. Tom. I.* De Francis familia memoriae prodidit LIBANIUS, qui in *Basilico*: τὸ γὰρ μὴ ἔχειν ἑτέρας ληΐεσθαι, τῆτο ἐκείνοις δαλεία. Haec illis servitus est, nullos habere, quos depraedentur. Quod paullo ante de piratica explicauerat, dum dixerat: Τῆτοις τὰλη μὲν θαλάττης ἔδιν ἐπίειρ Φοβερῶτέρα. His maris procellosi aestus non magis terrori est, quam continens terra. Similia passim occurrunt apud NAZARIVM, ZOSIVM, OROSIVM, et in primis EVMENIVM in *paneg. Valerio Constantio dicto*, vbi Francos ait ipso temeritatis euentu docuisse, nihil esse clausum piraticae desperationi, quo nauigiis pateres accessus.

§. LIX.

Quidquid ergo huiusmodi latrociniiis ca- An et-
 ptum fuerat, id procul dubio cedebat occu- iam per
 pantibus. An vero et in sollemni bello prae- iusta
 da singulis capientibus cesserit, non facile di- bella?
 xerim. Ex TACITI tamen *de mor. Germ. Cap.*
 XIV. colligere mihi posse videor, praedam
 non

non militibus gregariis, sed principibus, quorum auspiciis clientes et comites militabant, cessisse. *Ab huius enim liberalitate exigebant illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam, et materia munificentiae per bella et raptus. *)*

*) Sunt quoque testimonia, ex quibus colligas, Germanis et insequentibus temporibus huius moris mansisse custodiam. Auctor enim est GREGORIUS TVRON. *Lib. II. Cap. XXXVII.* Chlodouaeum M. victorem victi Alarici Visigothorum Regis thesauros omnes sibi vindicasse. Aliquando tamen reges ducesque praedam vel totam, vel pro parte concessisse militibus, aliquando illam inter bene meritos distribuisse, aut partem elargitos esse ecclesiis, ex eorumdem temporum annalibus constat. Salm sancto Martino Turonensi victorem Chlodouaeum permulta munera ex praeda illa dedicasse, testis est GREG. TVRON. *ibid.*

§. LX.

Res in-
uentae
plerae-
que fisco
vindica-
tae.

Denique quod ad INVENTIONEM rerum nullius et pro derelicto habitarum attinet, quum ipsa recta ratio doceat, eas cedere occupantibus, dubitari non potest, quin idem principium et Germanorum fuerit. Id modo hic repetimus, quod iam antea obseruare nos meminimus, (§. VIII.) *ἀδίσπρωτα* pleraque insignioris pretii non inuentori, sed principi, cessisse. Hinc CASSIODOR *Lib. VI. Var. Cap. VIII.* *Depositivae quoque pecuniae, quae longa vetustate competentes dominos amisserunt, inquisitione tua nostris adplicentur aerariis, ut, qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis libenter debeant offerre. Sine DAMNO si-
quidem*

quidem inuenta perdit, qui propria non amittit. Conf. *Lib. IV. var. Cap. XXXIV.*

§. LXI.

Res, amissas ab alio, inuentor sibi non adquirebat, sed furti se crimine adligabat, qui rem inuentam non detulisset ad iudicem. LEX BAIUVAR. tit. II. Cap. XIII. §. II. LEX LANGOB. Lib. I. tit. XXV. §. I. Indici tamen, quem *vegium* *) vocabant, praemium seu *ευστηρον* decernit LEX BVRG. addit. I. tit. VIII. et quidem solidos V. si mancipium; solidos III, si equum; sol. II. si equam vel bouem optimum; sol. I. si vaccam, veruecem, porcum; tremissem, si capram repertam domino indicarit restitueritque.

*) Fuisse videtur haec vox Burgundis propria, quippe quae et tit. XVI. §. III. occurrit, quemadmodum eodem loco *VEGIATURA* vocatur hoc *ευστηρον*. LINDENBROG. in *Gloss. p. 1403.* addit interpretationem: *VEGII sunt, quos Latini diuinos aut vates vocant, Germani Wickers, et locum addit ex LEG. ALFREDI Cap. XI. vbi vates vocantur wicum.* Sed inter varias lectiones ad LEG. BVRG. tit. XVI. §. III. obseruat, MSS: habere *veraturas*, quemadmodum HEROLDI codex praefert *vigaturas*, quod illi *wickers* propius est. Alias conicere liceret, *veraturam* esse ipsum Gerin. *verraeterey.* Solemus enim de illis, qui res occultatas indicant, dicere: *sie haben etwas verarbeit.* Sed quam *vegius* et *vegiatura* eiusdem procul dubio originis vocabula sint, malim LINDENBROGIO adsentiri.

§. LXII.

§. LXII.

Accessio
naturalis
nouae
insulae.

Alter modus acquirendi dominium iuris naturalis vel gentium est ACCESSIO, quae, quod ad *naturalem* attinet, itidem se paullo aliter habuit apud Germanos, quam vel Romanorum, vel aliarum gentium iure civili proditum legimus. Quamuis enim et apud Germanos foetus animalium ad ventris dominium pertinuisse videatur: de fluuiialibus tamen incrementis, veluti NOVA INSULA, alveo derelicto, alluione et vi fluminis, multo aliter philosophabantur. Si enim ipsum firmen erat publicum vel principis: insulas quoque, tamquam eius accessiones, reip. vel principi attribuebant. Ita fane anno MCLXIII. in comitiis Noribergensibus sanxit Adolphus, Rex Rom. quum de nouis insulis cum nobili quodam dynasta contenderet Reinoldus, Gelriae Comes. *) Vid. SCHILT. *Exerc. IV. §. XIX.* HERT. *de superior. territ. §. XLVII.*

*) At vulgo in alia omnia eunt iuris interpretes, moti loco SPECVLATORIS SAXONICI *Lib. II. Ars. LVI. Welcher werder sich erhebet binnen einem fluss, welchem gestade er näher ist, zu dem geböret der werder. Ist er uber zu mittler maass des wassers, so geböret er beyden gestaden.* Haec enim plane Romana, et ex §. 22. *Inst. de rer. diuis. de promta esse* plerisque videntur. SCHILT. *Exerc. IV. §. XIX. b.* Sed agere illum locum de insula in flumine, quod bina territoria adluit, nata, res ipsa docet. Vid. THOMAS. *not. ad Inst. p. 132.*

§. LXIII.

Aluei derelicti. et ipse apud Germanos ab iis, quorum flumen

mēn fuerat, vindicabatur. Diserte enim IVS PROV. SAX. *ibid.* *Dasselbe thut auch der strom, oder der übergang, wenn er wieder vertrocknet.* Innuit enim, hunc alueum pertinere ad dominum territorii, vel ad vtrumque, si flumen duo territoria diuidat. *) Et ita sequentia etiam verba: *Bricht es aber wiederum einen neuen abgang, damit verleurt er seines Landes nicht,* intelligit THOMAS. *ibid.* p. 133. quia *Land* hic non agrum priuatum, sed territorium significet.

*) Attamen haec verba laudatus THOMAS. *ibid.* non de alueo derelicto, sed de inundatione interpretatur, quamuis vix me intelligere fatear, quomodo tunc haec verba cohaereant antecedentibus.

§. LXIV.

ALLUVIONES ne iure quidem ciuili ad crescebant agrorum dominis, si illi essent limitati. Per allu- uionem
 Quales quum plerique priuatorum sint in et vim fluminis.
 Germania: consequens est, vt raro priuatis cesserit illud agrorum incrementum. In IVRE PROV. SAX. *Lib. II. Art. LVI.* nihil ea de re monemur, quam particulas terrae, agro nostro auulsas, nostras esse desinere. *Was das wasser abnimt dem lande, das hat der verlohren, des das land ist.* Attamen et hoc incrementum, si alicuius momenti esset, principi cessisse, satis probabiliter suspicantur SCHILTERVS, et THOMASIVS. Vid. *huius not. ad Inst. p. 130.* Id quod de VI FLVMINIS, quia ea pars auulsa non est inter *ἀδίσπορα*, vix dici posse videtur.

§. LXV.

Per ad-
iunctio-
nem,
specifi-
cacio-
nem,
com-
mixtio-
nem,
scriptu-
ram, et
pictu-
ram.

Accessionis *industrialis* species sunt com-
plures, quas iura Germanica vetera aequae,
ac medii aevi, fere praeteruehuntur. Frustra
enim hodie diuinaveris, quid maiores nostri
de *adiunctione*, *adferruminatione*, *intextura*,
adplumbatura, *specificatione*, *commixtione*,
confusione, *scriptura* ac *pictura* iustum puta-
rint. Et fortassis apud ipsos Romanos ra-
rius accidit, ut subtilioris illius iurisconsulto-
rum philosophiae aliquis usus esset: multoque
magis ex Germania illam exfulasse probabile
est, in qua simplex aequitas omnibus huiusmodi
argutiis praeferebatur. *)

*) Ea vero simplex aequitas facile unicuique persuadebit,
iustissimum esse; 1) ut res, quae salua separari,
ab altera possit, separetur, suoque restituatur do-
mino; 2) ut si res commode separari non possint, res
minoris pretii in accessionem cedat pretiosioris.
Itemque 3) ut res fungibilis, et quae pretium ad-
fectio non admittit, cedat alteri, in quam cadit
huiusmodi adfectio, eiusque dominus ei, cuius
est res altera, aestimationem praestet. Rem ac-
curatius exequutus est THOMAS. *in diss. de pretio
adfectio in res fungibiles non cadente* Cap. III.
§. XII. seqq.

§. LXVI.

Per in-
aedifica-
tionem.

Siue quis sua materia in alieno solo, siue
in suo solo aliena materia AEDIFICASSET: lice-
bat aedificanti domum destruere ac tollere,
nisi utroque casu dominus soli pretium ma-
teriae reddere mallet. Numquam enim Ger-
mani existimarunt, pertinere ad rempubli-
cam, ne tignum iunctum vindicaretur, mul-
toque

toque minus in duplum condemnabant eum, qui tignum alienum bona fide iunxisset. Potius distinguebant, vtile et necessarium esset, quod quis alieno solo inaedificasset, an domino soli illud non conducere videretur. Priore casu aedificium tolli vetabant, nisi dominus aestimationem ferre nollet, posteriore semper tolli illud patiebantur. *) vid. IVS PROV. SAX. *Lib. II. Art. LIII.*

*) Merentur ipsa verba adscribi, et breuiter explicari: *Was ein Mann, (e. g. colonus,) bauet auf fremden gut, (non ergo in area vacua, cuius aestimatio facilius praestari potest, quam aedificii, illi impositi,) das mag er wohl wieder abbrechen, ob er von dannen zeucht, vnd seine erben nach seinem todt mögen es auch thun.* (adeoque non nouum in Germania fuit, tignum iunctum eximi, si aedificium domino soli parum vtilitatis adferre videretur,) *ohne das thor, vnd ohne den zaun formen vnd binden, vnd das haus, ob er das gebauet hätte. Dann dieses soll der herr lösen nach der gebauer köhr, (quanti ab architecturae peritis, fabricue) aestimatur eo tempore,) thut er das nicht, dieser mag wohl eines mit dem andern wegfabren.* Quod eo facilius fieri poterat apud veteres Germanos, quo rarius aedēs ex solido lapide exstruerent, contenti aedibus ex trabibus ac tabulatis ligneis compositis, quales passim adhuc non modo in Polonia, verum etiam in ipsa Germania, in regionibus siluestribus conspiciuntur. Diu sane in Germania mansit simplex illa aedificandi ratio, quam describunt CAESAR *de bello Gall. Lib. V. Cap. II.* TAG. *de morib. Germ. Cap. XVI.* et HERODIAN. *Lib. VII. Cap. II.*

§. LXVII.

Denique vt ad *accessiones mixtas* perueniamus, agrum colere et arbores serere, parum

D d 2

sollemne

Per
planta-
tionem
et fatio-
nem.

sollemne erat Germanis. *Nec arare terram, inquit TAC. Cap. XIV. aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes, et vulnera mereri.* Idemque *Cap. XXVI.* refert, eos nec hortos coluisse, nec pomaria fuisse. At tamen quum iam animaduertere coepissent insequentibus temporibus, quanto cum detrimento reip. coniuncta sit haec desidia: principes nihil fecerunt reliqui, vt calcaria veluti admouerent fegnibus, eosque ad agrum hortosque diligentius colendos incitarent.

§. LXVIII.

Quid de fatione fanxerint iura Germ. Quamuis vero, qui mala fide conseuisset alterius agrum, et sementem perderet, et iudici multam deberet: IVR. PROV. SVEV. *Cap. CCXIX. §. I. et II.* et *Cap. CCXXIII.* IVR. PROV. SAX. *Lib. II. Art. XLVI.* ei tamen, qui id bona fide fecisset, messem putabant relinquendam, si mercedem pro agri vsu soluerit, nisi eodem tempore, quo per errorem colebat agrum, alii locatum, actione ab aliquo pulsaretur. Tunc enim oleum et operam perdidisse videbatur, et a locatore suo impensas tantum recipiebat. *) IVS PROV. SAX. *ibid.* et SVEV. *ibid.*

*) Verba SPECVLI SAX. paullo obscuriora ita se habent: *Wer eines andern mannes land unwissentlich eeret, oder das ihm ein ander vermiethet hat, wird er darun beschuldiget, dieweil er es eeret, seine arbeit verleurt er daran, ob es jener darnach mit recht behält: der es ihm aber vermiethet hat, der soll ihm erstatten seinen Schaden.* Hinc ergo est primus casus, quem ita exprimimus Latine: *Qui bona fi- de*

de alterius agrum, quasi sibi ab aliquo locatum, conferit, et interea dum id facit, conuenitur: aduersario vincente, ipse operam perdit, at a locatore tamen indemnitatem iure petit. Sequitur casus alter, quando quis agrum, qui in lite est, mala fide conseruit: *Wer auch also ein land sät vnter rechtlicher klagen, der verleuret seinc arbeit, vnd seinen saamen daran.* Denique tertius casus ad eum pertinet, qui bona fide ante motam litem agrum conseruit: *Was er aber sät vnverbothen, vor der klage, da behält er auch die saat an, vnd giebt seinen zinsß darvon jenem, der das land darnach behält.* Subiicitur aliquid de eo, qui agrum alienum conseruit mala fide iterum arauerit, quod et ad resarciendum damnum, et ad multam soluendam obstrictus fit.

§. LXIX.

Quemadmodum ergo ex his intelligitur, Quid de Germanis non in vniuersum placuisse principium, frumenta, quae fata sunt, solo cedere: §. 32. *Inst. de rer. diuis.* ita et de arboribus multo aliter, quam Romani, philosophabantur. Eas enim eius esse existimabant, cuius in fundo earum origo fuerit, quamuis ramos, adeoque et fructus, qui in illis reperiebantur, illius esse censerent, cuius fundo imminebant, adeoque huic et arborem subluendi, et fructus inde colligendi, ius esse statuerent. *)

*) Huc pertinent verba *IVR. PROV. SAX. Lib. II. Cap. LII. Seine baumzweige sollen auch über den zaun nicht geben noch hangen, seinem nachbarn zum schaden.* Quae explicatius traduntur in *IVRE WEICHB. Art. CXXV. Wo auch ein baum zwischen zweyen reinen stehet, vnd breitet die zelgen in eines andern mannes hoff, der herr mag ihn wol verbauen, ob er will, vnd hanget obß in seinen hoff.*

das ist zu recht sein. Quod principium et ex ICtis Romanis sequutus videtur POMPONIVS l. 6. §. ult. ff. arb. furt. caes. Singulare est quod de lupulo sancit IVS PROVINC. SAXONICVM ibid. Flicht sich der hoppe über den zaun, wer die wurtzel in dem hoppe hat, der greiff über den zaun, so er alternächst möge, und ziehe den hoppen. Was ihm folget, das ist sein, was aber an der andern seiten bleibet, das ist seines nachharn.

§. LXX.

Et domi-
nio ar-
borum
fructu-
umque.

Parum ergo de radicibus arborum et plantarum solliciti erant gentes Germanicae, etiam quando de fructuum dominio quaerebatur, sed cuius fundo rami imminebant, ei et fructus veluti offerri videbantur. *HVBER. praelect. ad tit. Inst. de rer. diuis. §. XXV. Hinc recte putat THOMAS. not. ad Inst. p. 146. cessasse apud Germanos interdictum de glande legenda, nec dubitat, quin moribus Germaniae semper licuerit plantam vel arborem suam vindicare, et eximere ex alterius solo, si in eam caderet adfectio.*

§. LXXI.

Nec non
de fru-
ctibus a
b. f. pos-
sessore
percep-
tis.

Ad accessiones mixtas etiam pertinet PERCEPTIO FRUCTVVM. Hos enim bonae fidei possessori tunc adiudicat ius Romanum, si iam percepti, vel a fundo sint separati, ac proinde pendentes nec ad usufructuarii, nec ad coloni heredes pertinere, nec, superueniente vero domino, agrumque vindicante, possessori adquiri, statuit. At iure Germanico fructus semper cepisse eum, qui agrum bona fide conseuit, iam supra (§. LXIX.) diximus.

ximus. Et notum est Germanorum principium: *Des mannes saat, die er mit seinem pflug würcket, die ist verdient, als die egde darüber gehet, vnd des gartens, als er gerodet, gesäet, vnd gehacket ist.* IVS PROV. SAX. Lib. II. Art. LVIII. Fructus quoque ciuiles et census, quorum dies iam venerat, ad heredem pertinebant. *)

*) In IVRE PROV. SAX, *ibid.* vocantur *verfessene oder verdiente Zinsen.* Plerorumque autem censuum diem venire ait REPKOVIVS die S. Martini, (al. Bartholomaei,) decimae ouium, (*des lämmer-zehendens*) die S. Walpurgis: decimae anserum die adsumptionis Mariae (*zu vnser lieben frauens tag würtzweibe*), decimae carnis (*des fleisch-zehendens*), si pecunia redimitur, die S. Ioannis baptistae, si non redimitur, simul ac pecora nascuntur. Decimarum frumenti (*aller korn-zehenden*) die Margarethae, *was aber ehe geschockt ist, davon ist der zehende eber verfallen*: decimarum ex vineis et hortis (*des wein-garten- vnd baumgarten-zehenden*) die S. Urbani. Pensionum denique, ex molis, vegetalibus, monetis et vineis soluendarum, diem venire, quando de eius solutione conuenerit, ostendit idem REPKOVIVS. Quae omnia fere ruri hodie quoque obseruari, nemo ignorat.

§. LXXII.

Vt iam porro ad modum acquirendi *deriuatiuum*, puta TRADITIONEM, progrediamur: ea apud veteres Germanos sollempnissime fiebat, si bona immobilia, aliaeque res pretiosae, tradendae essent. *Primo* enim non temere id nudis verbis, vel remotis arbitris, fiebat, sed confectis instrumentis, veluti apud Wisigothos, (vid. LEG. WISIG. Lib. V. tit. II.

Modus
adqui-
rendi
deriuati-
uus tra-
ditio, fa-
cta prae-
sentibus
testibus.

§. VI. LEG. BVRG. tit. LX. §. I. sequ.) vel adhibitisque testibus, non modo iustae aetatis, verum etiam pueris, quos pugnis caedebant, etiam nihil mali mali meritos, ut rei eo magis essent memores. *) LEX RIPVAR. Tit. LX. §. I. *Si quis villam vel vineam, vel quamlibet possessiunculam, ab alio comparauerit, et testamentum accipere non potuerit, si mediocris res est, cum sex testibus; et si parua, cum tribus; quod si magna, cum duodecim ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat, et sic eis praesentibus pretium tradat, et possessionem accipiat, et unicuique de paruulis alapas donet, et torqueat auriculas, ut ei postmodum testimonium praebeant. Si autem testes non potuerit congregare, ut ei testimonium praebeant, tunc rem suam cum sex siue cum septem cum sacramenti interpositione sibi studeat euindicare.*

- *) Ritus vellendi eorum aures, quos memores esse rei vellent, Romanis quoque fuit frequentissimus, de eoque cum nos diximus alibi, tum LINDENBR. in *Glossar.* p. 1360. et alij viri docti, explicantes phrasas: *antestari, aurem vellere*, et similes. Aures testium non modo vellebant, verum etiam torquebant, quin ipsos testes auribus trahebant Germani, in primis Boii, quibus veluti proprius hic ritus fuit. Vid. LEX. BAIUVAR. Tit. XV. §. II. tit. XVI. Cap. II. §. I. et Cap. III. §. V. LEX. ALAM. Tit. XCIV. nec non diplomata in CHRON. REICHERSB. ad ann. MCLII. et sequ. pag. 193. 212. Eadem erat alaparum pueris inflictarum ratio, cuius moris vestigia in Gallia quoque sua deprehendit STEPH. BALVZ. ad Leg. Ripuar. tit. LX. p. 997. Tom. II. Capitulum. In Germania ipsi ruri vidimus pueros in iustrationibus finium a parentibus alapis et flagris caedi, etiam

etiam nullius facinoris reos, vt eo minus rei gestae memoriam deleret obliuio. Et hinc originem phraeos Germanicae *einem einen denckzettel geben* eleganter deriuat ECCARD. *ad leg. Sall.* p. 224.

§. LXXIII.

Deinde non omnes traditiones priuatim Inuidiebant, sed pleraeque in iudicio, vel malló cio. publico, quod a *tungino* i. e. *decano* vel *centenario* indicebatur sub scuto, adhibitis tribus hominibus, procul dubio scabinis, vel saltim ingenuis: *schoeppenbar freyen Leuten*. Bonorum saltim traditionem hoc modo adacta fieri iubet LEX SAL. *tit. XLIX. edit. HEROLDI.*

§. LXXIV.

Tum porro Germanis sollempne erat res tradere, adhibitis quibusdam symbolis, ritibusque in sensus incurrentibus, quorum plurimi passim in veteris aevi monumentis occurrunt. Ita solebant veteres, fundum tradituri, glebam cum ramusculo eruere cultello, eaque omnia alteri, cui rem traditam vellet, offerre, vel, si ecclesiae quid tradituri essent, altari imponere. *) Quae ipsa est Danorum SCOTATIO, cuius meminit Pontifex c. 2. X. *de consuetud.* Vid. STRAVCH. *amoenit. iur. canon. eclog. V.* et GVNDLINGIANA *part. VII. diss. IV.*

*) VITA S. BERLENDIS n. V. *Quidquid habebat in praediis cum omni familia seruorum ancillarumque cum CAESPITE et RAMO CVLTELLOque cum manubrio albo, tradidit.* Eadem formula exstat apud BOLLAND. *in Vit. S. Gertrudis* p. 600. et aliis locis, quorum

indiciū fecit CAR. DV PRESNE *in Gloss. Lat. voce Inuestitura.* Iis iam addo exemplum Ezonis, Comit̄is palatini, qui teste MONACHO BRAUVILERENSI *in vita Ezon. et Mathild. apud LEIBNIT Script. rer. Brunsv. Tom. I. p. 315.* Mathildae, sponsae, RAMVSCVLVM arboris eiuſdem terrae, inuolutum CAESPITE, accepit, et cum eodem Brunwillerense praedium, et alia proprii iuris plura, in dotem tradidit. Quibus addit monachus: eundem ramusculum in doni testimonium facti longa viroris gratia iucundum permansisse.

§. LXXV.

Per festucam vel laisowerpum. Nec minus notus erat ritus FESTUCAM vel, uti est in TRADIT. FVLVD. *Lib. I. n. V. et X. apud PIST. Tom. III. p. 489. et 490.* CVLMVM in alterius sinum proiciendi in signum factae rei traditionis. Quum vero sinus maioribus nostris esset LAISA: hinc actus illę traditionis vocabatur *laisowerpum*, et, qui tradebat, is *guerpire*, *werpire* (*wërffsen*) vel *laisowerpire* *) dicebatur. MARCVLF. *form. Lib. I. Cap. XIII. Villas nuncupatas - - per festucam visus est WERPISSE vel condonasse.* Et LEX SALICA *tit. XLVIII. Festucam in laisum iactet*, ubi plura ECCARDVS *in not. p. 91.* Add. FORM. LINDENBROG. *Cap. XLIII.* et quae ad Marculfum notauit BIGNON. *pag. 273. sequ.* Et hinc EFFESTUCATIO illa, in donationibus, venditionibus et cessionibus frequentissima, de qua ex instituto egit FRIDRICVS A SANDE.

*) Inde ECCARDVS *ad Legem Salic. p. 92.* ingeniose, sed parum probabiliter, arcessit verbum Germanicum *leisten*, quod idem esse putat, ac *insinuare* vel *praestare*. Enimuero et contorta videtur etymologia, et prior illa, quam verbo Germanico attribuit, notio non minus ignota, quam exemplis ab ipso adlati

latis inconueniens est. Eius generis sunt per multa, quae ingenium istud illustre peperit.

§. LXXVI.

Festucae FORMVLA LINDENBROG. *Cap. CLIII.* Per an-
iungit ANDELANGVM, de quo nos quaedam ^{delan-}
iam supra dicere meminimus, (*Lib. I. §. gum.*
CLXXXIII. *) vbi ostendimus, esse vocem
vere vernaculam, *hand-langen*, siue res e
manu in manum tradita, siue oblata festuca,
stipula vel culmus, siue, quod magis verosi-
mile arbitramur, traditio firmata sit stipulata
manu, *vermitteltß handschläges*, quem ritum
maiores nostri in nullo temere negotio ciuili
praetermiserunt. *)

*) Inde verbum *handeln* deriuat ECCARD. *ad Leg. Salicæ*
p. 73. quia ab antiquo contractus manuum datio-
ne inibantur. Itemque *p. 59.* ANDELAVM inter-
pretatur *handschlag*. Sane traditionibus quo-
que accessisse hunc ritum, patet ex hac charta
Matisconensi apud CAR. DV FRESNE *Tom. II. Gloss.*
p. 414. *Misit autem manum super manum domini*
Hugonis, Diensis episcopi, et Romani, legati, quasi
in loco sacramenti, ne aliquis filiorum vel successo-
rum suorum hanc verpitionem praesumeret infringere.

§. LXXVII.

Enimuero, vti haec veluti legitima erant Per por-
traditionis symbola: ita non pauciora plane ^{rectas}
a tradentium arbitrio pendebant. Hinc pas- ^{alias res}
sim occurrunt traditiones, factae per gla- ^{quas-}
*dium, baculum, herbam, chirothecam, viri- ^{cumque,}
dem scirpum, glebam vel vasionem, cultel-
lum, annulum, bibliothecam, candelabrum,
canes venaticos, capillos, coronam, folium nu-
*cis,**

cis, funes, hastam, lapidem, lignum, linteum vel lini portiunculam, nodum, notulas, ostium, pallam, pisces, pileum, panem, spathae capulum, veru, vexillum, virgam, zonam. Quae omnia, petitis ex antiquitate exemplis, illustrat CAR. DV FRESNE in *gloss. Lat. Tom. II. p. 105. sequ.* Quamvis quaedam horum symbolorum ad ritus paullo ante descriptos pertinere videantur. *)

*) Sic eiusdem naturae videntur traditiones per *gladium, cultellum, spathae capulum, veru.* Easdem quoque censemus traditiones per *festucam, baculum, viridem scirpum, lignum, virgam.* Denique nec differre arbitramur traditiones per *caespitem et rathusculum; herbam, glebam, wasionem vel quasionem* (Saxones enim et hodie glebam vel caespitem vocant *einen Wasen,*) *folium nucis.* Ceterum videtur quisque adhibuisse symbolum, quod rei convenire videbatur, adeoque innumera illa fuisse existimamus.

§. LXXVIII.

Propinatio loco traditionis.

Id vero maiorum moribus vel maxime conuenit, quod ne hunc quidem traditionis actum sine symposio, vel certe sine vini vel potus patrii hauſtu, explicarent. Nam quando etiam ecclesiis res suas tradebant, exhausto cornu, *) vino repleto, res illas caeliti alicui se propinare dicebant. Charta apud CAMBDEN. in *Britann. topogr.* *Indilato Eboracum diuertit, et cornu, quo bibere consuevit, vino repleuit, et coram altari Deo et beato Petro, apostolorum principi, omnes terras et reditus, flexis genibus, propinauit.*

*) Et

- *) Et haec est traditio PER CORNV, de qua idem CAR. DV FRESNE *sub voce Cornu. T. I. p. 1222.* EV. OTTO *in iurispr. symb. Exerc. I. Cap. XI. p. 67.* Solebant enim Germani cornibus bifontum pro poculis vti, ceu probant GLVVER. *Germ. ant. Lib. I. Cap. XVII. OL. WORM. de cornu. auro p. 23.* et STEPHANIVS *ad Sax. gramm. p. 127.* Hinc inter S. Euerardi legata apud MIR. *donat. Belg. Cap. XXI.* est *scyphus eum CORNV et argento.*

§. LXXIX.

Ne vero exolesceret traditionis tam folle- Symbola
mnis memoria: solebant Germani huiusmo- traditio-
di traditionis symbola in templis, archiuis, nis ad-
aliisque publicis locis adseruare, *) ceu ex- feruata,
emplis demonstrarunt SIRMOND. *ad Goffred. vel di-
Vindoc. Lib. I. Epist. VI.* et CAR. DV FRESNE plomati-
Glossar. Lat. Tom. II. p. 104. qui etiam obser- bus ad-
uat, exstare chartas et diplomata, quibus ad- futa.
futae fuerint tales traditionis rite factae tesserae, veluti festucae, ligni frustula, numi, baculi, corrigiae. Cuius antiqui moris exempla attulit etiam MABILLONIVS *Aët. SS. ord. Benedict. Tom. IV. in vita Fulradi Abb. n. XIX.*

- *) At idem tamen etiam obseruat, Anglos et Francos huiusmodi symbola saepe corrupisse, fregisse et inutilia fecisse, ne in aliorum inciderent manus, aut occasionem darent calumniae forensi. Praeter exempla ex tabulariis Pictauiensi, Vindocinensi et Bellouacensi eruta, in primis huc pertinet illud Eadgeri Regis, quod describit GVIL. MALMESB. *de gest. Angl. Lib. II. Cap. VIII.*

§. LXXX.

Quamuis autem symbola huiusmodi, quae Vestigia
rudioribus gentibus in vsu esse solent, paul- huius
latim moris et

saeculis
inse-
quenti-
bus su-
perfue-
runt.

latim exolefcerent in Germania: mansere ta-
men variae prisca moris reliquiae, veluti tra-
ditionis per caespitem et ramum, cuius exem-
plum ex Ottonis tertii saeculo paullo ante at-
tulimus, (§. LXXIV. *) festucae iactus vel ef-
festucationis, quae non modo in diplomati-
bus, a MIRAEO editis, saepenumero memora-
tur, sed et hodie in vsu est in Geldria ac vi-
cinis prouinciis, ibique vocari solet *opdracht*
vel *transport*. *) Denique rerum immobi-
lium traditionem et insequentibus saeculis in
Germania non aliter, quam ad acta, et ad-
hibito sollemni resignationis et inuestiturae
ritu, fieri potuisse, satis notum est ex IVRB
WEICHB. Art. XX. et IVRE PROV. SAX. Lib. I. Art.
XXXIV. et LII. et Lib. II. Art. XXX.

*) FRID. A. SANDE de *effestucat. in prooemio n. 2.* Cir-
ca immobilium, inquit alienationes, atque acqui-
sitiones multa in hac ditione indies vsu veniunt,
quae non tam iuris Romani decisionibus, quam re-
ceptis quibusdam morum sollemnibus eorumque ra-
tionibus decidi consueuerunt. Adeoque recte ob-
seruat, Germanicam esse effestucationis origi-
nem. Ipsum vero ritum prolixius describit
SANDIVS Cap. II. et in additionibus ad hoc caput
LAMB. GORISIVS, qui et alibi de eo accurate agit
in *aduersar. ad consu. Geln. tract. III. part. I. Cap.
I. n. IV. §. XIII. sequ.* Vterque etiam auctor
eruditissimus plures huiusmodi chartas et formulas
antiquas aequè, ac recentiores, quae hunc ritum
mirifice illustrant, collegit.

§. LXXXI.

Axioma-
ta de ad-
quirendi
modis

Ex his ergo, quae adhuc ex antiquitatibus
Germanicis exposuimus, colligimus, I. iure
Germanico pleraque *adscripta* alicuius mo-
menti

menti esse in dominio reipublicae vel principis. II. Accessiones naturales eatenus tantum sequi principale, quatenus e re ipsa proveniunt, vel quoties prioris domini ius illiquidum est. III. In industriali accessione praecipuam esse dispectionem, pretiumne adfectionis res inseparabilis admittat, nec ne. IV. Idemque fere in accessionibus mixtis expendendum esse. V. Traditionem rerum immobilium plerisque locis, ubi ius Romanum iuris patrii luminibus nondum offecit, sollempniter, et non nisi apud acta, fieri solere.

§. LXXXII.

Quum ergo iure patrio pleraque *ἀδίδωρα* Venatio alicuius momenti sint in dominio reip. vel principis: (§. LXXXI, 1.) fieri non potest, 1) quin et ius venandi sit penes solos principes, vel 2) eos, quibuscum illud communicatum est. *) HEIG. *Part. I. Quaest. XV. n. 33.* CARPZ. *Part. III. Const. XXXII. defn. XVII.* GROT. *Introd. Lib. I. Cap. XIV.* Et quamvis 3) non abs re existimemus, ingenuis omnibus olim venari licuisse in praediis suis subditorumque, tum feudalibus, tum allodialibus: res ipsa tamen docet, 4) fiscum illis negotium faceffere, qui eo iure speciatim non sunt inuestiti, et 5) saltim venationes maiorum ferarum principi vindicare, nisi instrumenta inuestiturae diserte meminerint *der hohen vnd niederen jagden*. Vid. SCHILTER. SCHVLZ. HOPP. *ad Inst. Lib. II. tit. I. §. XII.*

*) Nec

*) Nec tamen Germani omnia animalia referunt ad feras bestias, quae Romani eo referre solent, adeoque ex eorum principiis ludibrium deberet vulgo, qui columbas vel pauones venari veller. Potius WEICHB. MAGDEG. *Art. CXVIII.* columbas, cornices, picas, pauones, accenset animalibus, *die nicht grimmend sind.* Statuit tamen, eas aves, euolantes in campum, communes fieri, non autem alias, quarum mansueta natura sit. Contra *Art. CXIX.* de ape ait: *Die biene ist ein wilder wurm,* additque si examen euolet in vicini aream, hunc illud potiore iure sibi vindicare, quam priorem dominum, illud persequentem. Quod ad gallinas attinet, vicino earum alis iure Germanico licet pennas euellere, si in eius fundum euolarint, ibique damnum dederint. IVS PROV. SVEV. *Cap. CCCLX. §. I.* Conf. THOMAS. *not. ad Inst. p. 127. sequ.*

§. LXXXIII.

Feras capere priuatis prohibetur.

Ex eodem axiomate reddi potest ratio, 6) cur ferarum quoque furtum fieri possit in Germania, eiusque furti rei 7) non modo poena extraordinaria, damnique aestimatione puniantur, sed et 8) aliquando capitis damnentur, si vel vi vsi sint, vel aliae atrociores circumstantiae accedant, vel illi hoc furti genus, tamquam artem, diutius exercuerint: Videatur ANT. SEIDENSTICKERI *dissert. de furib. ferarum*, Helmstädii defensa. 9) Cur non modo siluae, sed et 10) agri, sanctione poenali muniantur, et tunc eo grauius plectantur, qui locis his, *auf gehegter wildbahn*, feras vulnerare vel persequi ausi sint.

§. LXXXIV.

§. LXXXIV.

Ex eodem principio vere Germanico intelligitur, 11) cur quamvis et ingenuis vasallis ius venandi concedatur: principis tamen sit, dare operam, ne illi eo iure abutantur in perniciem reipublicae: ac proinde ille 12) leges condere de modo venandi: quin 13) istis anni temporibus, intra quae feras agit Venus, venationibus plane interdicare possit, et feueris propositis edictis interdicare soleat. Id quod vocant *die brunst- und setzzeit*. Vt iam non dicamus 14) de edictis, quibus plebei cum sclopetis, canibusque venaticis per silvas et saltus vagari prohibentur.

§. LXXXV.

Quum et aucupium sit species venationis: Aucupium 15) principes sibi plerumque reseruari, vel saltum cum paucissimis communicare solent ius capiendi aues, vel gustu praestantiores, veluti perdices, ardeas, phasianos, vel 16) capturam earum cum aliqua voluptate coniunctam, veluti per falcones, *die reigerpeize*, per laqueos, *das lerchen-streichen*, per insidias, *die auerbahn-palze*. GROT. *introd. Lib. II. tit. IV.* Quin 17) aues rariores vel timidiusculas sanctione poenali aliquando muniri animaduertimus, veluti luscinnias, phasianos, et similes. *)

*) Hinc passim in silvis ac nemoribus picturas deprehendimus, arboribus vel columnis adfixas, quae sistunt hominem vehiculo adfixum catenis, vel fustibus caesum, cum lemmate, hanc poenam daturus omnes, qui phasianum occiderit, ova eorum

eorum furto subtraxerit, repagula, quibus siluæ munitæ sint, perfregerit, cetera.

§. LXXXVI.

Item- que ius piscandi. Experientia etiam docet, 18) ex eadem ratione et ius piscandi in fluminibus publicis ad principem, eosque, quibus illud concessit, pertinere, GE. SCHVLZ *ad tit. Inst. de rer. diuis. litt. B.* et 19) quamuis plerumque principes id ius aliis locent, vel pro canone annuo concedant, eos tamen 20) sibi haud raro reseruare pisces nobiliores, veluti, salmones, et similes: et hinc 21) aucupium et piscationem non minus, quam venationem, regalibus in Germania accenseri. SIM. VAN LEWEN. *cenfur. for. Part. I. Lib. II. Cap. III. n. XII.*

*) Hinc tabulata illa et clathra, intra quæ capi solent salmones, *der lachs-fang*, plerumque principum sunt, nec aliis temere permittitur, vt huiusmodi quid immittant fluminibus. Idem de captura muraenarum, aliorumque rariorum et gulam irritantium piscium, tam notum est, quam quod notissimum.

§. LXXXVII.

Qualis occupatio bellica? PRAEDA, bello capta, quum ad occupationes rerum nullius non nisi per fictionem referri possit, et potius ex iure, quod hosti in hostium personas et res competit, deriuanda sit, huc vix pertinet. Paucis tamen monemus, 22) res hostium, captas actu bellico, adquiri principi vel reip. cuius auspiciis bellum geritur, nec 23) singulis cedere, quod ceperint, (adeoque hodiernis moribus concinnam

cinnam non per omnia esse dispositionem LEGIS EQVESTRIS MIL. *der Reuter-Ordn. MDLXX. Art. XCIV. sequ.* qua aliquanto plus indulgetur praedonibus,) nisi quid per excursions ceperint, vel 24) praeda ab imperatore bellico concessa sit urbem vel castra diripientibus, *) vel 25) quibusdam permittatur, vt suo sumtu et periculo vel praedatum excurrant, vel hostium nauibus insidientur. GROTIUS. *de iure belli et pac. Lib. III. Cap. VI. §. XII. sequ.* GREG. THOLOSIENSIS. *syntagm. Lib. X. Cap. CCCCXV.*

*) Ast tunc quoque excepta esse censentur, quae extra priuatorum commercium sunt, veluti tormenta bellica, campanae, ecclesiarum suppellex, naues bellicae, eaque, quae ad rempublicam militiaeque administrandam pertinent, archiuua, horrea publica, *magazinen, vnd prouiant-häuser*, aerarium militare. Quin si quibus sit potestas praedandi, vel naues hostiles intercipiendi, id saepe ea lege fit, vt partem praedae respublica, partem imperator vel nauarchus capiat. GROTIUS. *Introd. Lib. II. part. IV. n. 31. et de iure belli et pac. ibid.*

§. LXXXVIII.

Sed et INVENTIONIS, quae iure Romano ^{Quid furis circa inuentionem?} tertia occupationis species est, ob eandem causam non adeo magnus vsus est in Germania. Principes enim 26) sibi non modo res nullius passim vindicant, si alicuius momenti sint, veluti gemmas, lapillos, electrum, IVR. PRUSS. *Lib. II. tit. I. Art. III. §. III.* metalla, mineras, marmora, sed et 27) res pro derelictis habitas, vt thesauros: *) de quibus iam suo loco diximus. (§. VIII. et XXIII.) conf. SCHVLZ. et HOPP. *ad §. 18. Inst. de rer. di-*

uis. SCHILT. *Exerc. XLV. §. XXVI.* quin pro duabus tertiis etiam res amissas, si dominus eas non repetat intra sex hebdomadas, vna tertia inuentori relicta. IVR. PROV. SAX. *Lib. II. art. XXXVII.* Quod tamen credo vix hodie obseruatum iri.

*) Quamuis enim id ius quarumdam ciuitatem legibus vel domino soli, vel inuentori, vel vtrique, diuisum tribuatur, veluti in Saxonia electorali, CONSULT. CONST. SAX. *Tom. I. Part. V. Cap. X.* et hinc verba SPECULATORIS *Lib. I. Art. XXV. Alle schätze unter der erde, tieffer, dann ein pfug gebet, gehören zu der königl. gewalt*, interpretentur de metallis subterraneis: memini tamen, fiscum haud raro inuentoribus facessere negotium, thesaurosque principi vindicare. Quamobrem plerumque homines clam et in latente habere solent thesauros, a se repertos, vt non possit non ea de re quaestio quam rarissime oriri.

§. LXXXIX.

Circa al- Ex principio, quod de accessionibus natu-
luuio- ralibus receperant Germani, (§. LXXXI, 2.)
nem et facile intelligitur, 28) eorum etiam moribus
vini flus FOETVM pertinere ad dominum ventris.
minis. 29) ALLVIONEM contra cedere fisco, si mare
aliquid terrae adiiciat: aliud tamen obtinere,
30) si fluuius aliquid adiiciat agro arcifinio, cu-
ius domino illud incrementum procul dubio
adquiritur: dissentiente tamen MYLER. *de prin-
cip. et stat. imp. Rom. Germ. Part. III. Cap.
LXVI. §. VIII.* 31) Id vero, quod accedit
agro limitato, vel aggeribus separato a flumi-
ne, vel principis esse, vel saltim vniuersitatis,
et referri *zur gemeinen huth und triffi.* *)
Deni-

Denique 32) quod vi fluminis fundo nostro adiectum est, procul dubio prioris domini manere. Vid. sententiam apud STRYK. *vs. hodiern. Lib. XLI. tit. I. §. XXII.*

- *) Ast nulla quidem in re magis discrepant non modo doctorum et curiarum sententiae, verum etiam gentium Germanicarum mores, etiam in Belgio, vbi ob fluminum frequentiam et impetum saepius, quam alibi, de huiusmodi incrementis quaestio oritur. Pluribus id demonstravit SIM. VAN LEEWEN *cenfur. for. Part. I. Lib. II. Cap. IV. §. 12. sequ.*

§. XC.

Multo minus dubitari potest, 33) quin INSVLAE, quae in mediis fluminibus publicis de nouo emergunt, non eorum sint, qui praedia vel ad vtramque ripam possident, vel si ripae alterutri propiores sint, ab iis, quorum agri ad eam ripam pertingunt, recte vindicentur, ceu ex aequitate cerebrina statuit OERTINGER. *de iure limit. Lib. II. Cap. III. n. XIII.* sed ad principem, cuius et flumen est, iure pertineant: *) GRYPHIAND. *de insul. Cap. XI. n. 61.* Attamen 34) hanc iuris dispositionem recte obseruari, si noua insula nascatur in flumine, bina territoria determinante, et inter principes de eorum dominio nascatur controuersia, facile concesserim. SCHVLZ. *ibid. tit. d d.*

- *) Hoc et iuri naturae conuenire, ita eleganter demonstrat THOMAS *in not. ad Inst. p. 131.* Quum insulae plerumque oriantur ex particulis terrae, agris vicinis per alluionem ablati: pristini domini amiserunt dominium suum, neque tamen

insula potest esse nullius, quum sit pars non agrorum vicinorum, sed fluminis, adeoque natura sua non pertinere poterit ad alium, quam ad dominum fluminis.

§. XCI.

Circa
alueum
dereli-
ctum.

Sed et 35) ALVEVS DERELICTVS. ex eodem iuris Germanici principio non vicinis adcrefcit, sed ad principem pertinet, cuius et flumen est: GRYPHIAND. *ibid. Cap. XI. n. 42. sequ.* ac proinde 36) si flumen limitaneum mutat alueum, et per principis vicini territorium ruit, iste nihil terrarum suarum amittit, *er verleast damit seines landes nicht*, IVR. PROV. SAX. *Lib. II. Art. LVI. *)* et praeterea 37) dimidiam alvei derelicti partem merito acquirit. Vnde et 38) in vicinis tractibus ingenuos a principibus inuestiri animaduertimus iure occupandi alueum derelictum. *Sie sind mit der alten Elbe belehnet*. STRYK. *vs. hod. Digest. Lib. XLI. tit. I. §. XIX.* VINN. *ad §. 22. Inst. de rer. diu. n. 7. et ad §. 23. n. 3.*

*) Quae verba quum de agro priuatorum perperam intellexerint doctores Saxonici: non mirum est, in Saxonia a communi reliquorum Germanorum principio descitum esse, alueumque derelictum attributum possessoribus praediorum vicinorum. CARPZ. *Part. III. Const. XXXI. def. XIV.* ZIEGLER. *de iure maieft. Lib. II. Cap. XV. §. XXV.* Ceterum inundationem ne hodie quidem quidquam circa fundi speciem mutare, palam est.

§. XCII.

§. XCII.

Quum porro in accessione INDUSTRIALI
 praecipua sit dispectio, pretiumne adfectio-
 nis res admittat, nec ne, itemque an sepa-
 rari queat: (§. LXXXI, 3.) consequitur 39)
 vt gemma alieno annulo inclusa eximenda,
 dominoque sine ambagibus reddenda sit,
 idemque 40) procul dubio obseruandum vi-
 deatur, si capulus adiunctus alieno gladio,
 nec non 41) si quid adsutum alieno vesti-
 mento, modo sine detrimento possit separa-
 ri. 42) Vt tigna iuncta, quia in ea raro ca-
 dit adfectio, et aestimationem facile admit-
 tunt, ne hodie quidem vindicentur, nec ta-
 men 43) locus sit actioni de tigno iuncto in
 duplum. STRVV. *exerc. XLVIII. §. XXXI.*
 SCHILT. *exerc. XLIX. §. XIII.* 44) Vt idem
 procul dubio dicendum sit, si quis bona fide
 sua materia in alieno solo aedificarit: quam-
 uis hunc tollere posse aedificium, si domi-
 nus soli aestimationem praestare nolit, iura
 Germanica concedant. IVS PROV. SAX. *Lib. II.*
art. XXXV. 45) Vt circa specificationem ma-
 gis aequitatem naturalem quam subtilem ICto-
 rum philosophiam obtinere oporteat.

§. XCIII.

Hinc 46) scripturam apud nos chartae ce-
 dere, non magis quisquam credet, quam 47)
 picturam esse accessionem vilissimae tabulae,
 quum in scripturam et picturam permagna;
 in chartam et tabulam nulla cadat adfectio.
 SCHNEIDEWIN *ad §. 33. Inst. de rer. diuis.* GROE-
 nem, confu-
 sionem.

NEWEG. *de legib. abrog. ad d. §. 33. Inst. eod.*
 At, 48) commixta ac confusa vtriusque voluntate, communia fieri, vnius facto et altero inconsulto commixta confusaque relinquenda esse commiscenti vel confundenti, *) et hunc damnandum ad aestimationem alteri praestandam, ipsa recta ratio suadet.

*) Quidquid enim ICTi Romani de particulis rerum commixtarum in substantia sua permanentibus, et hinc a domino vindicandis, philosophentur: haec tamen philosophia non est publici saporis, nec tam facile vindicantur grana tritici alterius hordeo mixta, quam boues, qui se alterius gregi immiscuerunt. Quin plerumque aut nullum, aut exiguum usum praestant res aridae, hoc modo commixtae, adeoque non sine iniuria obtruderentur ei, quo inconsulto illae commixtae sunt. Vt mireradeo, ius Romanum, quod §. 27. *sequ. Inst. de rer. diu.* hac de re explicatur, in viridi obseruantia esse credi a *strykio vs. bod. Dig. Lib. XLI. tit. I. §. XXVII.*

§. XCIV.

Circa
 satio-
 nem et
 planta-
 tionem.

Quumque idem obseruandum sit de accessionibus mixtis: (§. LXXXI, 4.) consequens est, 49) vt qui bona fide alienum conseruit agrum, vel aestimationem sementis, et impensas in culturam factas recipere, messemque domino agri relinquere teneatur, ceu et Romanis visum est, vel, 50) si hic aestimationem praestare nolit, messem sibi iure vindicet, pensione domino exsoluta, quod ius Saxonicum velle vidimus. 51) Vt plantarum et arborum dominium hodie quoque magis ex trunco et ramis, quam ex radicibus, aestimetur, ac proinde 52) vicinus et ramos

ramos fundo suo imminentes coercere, et
53) fructus ex iis prouenientes sibi vindicare
possit. SCHNEIDEW. *ad §. 31. Inst. de rer. diuis.*
n. 5. CARPZ. Part. III. Const. XXXII. def. XXV.

§. XCV.

Quae de bonae fidei possessore diximus, ea et hodie obtinere arbitramur, vbi ius Romanum mores patrios nondum egit in exilium. Saltim 54) ea, quae de fructibus occidendo subactis, pensionibusque, quarum iam dies venit, supra ex iure Saxonico deseruimus, etiamnum in Saxonia valere, experientia docet. Ex moribus Germanicis forsan etiam est, 55) quod bonae fidei possessor, superueniente vero domino, et rem vindicante, fructus consumptos non omnes lucratur, sed restituere tenetur eos, quibus factus est locupletior. *) STRYK. *vs. hœd. Dig. Lib. VI. tit. I. §. XII.*

Circa
fructus a
bonae fi-
dei pos-
sessore
percep-
tos.

*) Id enim aliter se habere iure Romano, et b. f. possessorem domino rem suam vindicanti ex fructibus consumptis nihil restituere, quamuis factus sit locupletior, satis notum est. *l. 4. §. 2. ff. fin. reg.* quamuis hereditatis petitione conuentus possessor bonae fidei, ex consumptis restituat illos, quibus factus est locupletior. *l. 22. l. 25. §. 11. 15. l. 36. §. 4. l. 40. §. 1. ff. de her. pet.* Vtrum vero ius Germanicum antiquum ea in re retinuerint Icti patrii, an, quod magis crediderim, ab hereditatis petitione argumentum duxerint ad rei vindicationem, nondum mihi liquere, fateor.

§. XCVI.

Denique ex vltimo axiomate, (§. LXXXI, Circa 5.) reddimus rationem, 56) cur, vbi ius Saxonicum traditionem re-

rum im-
mobi-
lium.

nicum et Lubecense viget, hodie quoque in alienationibus immobilium requiratur resignatio ad acta, et hinc 57) dominium civile ne in emtorem quidem transferatur, nisi a magistratu inuestitum, *wann der verkäufer nicht die lehen aufgelassen, vnd der käuffer das grundstück in lehen vnd würden überkommen*, vel 58) iure Lubecensi ius suum venditor eorum senatu emtori cesserit, et huic fundus descriptus fit in libro publico. MEV. *ad ius Lubec. Lib. III. tit. VI. art. I. n. 3. sequ.*

§. XCVII.

Eiusque
varia
symbo-
la.

Quin nec 59) traditionis symbola quaedam, qualia supra descripsimus, hodie profus obsoleuerunt. Nam, praeterquam quod 60) effestucatio in Gelria vicinisque provinciis et hodie obtinet, LAMB. GORIS. *Aduerser. Tract. III. P. I. Cap. I. n. XIII.* HVBER. *praelect. ad Inst. Lib. II. tit. I. §. LVIII.* non aliunde est, 61) quod si quando in Saxonia immissio fit in praedium, nouo possessori traditur festuca, ex ianua vel arbore excisa, KEYSER, *anweis. zum hulfss-proc. Cap. III. §. VII.* itemque 62) quod adprehendentes possessionem praedii, non solum festucam, sed et glebam excindere, vel ramusculum ex arbore defringere soleant, eaque omnia, tamquam signa adquisitae possessionis secum auferre, quin et notarios, vt hoc in instrumentum publicum referant, monere soleant.

TIT. IV.

DE MODIS ADQUIRENDI IVRIS CIVILIS, SPECIATIM DE VSVCAPIONIBVS, VEL PRAESCRIPTIONIBVS, ET INVESTITVRIS.

§. XCVIII.

PLures acquirendi modos, cum VNIVERSALES, tum SINGVLARES, inuenerat ius ^{Modi} adquirendi ^{adqui-} ciuile Romanum, quos omnes ignorandi ^{rendi ci-} bant Germani. Nam quod ad VNIVERSALES ^{uiles, v-} attinet, tantum abest, vt his vel notae vel ^{niuerfa-} admodum vsitatae fuerint acquisitiones per ^{lis, here-} *bonorum possessiones, adrogationes, addictionem bonorum libertatum seruandarum caussa, sectiones bonorum et ex SCo Claudiano,* vt harum pleraeque apud ipsos Romanos a Iustitiani temporibus exoleuerint. Nullus ergo alius Germanis in vsu fuit modus acquirendi vniuersalis ciuilis, quam HEREDITAS, sed de qua paullo post commodior erit dicendi occasio.

§. XCIX.

Nec magis modi acquirendi SINGVLARES ^{Singula-} plerique, de quibus tam subtiliter philoso- ^{res vsu-} phantur Icti Romani, moribus Germano- ^{cipio et} rum quadrant. DONATIO enim in Germania ^{inuesti-} vere pactum, adeoque titulus magis fuit, ^{tura.} quam proxima acquirendi caussa. LEGATA et FIDEICOMMISSA *singularia* fero innotuerunt Germanis, et de iis infra, vbi de vltimis voluntati-

luntatibus erit agendum, differemus: ideoque et hic vnicus superest modus adquirendi singularis, quem maiores nostri cum Romanis communem habuerunt, VSCAPIO, vel PRAESCRIPTIO, alter Germanis proprius, INVESTITVRA, *) de quibus hoc titulo agere consilium est.

*) INVESTITVRAM enim fuisse modum acquirendi, adeo extra omnem dubitationis aleam positum est, vt et *eventualis*, quam vocant, dominium transferre videretur. SCHILTER. *de simul. inuest. princ. Cap. I. §. III. p. 512. TIT. Teutsch. lehr. Cap. X. §. XXVIII. sequ.* quamuis vulgo dissentiant doctores. Hinc *II. feud. 8. pr. Rei autem per beneficium recte inuestitae vasallus hanc habet potestatem, vt tamquam DOMINVS possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare.* IVS. FEVD. SAX. *Cap. XXXIX. Ob auch ein mann dem andern sein gut außlässet von dem lebherrn, so hat dieser, dem es zu gut aufgelaßen ist, zu hand die GEWEHR daran, die zuvor des ersten mannes war.* Qualia etiam legas in IVRE FEVD. ALAM. *Art. LXXV. nisi quod explicatius resignationi accedere debere inuestituram, monet zu hant, so er das gut ENTPHÖHET, so hat er auch die GEWEHR an dem gute.*

§. C.

Vscapio vel praescriptio Germanorum cur tricennaria?

Quod ad VSCAPIONEM vel PRAESCRIPTIONEM attinet, (quod enim distinctis his nominibus exprimunt iura vetera Romanorum, id Germani promiscue vocant *die verjährung*,) nullum est dubium, quin veteres e republica esse existimarint, possessionem rerum saltim immobilium demum certam, litiumque ac sollicitudinis finem aliquando esse oportere. Quamobrem praescriptionis praesidio tutos esse

esse volebant eos, qui fundum xxx. annis possedissent, quia id pro saeculo habebant maiores nostri. *)

*) PLINIVS *Hist. nat. Lib. XVI. Cap. XLIV.* loquens de visco, religiose collecto a Druydibus: *Est autem id, inquit, rarum admodum inuentu, et repertum magna religione petitur: et ante omnia sexta luna, quae principia mensum annorumque bis facit, et AECVBI post TRICESIMVM ANNVM.* Germanis ergo ac Gallis saeculum erat xxx. annorum, vel, ut in LEGE WISIG. *Lib. X. tit. II. §. IV.* legimus, eo numero illis veritas PERFECTAE AETATIS compleri videbatur: quemadmodum Romanis saeculum erat annorum CX. HORAT. in *Carm. saec. v. 22.*

*Certus undenos decies per annos
Orbus ut cantus, referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Noctes frequentes.*

Chaldaei annorum CXX, ceu ostendit SCALIG. ad *Eusebii chron. p. 146. et in can. isagog. Lib. III. p. 251. 252.*

§. CI

Et hoc quidem triginta annorum spatium Eam in-
gentes Germanicae tantum non omnes suffi- cultat
cere putant ad rem immobilem vsuepatione apud
adquirendam, vel ius domini, eam vindican- Francos
tis, praescriptione excludendum. At nec decreto
tempus breuis facile admittebant, nisi vbi Childe-
ius Romanum mores patrios quodammodo bertii:
inquississet. Antiquissima lex est DECRETIO
CHILDEBERTI, Regis, apud LINDENBROGIUM et
BALVZIVM, vbi §. III. legimus: *Similiter Tra-*
iecti conuenit nobis campo, ut quaevis res ad
unum ducem vel iudicem pertinentes, per DE-
CEM annos quicumque incancesso possedit, nul-
lam habeat licentiam intertandi, nisi tantum
caussa

caussa orphanorum, usque ad xx. annos licentiam tribuamus. Si quis super hoc iudicium praesumserit intertari, solidos xv. soluat, et rem intertariam amittat. De reliquis vero conditionibus omnes omnino causas TRICENNARIA lex excludit, praeter id, quod in alia regna hucusque detinuit.

*) INTERTIARE, ceu ex codice antiquo bibliothecae regiae Franciae docuit BALVZ. *ad Capitul. Tom. II. p. 1228.* idem est, ac *tribus testibus adhibitis pergere ad eum, qui res possidebat, quas dicebat furto ablatas, et interdicere ei, ut non alienaret, sed ad iudicium veniret.* Hinc de sequestratione passim interpretatur ECCARDVS *ad leg. Sal. p. 73. et 93. et ad leg. Ripuar. p. 216.* Itaque intertandi ritus, de quo LEX. SAL. *tit. L.* et LEX. RIP. *tit. XXXIII. §. I.* praecipue pertinebat ad res mobiles, eaeque adeo ex lege Childeberti vsucapiebantur decennio, vel, si res pupillares furto subreptae essent, vincennio, modo in eodem ducatu vel comitatu essent reperiae. Ceterae res, puta immobiles, itemque actiones, triginta demum annis praescribebantur, nisi quod praescriptio plane non admissa videtur, si quis res mobiles extra ducatum vel comitatum detulisset, vel immobiles extra regnum sitae essent.

§. CII.

Et Capitularia Regum Francorum.

Idem et postea obseruasse videntur Franci, etiam in rebus ecclesiae et fisci, si quis contra illam vel hunc experiretur. LVDOVICVS PIVS *addit. IV. capitul. §. CIII.* *Vt de rebus ecclesiarum, quae ab iis per triginta annorum spatia sine ulla interpellatione possessae sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum nostrum pertinentes contineri solent.* Contra si ipsae ecclesiae

RES

res suas vindicabant, ipsis non obstabat nisi XL. annorum praescriptio. CAPIT. REG. FRANC. Lib. V. §. CCXXXVI. *Nec decem anni, neque viceni, vel xxx. annorum praescriptio religiosus domibus opponatur, sed xl. annorum curricula: et non solum in ceteris rebus, sed etiam in legatis et hereditatibus. *)*

*) Sed haec quidem non tam ex iure Germanico, quam Romano, esse videntur, quod ipsum quoque ecclesiis non nisi xl. annorum praescriptionem opponi patitur. l. 24. C. de SS. ecclef. Nou. CXI, Cap. I. Nou. CXXXI. Cap. VI. Libenter enim haec similiaque amplectebantur clerici apud Francos, et quamvis hi suis legibus viuerent, religioni tamen sibi non ducebant sacrificuli, profiteri, *ecclesiasticas res sub Romana lege constitutas esse*, ADREVALD. FLORIAN. de mirac. S. Bened. Cap. XXV. itemque *leges illas probare ecclesiam*. HINC. Op. Tom. II. p. 440. p. 509. 799. Hinc et illa quadraginta annorum praescriptio, ecclesiarum bono inuenta, mirifice placebat clericis, vti patet ex HINC. *ibid.* p. 739. vbi manifesto ad *legem Iustinianeam* prouocatur.

§. CIII.

Tenaciores patrii moris erant BVRGVNDI-
NES, qui eandem xxx. annorum praescriptio-
nem receperant in rebus immobilibus. Nam
LEGE BVRG. tit. LXXIX. §. III. cautum est, vt,
si impletis xxx. annis terra a quocumque etiam
peruasa fuisse dicatur, neque fuerit restituta,
dominus nihil sibi reddendum esse cognoscat,
itemque §. V. vt omnes in genere caussae, intra
xxx. annos non definitae, non amplius commo-
ueantur. Itaque xxx. annis apud Burgundos
et res soli praescribebantur, et actiones omnes
expi-

Nec non
leges
Burgun-
dicae.

expirabant: de praescriptione vero rerum mobilium nihil ea lege definitum reperimus.

§. CIV.

Et Wisigothicae.

Sed et REGES WISIGOTHICI, quamvis leges suas Romanarum lacinia non vna deformarent, ab hoc tamen Germanorum principio discedendum sibi haud putabant. Hinc *Lib. X. tit. II. §. IV.* praescriptionem xxx. annis circumferibunt, eamque *non quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum natura processisse*, censent. Eam porro non modo in rebus obtinere volunt, sed et *in causis omnibus, siue bonis, siue malis, aut etiam criminalibus.* *) *IBID. §. III.* Nec distinguere videntur res *mobilis* atque *immobiles*, saltim illarum non faciunt dilerte mentionem.

*) Ne tamen ii, qui rerum suarum curam ipsi agere nequeunt, earum dominio iusto citius priuarentur: eam praescriptionem sufficere noluerunt possessoribus seruorum fiscalium, et fugitivorum, *Lib. IX. tit. II. §. II.* rerum ad relegatos ac exiles pertinentium, *ibid. §. VI.* fortium Gothicarum et Romanarum, *ibid. §. I.* nec non pupillarium, *ibid. §. II. et IV.* siquidem seruorum huiusmodi et rerum pupillarium possessores non nisi annorum quinquaginta possessorutos praestabat, existens vero res suas repetentibus nulla omnino obstabat praescriptio.

§. CV.

Denique Langobardicae.

Sed et LANGOBARDICA LEX, ceu recte obseruat ANDR. BARVLO *comment. ad leg. Langob. tit. XXXVI.* eamdem praescriptionem requirit *in re mobili, quam in immobili.* Neutrae ergo res breuiore, quam triginta annorum, spatio acqui-

adquirebantur. Quaedam tamen singularia habet LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXXV. §. I. seq.* Si quis enim rem soli inter praesentes possederat, alter vero se vendidisse negabat, et tamen instrumentum libellatici contractus, quem intercessisse ferebat, producere non poterat: possessorem iureiurando firmare oportebat, se rem emisse. Si a tertio causam haberet, et quinque annos rem tenuisset possessor, aut sacramentum praestare, aut certamine singulari causam defendere tenebatur. Denique triginta annorum possessio tutum praestabat bonae fidei possessorem, modo hic, si de bona fide dubitaretur, eam iureiurando firmaret. *)

- *) Primo ergo et altero casu titulus erat probandus, vel iureiurando, si quis causam a vindicante haberet, vel singulari certamine, si a tertio. Postremo casu bona fides, si de ea non constabat, erat probanda, et quidem iureiurando possessoris. Adde, Langobardos xl. annorum praescriptionem exigere ad excludendum inter fratres familiae erciscundae iudicium; *Lib. II. tit. XXXV. §. VII. sexaginta, ad res fiscales vel principis acquirendas. IBID. §. VIII.*

§. CVI.

Sed quaeritur, an et ea, quae ius Romanum in usucapione requirit, veluti bona fides et iustus titulus, necessaria visa sint iure Germanico? Quod vix arbitramur adfirmandum, praeterquam quod Langobardi hoc a Romanis didicisse videntur, quorum in legibus inter malae ac bonae fidei possessorem diserte distinguitur. *Lib. I. tit. XXXV. §. V.*

et IX. Eosdem et tituli rationem habuisse, paullo ante vidimus. CONTRA EDICTVM THEODERICI *Ostrogothicum* §. XII. quamvis alioquin, ius Romanum sequatur in eo, quod possessionem auctoris etiam successoribus prodesse iubet, et minoribus praescriptionem currere negat, tamen in tricennaria praescriptione, nec vllum inter res mobiles et immobiles, bonam malamque fidem, discrimen statuit, et ne titulum quidem iustum exigit.

§. CVII.

Et iustum titulum. Idem dicendum de WISIGOTHIS, quorum in lege quamvis requiratur *iusta possessio*, *Lib. X. tit. II. §. IV.* non tamen vsquam vel titulum, vel bonam fidem exigit a possessore, sed tantum possessionem continuam, et nullo actu interruptam. *IBID. §. V.* Nec alia est CHILDEBERTI Regis, quam supra adduximus, sanctio. Quin in LEGE BVRGVNDICA tantum abest, vt bonae fidei iustitiae tituli habeatur ratio, vt ea diserte et tunc admittat praescriptionem, *si res a quocumque PERVASA fuisse dicatur.* Vt adeo ex iuris Germanici principiis solum temporis lapsus in praescriptione suffecisse, pateat.

§. CVIII.

Qualis sit praescriptio iuris Saxonici? Sed prouehimur ad medii aevi tempora, quibus mansit ius vetus Germanicum, vt praescriptio rerum immobilium xxx. demum annis impleteretur, quamvis pleraeque gentes aliquantulum temporis, tamquam super-pondium,

pondium, adicerent, veluti Saxones annum et diem. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXIX.* *An eigen vnd erbe mag sich der Sachß verschweigen bey dreysig iahren, iahr und tag, vnd eber nicht.* *) Res mobiles iure Saxonico praescribi anno et die, vulgo quidem tradunt, sed fateor, me id in iure Saxonico non reperisse, nec puto, textum *Lib. I. Art. XXVIII.* qui de praescriptione hereditatis vacantis agit, ad mobilia in vniuersum pertinere. SCHILT. *Exerc. XLV. §. XLIX.*

*) Ius etiam Saxonicum nusquam distinguit inter bonae ac malae fidei possessorem. Vnde recte calculum posuit THOMAS. *not. ad Inst. Lib. II. tit. VI. p. 160.* *Germani primario non respexerunt eo, ut ciues ad vigilantiam excitarent in vindicandis iuribus suis, sed ad solam utilitatem publicam, et litium terminationem, ut videlicet dominia rerum essent in certo. Ergo horum bonorum intuitu cognita ipsis fuit solum longissimi, non vero longi temporis praescriptio. Vnde verosimile euadit, eos in hac immobilium praescriptione nec requisuisse bonam fidem, nec iustum titulum, nec etiam vitium violentiae obstiruisse acquisitioni, sed solum fundasse se in praescriptione iuris gentium, iuxta derelictione praesumpta.*

§. CIX.

Apud ALAMANNOS vero plane nulla admissa Et iuris fuisse videtur praescriptio. SPECVLATOR Sueuici enim SAXO *Lib. I. Art. XXIX.* vbi, res immobiles aduersus Saxonem triginta annorum lapsu praescribi, monuit, statim addit: *Des reichs schatzkammer* (vetera exemplaria *dat ryke*) *vnd die Schwaben mögen sich nimmer verschweigen an ihrem angefallenen erb, die-*

weil sie es bezeugen mögen. Ex quo consequitur, *) vt iuris Romani lacinia sit, quam iuri patrio adfuit SPECVLATOR SVEVVS *Cap. CCLXV.* dum res mobiles triennio; immobiles decem annis inter praesentes, xx. inter absentes praescribi, docet.

*) Ergo vel inde patet, recentius iure Saxonico esse Sueuicum, quippe quod iuris Romani lacinia multo magis deformatum est, quam illud, adeoque iis temporibus scriptum sit oportet, quibus iam vbiq; vigeat iuris Romani auctoritas. Pluribus id demonstraui in *hist. iur. Lib. II. §. LXXII. seq.*

§. CX.

Triginta annorum praescriptio apud Belgas. Idem tempus praescriptionis et aliis originis Germanicae gentibus placuit. De Belgis enim scribit FRANC. ZYPAEVS *notit. iur. Belg. pag. 77: Mobilium vsucapio fere vbiq; hodie desit, et cum rebus soli eodem tempore praescribuntur, quod annis fere passim triginta absoluitur: vt et actiones personales annis durant triginta.* Enimuero et ibi triginta annis aliquantulum accedit, puta tempus trium annorum septendecim hebdomadum et bidui, id quod ibi vocant *het. deerte deel van hondert laeren.* *) GROT. *Introd. Lib. II. Cap. VII. n. XXXV.* LAMB. GORIS. *aduers. iur. Tract. III. Part. I. Cap. IX.* SIM. VAN LEVWEN *cens. forens. Part. I. Lib. II. Cap. X. n. XI.*

*) Non tamen per omnia conueniunt leges Belgicae. In Zeelandia enim immobilia inter praesentes xx. inter absentes xxx. annis praescribuntur. In agro Vornano triginta anni indistincte sufficiunt. SIM. VAN LEVW. *ibid. p. 109.* quod tempus Brabantinis

tinis quoque sollemne esse, patet ex CONSV. MACH-LIN. tit. XX. art. I. et CONSV. ANTV. tit. LXI. art. I. In Hollandia alicubi triginta annos in mobilium; tertiam saeculi partem in immobilium praescriptione requiri, tradit GROENWEG *de legib. abrog. tit. G. de praescript. trig. vel quadr. annor.* Denique ibidem et vnus anni et diei possessionem sufficere, si quis auctore praetore, bona fide, iustoque titulo fundum adquisuerit, ex urbium quarundam statutis docent GROT. *ibid.* SIM. VAN LEWEN. *ibid. n. XII. p. 110.*

§. CXI.

Similes sunt mores Gallorum omnium, Et Gal- qui non iure scripto, sed consuetudinibus, los. reguntur. Nam apud hos quoque praescriptio rerum, tum mobilium, tum immobilium, triginta annis absoluitur. IO. IMBERT. *enchirid. iur. Gall. pag. 376. sequ.* NIC. BOER. *consuet. Bituric. tit. III. §. VII.* CHASSAN. *consuet. Burg. rubr. XIII. §. VIII.* Sic mirus est gentium fere omnium Germanicarum originis consensus in tricennale istud praescriptionis tempus, ut dubitaturus sit nemo, quin hoc sit ius patrium et vere Germanicum. (*Lib. I. §. XIV.*)

§. CXII.

Repudium tamen huic communi Germa- Empo- norum consuetudini dederant ciuitates quae- riis con- dam, quibus commerciorum amplitudo pro tractiora fine erat. In huiusmodi enim emporiis con- praescri- tractiora esse oportere praescriptionis tempo- ptionis tionis tempo- ra, recte obseruant rerum ciuiliū periti. ra.
HERT. *elem. polit. Part. II. Sect. XI. §. V. pag. 447. et not. ad Pufendorf. iur. nat. et gent.*

Lib. IV. Cap. XII. §. V. MEV. ad ius Lubec.
Lib. I. tit. VIII. art. I. Exemplum iam vidi-
 mus Hollandorum, apud quos anni et dies
 possessio prodest, si res auctore praetore ad-
 quisita sit. (§. CX. *) Et quis nescit, excel-
 sius ibi commercia terra marique, quam vs-
 quam terrarum, florere?

§. CXIII.

Hinc Sed nescio, an vlla alia ciuitas ad hanc ci-
 Lubecae uilis prudentiae regulam magis se composue-
 et im- rit, quam incluta LVBECA, Athenae illae Ger-
 mobilia manicae, emporiumque splendidissimum.
 anno et Ex LVBECENSIVM enim IVRE et res mobiles,
 die prae- (Lib. I. tit. VIII. art. I.) et immobiles, (Lib.
 scribun- III. tit. VI. Art. III.) anno et die praescribun-
 tur. tur, nisi dominus extra territorium abfuerit,
 quippe quo casu ei adhuc conceditur annus
 utilis ad res suas vindicandas. Sed et actio-
 num apud Lubecenses vix alia nota est praes-
 scriptio, quam vel annalis, vel multo bre-
 uior. *) Vid. *diff. de praescript. annal. iur.*
Lubec. a iure comm. diuersa.

*) Sic annali praescriptione se tuentur homines proprii,
 qui interim quiete in possessione fuerunt libertatis,
 et in vrbe lares constituerunt. *Lib. I. tit. III. Art. III.*
 quamuis hoc urbem illam commune habere cum
 aliis, veluti Brema, Argentorato, Goslaris, Vi-
 enna, Lindauia, Northusa, Tremonia, Spira,
 demonstrare nos meminerimus in *differt. citato*
 §. XIII. Sic et ad euictionem rerum immobilium
 praestandam Lubecae nemo diutius, quam anno
 et die, obligatus est. *Lib. III. Tit. VI. Art. I.* Et
 bona vacantia, vertente anno, non vindicata ab
 heredibus, fisco adquiruntur. *Lib. II. tit. II. Art.*
 XIV,

XIV. aequae ac legatae, sub ea conditione relictae, si quis se proximum cognatum esse probaret. *Lib. II. tit. I. Art. IX.* Formam porro aedificii, quod annum et diem stetit, impugnare nemo potest: *Lib. I. tit. VIII. Art. II.* et dos, intra biennium non exacta, pro numerata habetur. *Lib. I. tit. V. Art. II.* Quin et istud impugnari nequit, quod relatum est in librum publicum (*in des Raths oberstes Stadt-Buch,*) si id intra annum et diem a nemine impugnatum est. *Lib. V. tit. VI. Art. I.* Sed et multo breviora ibi occurrunt praescriptionis tempora, veluti tridui, *Lib. IV. tit. IV. art. II.* trium mensium, *Lib. I. tit. II. Art. II.* quatuordecim dierum. *Lib. V. tit. VIII. §. II.*

§. CXIV.

Similis fere est Hamburgensium legislatio, Nec non siue quod vrbs illa florentissima, ceu THRACIGER suspicatus est, olim vsa sit iure Luburgensium, siue, quod vtraque vrbs leges suas ex eodem fonte hauserit. Annalis sane illius praescriptionis, etiam in rebus immobilibus obtinentis, vestigium exstat *IVR. HAMB. Part. II. tit. VIII. §. VII.* *Nach ausgang iahres vnd tages kan niemand verkauffte, verlassene, vnd in der stadt-buch zugeschriebene erbe anfechten, es sey dann, daß er durch rechtmäßige sache ausheimisch gewesen, so hat er billig von zeit der wissenschafft noch iahr vnd tag zu genieffen.* Denique eo iure aequae breui temporis spacio praescribuntur res per mare adlatae, de quarum praescriptione secundum ius Hamburgense singularis exstat *IO. SAM. STRYKII* dissertatio.

§. CXV.

Inuesti-
turae
vocabu-
lum an-
tiquum.

Talis ergo fuit in Germania ante intie-
ctum ius Romanum praescriptio. Alterum
adquirendi modum civilem, et Germanis
proprium, INVESTITVRAM esse diximus. Est
hoc vocabulum cadentis Latinitatis, at satis
tamen antiquum, si genuina est formula,
quam post alios attulit BARN. BRISSON, *de form.*
Lib. VI, pag. 501, TV, PASCVTI, FVSTE ILLVM
INVESTITO, TV, SEGNITI, FVSTEM MANV CAPI-
TO. Eam enim formulam ad aedium ven-
ditionem et traditionem pertinere, satis
constat, *)

*) Itaque inuestitura non modo in rebus feudilibus,
sed allodialibus quoque, maxime immobilibus, lo-
cum habebat: nec vlla temere fiebat traditio, cui
non accederet inuestitura, ceu superiore capite
ostendimus. (§. LXXX.) At proprie tamen ea
accedebat traditioni feudi, aliorumque praedio-
rum, quorum vile duntaxat dominium alicui con-
cedebatur. Et de hac demum inuestitura hic no-
bis sermo est.

§. CXVI.

SitneLa-
tinum,
an Ger-
mani-
cum?

Vtrum a *vestiando*, an a Germanico *vesten*,
befestigen vocabulum hoc natum sit, adhuc
sub iudice lis est. Quemadmodum enim a
Germanico *Brieff* est barbarum *breue*, a Ger-
manico *Rath* illud Italorum *rota*, a Germa-
nico *Stelle*, *stallus* et similia: ita fieri potuit,
vt Germanicum *vesten* vel *befestigen* eade-
ret in semilatinum *inuestire*. FR, A SANDE *de*
effestuc. Cap. II. n. X. sequ. GVNDLINGIAN.
Part. XII. n. II. §. VII. Sed verosimilius ta-
men

men est, ob formulam illam, ab ipsis Romanis, ut videtur, profectam. Latinum esse vocabulum, et ideo huic actui inditum, quia dominus directus ei, quem iuuestitum volebat, vestem aliquam vel chirothecam saltem, sollemniter porrigeret. *) SCHILT. *ad ius feud. Alam. Cap. IV. §. 59. sequ. et de inuest. simult. princ. Cap. I. §. I.*

*) In charta Liemari Archiep. Brem. apud LINDENBR. p. 168. *Super reliquias nostras CVM CHIROTHECA, sicut mos est liberis Saxonibus, tradidit curtim. Aderat Comes Fridericus, advocatus ecclesiae, qui chirothecam traditionis, sacris reliquiis impastam, ut mos est, abstulit.* Similia loca sunt apud eundem LINDENBROG. p. 169. et CAR. DV FRESNE *Glossar. Lat. Tom. I. p. 966. sequ.* vbi etiam ostendit, chirothecam huiusmodi *quantonem, quantum vel wantum* dictam esse. Sed et dominos feudorum vasallos suos donasse veste, dum eosdem inuestiebant, pluribus mediæ aevi exemplis erudite probavit illustris a LVDEWIG *de form. ducat. Brandenb. Cap. VIII. §. IV. litt. e.*

§. CXVII.

Erat ergo INVESTITURA actus sollemnis, quo dominus in alterum rei cuiusdam dominium utile transferebat, tradito rei symbolo, veluti hasta, chirotheca, veste, baculo, anulo, accedente nonnumquam fidei promissione iurata, et stipulatione seruitiorum militarium, aliarumque praestationum, veluti census, canonis, operarum, laudemii. Quae omnia passim tam accurate probavit CAR. DV FRESNE *in Glossar. Lat. sub voce inuestitura*, ut si eandem operam conaremur suscipere, actum agere merito videremur.

§. CXVIII.

Laudemium in inuestitura praestitum. Ritus inuestiturae fuerunt varii. Nam eadem, quae in traditionibus supra obseruata esse diximus, in inuestituris quoque tum va-
fallorum, tum censitorum, locum habuerunt. Id tantum obseruamus, eos quoque, qui inuestituram acceperunt, dominis praestare solitos varias res, tanquam redhostimentum factae inuestiturae, veluti conuulium lautum, vel par calcarium, vel chirothecarum, vel falconem, item canes venaticos, caponem, corniculum venatorium, pauonem faginatam, veruecem faginatam, vini modium, enses, equum. Quae res, quas sibi in prima inuestitura stipulari solebant domini, postea certa pecunia aestimatae, originem dederunt LAUDEMIIS. *) SIM. VAN LEWEN *conf. for. Part. I. Lib. II. Cap. XXI. n. 4. sequ.*

*) Edidit laudatus VAN LEWEN *ibid. p. 148. veterem* indicem, quo exprimitur, quanta pecunia singulae huiusmodi res in curia feudali Hollandica redimendae sint: ex quo adparet, coenam redemptam quinque florenis Carolinis, par canum venatoriorum, *een koppel wind-bonden*, sex Carolinis, par chirothecarum pro materiae diuersitate tribus vel quinque sestertiis, par calcarium decem sestertiis, enses duobus Carolinis, equum quinquaginta florenis, vinum Rhenanum sex sestertiis. Ex quo simul patet, ex iure Romano esse laudemia, ad quinquagesimae pretii partis modum redacta. Eidem VAN LEWEN *p. 149.* debemus indicem alium, quo expressum est, pro singulis monetis exoletis, ad quas illae res iam olim redactae sunt, quantum praestandum sit hodierni commatis numorum, ubi aestimari videmus *enen Engelsen nobel, eenen Vlaamsen nobel, eenen Vranckryksen scbild, een gouden*

den schild, een goude gulden, een gouden pennig, een pond, eene marck, eene once, een Kooninks-Tournoys, et monetas alias, pro laudemio soluedas.

§. CXIX.

Renouanda vero erat inuestitura a singulis possessoribus, ideo, quod olim sicuti feudorum, ita et aliorum praediorum, dominium vtile non nisi ad certum tempus, vel ad dies vitae, daretur. *I. Feud. II. §. I. Quod tametsi postea in bonis censiticis non minus, quam in feudis, mutatum sit: mansit tamen mos, vt noui possessores inuestiturae renouationem petere, eoque nomine praestare tenerentur laudemium, quo possessio veluti redimebatur a domino. Vnde et RELEVII vocabulum medio aevo inualuit. GVDELIN. de feud. Part. III. Cap. VI. n. XIII. SIM. VAN LEVW, Part. I. Lib. II. Cap. XXI. §. III.*

Quoties inuestitura renouanda?

§. CXX.

Sed haec quidem de inuestitura dicta sufficiant. Verbosior enim tractatio alterius loci est, et maiorem curam desiderat. Itaque methodi memores potius ex iis, quae dicta sunt haectenus, haec iuris Germanici eruimus principia: I. Germanos in praescriptione non distinxisse res mobiles ac immobiles, nec inter praesentes et absentes discrimen statuisse, immo ne quidem de bonae malae fidei possessione fuisse sollicitos, sed solius temporis lapsus, et quidem annorum xxx, habuisse rationem. II. Eam praescriptionem

Axiomata de v-
fucapio-
ne et in-
uestitu-
ra.

et

et dominium adiecisse possessori, et alterius actiones exclusisse. III. Inuestituram quoque alteri vel dedisse vel confirmasse dominium vtile. IV. Circulos tamen hos non parum turbasse receptum ius ciuile et canonicum.

§. CXXI.

An hodie vbi-
que di-
uerfa
mobi-
lium et
immobi-
lium
praescr-
ptio?

Ex primo itaque axiomate reddi poterit ratio, 1) cur et hodie quibusdam locis in Belgio eadem sit mobilium, ac immobilium, praescriptio, eaque 2) triginta fere annis, et quod excurrit, absoluat. FRANC. ZYP. *notit. iur. Belg. pag. 77.* 3) Cur eadem praescriptio tricennalis etiam in Saxonia, et vbi ius Culmense viget, obtineat, quamuis ibi mobilium praescriptionem anni et diei spatium finiant, nullo tamen iuris Saxonici textu satis euidente subnixi. CARPZ. *Part. II. Const. III. def. VI. n. IV.* ORD. POL. MAGDEB. *Cap. LII. §. I.* IVS PROV. PRUSS. *Lib. III. tit. IV. art. I. §. II.* 4) Cur, quamuis, recepto iure Romano, mores patrii non parum ceperint detrimenti, in paucis tamen Germaniae prouinciis iuris Romani principia per omnia feruentur. *)

*) Sic enim iure prouinciali ducatus Bauariae immobiles emtionis titulo comparatae, quinque annis inter praesentes, decem inter absentes praescribuntur; in reliquis ius ciuile feruatur. BALTHAS. *Resol. I. tit. IX. n. XVI.* Ita et IVS NORIC. *Part. II. tit. XVI. §. IX.* contra principia iuris Rom. in praescriptione mobilium inter praesentes et absentes distinguit. Qualia et alibi passim obseruare licebit.

§. CXXII.

§. CXXII.

Ex eo vero, quod ne bonae quidem fidei An bo-
olim iure Germanico ratio haberetur, (§. nae vel
CXX, 1.) esse arbitramur, 5) quod istius in malae fi-
Belgio ne hodie quidem habeatur ratio. SIM: dei vbi-
VAN LEVW: *ibid.* n. X. 6) Quod alicubi et beatur
res furtivae a tertio brevi satis tempore pos- ratio.
sint vsucapi. IVS LVBEC. *Lib. I. tit. VIII. art. I.*
IVS STAT. HAMB. *Part. II. tit. XIX. §. III.* 7)
Quod, vbi bonam fidem exigunt hodierni
mores, eam tamen praesumendam existiment
in praescriptione longissimi temporis vel tri-
cennaria. *) CARPZ. *Part. II. Const. III. Def. VI.*
et VII. STRYK. *Vf. hod. Lib. XLI. tit. III. §. II.*

*) Hoc vere ex Germanici iuris principiis est, atque
ita comparatum, ut iuris Romani et canonici do-
ctrinam de bona fide propemodum tollat. Hinc
THOMAS. *not. ad Inst. p. 161.* *Doctrina de bona fide*
et iusto titulo in praescriptione tricennaria parum
utilitatis in praxi habet, quum communiter statu-
ant practici, non opus habere possessorem, ut probet
bonam fidem, et iustum titulum, sed utrumque praes-
sumi, nisi ab adversario probetur contrarium.

§. CXXIII.

Quumque, vbi superest praescriptio Ger- Praescri-
manica, ea et dominium adiciat, et actiones ptio v-
excludat: (§. CXX, 2.) 8) consequens est, ut nius ge-
nulla inter vsucapionem et praescriptionem neris a-
differentia sit: et 9) ne quidem inter longum pud Ger-
ac longissimum tempus distinguatur, multo- manos.
que minus, 10) inter temporalem et perpe-
tuam praescriptionem discrimen sit, sed 11)
haec omnia ex iure Romano in mores Ger-
manicos migrarint.

§. CXXIV.

§. CXXIV.

Effectus
inuesti-
turae.

Quae de inuestiturae effectui diximus (§. CXX, 3.) ea et in Germania obtinent. Nam 12) eam consequuti dominio rei vtili fruuntur, et 13) non modo rem vindicant a quocumque possessore, sed et 14) fructus omnes ex re percipiunt, quin et 15) a domino, a quo causam et inuestituram habent, recte petunt euictionis praestationem, si res iure fuerit euicta, tantum abest, 16) vt a domino pro lubitu expelli aut praedio priuari possint.

§. CXXV.

Eius re-
quisita.

Quumque tunc demum id transferatur dominium, si rite facta est inuestitura (§. CXX, 3.) omnino requiritur, 17) vt eam possessor iusto tempore renouet, 18) et domino praestet laudemium, *die lehn-waare*, vel *den weinkauff*. *) 19) Vt et litteras inuestituae a domino impetret, et 20) pro iis praestet aliam mercedem, quae vocatur *der schreibschilling*. 21) Vt vbi adhuc symbola quaedam adhiberi solent, ne id quidem omittendum sit. Quamuis 22) haec omnia ordinarie, mutato tantum possessore, non mutato domino, praestanda sint in bonis censiticis laudemialibus.

*) Huius vocabuli origo non obscura esse potest iis, qui quae §. CXVIII. diximus contulerint. Inter ea enim, quae olim laudemii loco praestabantur, erat etiam coena opipara, *een goede maeltjdt*, et vini modium, *een sloop wyn*. SIM. VAN LEVW. *ibid.*

p. 148. Quum itaque postea haec omnia pecunia aestimarentur: ea pecunia non potuit commodiore vocabulo notari, quam *des weinkauffs*.

§. CXXVI.

Quod denique hos iuris Germanici circulos passim turbarit ius Romanum, in Germaniam inuectum, (§. CXX, 4.) argumentis constat pluribus, veluti 23) quod mores in praescriptionibus triginta annorum vbiq̄e fere requirant bonam fidem perpetuam, ob *cap. vlt. X. de praescr. COLER. de Process. exsequut. Part. I. Cap. III. n. CV. SCHNEIDEW. ad pr. Inst. de vsuc. n. XVII. MYNSING. Cent. IV. Obs. VI. n. IV.* 24) Quod tempus triginta annorum, anni et diei extra Saxoniam plerisque locis negligitur, recepta longi temporis praescriptione Romana. 25) Quod vbi adhuc obtinet illa annorum triginta et vnus, sex hebdomadam, et trium dierum praescriptio, simul tamen receperint praescriptiones, iure Rom. certis temporum spatiis circumscriptas, e. g. annalem actionis iniuriarum, biennalem actionis de dolo, quin et quadraginta annorum et immemoriam. *CARPZ. Part. II. Const. III. defn. IV.*

Ius commune
introdu-
ctum
multa
mutauit
et circa
praescr-
ptionem.

§. CXXVII.

Nec minus inuestituram Germanicam Et circa valde turbauit ius Romanum, veluti 26) inuestitum et in bonis censiticis eam renouari iul-
ferunt

ferunt Icti, mutato domino: 27) dum laudemium Germanicum confuderunt cum laudemio emphyteutico, et hinc 28) alicubi quinquagesimam partem pretii, alibi multo plus, laudemii nomine exigere coeperunt. Vid. FRANZK. *de laudemis*. Vnde 29) tanta est bonorum vel praediorum rusticorum diuersitas in Germania, vt in vna eademque prouincia vix bina praedia eiusdem generis reperiatis, quorum eadem per omnia sit hac in re conditio.



TIT. V.
DE SERVITVIBVS.

§. CXXVIII.

HActenus de DOMINIO, eiusque adqui- Transi-
rendi modis, quantum satis est, di- tio ad
ximus: proximum est, vt et de SER- seruitu-
VITVIBVS quaedam adiiciamus, (§. XXX.) tes.
quamuis de iis tam pauca et in legibus anti-
quis, et in aliis vetustatis monumentis, oc-
currere fateamur, vt non possimus non in
hoc quidem iuris capite esse paullo breuiores.
Quamuis vero et PERSONALES ET REALES serui-
tutes habuisse videantur Germani: tamen
quia priores rarius intra seruitutum naturam
subsistebant, et plerumque degenerabant in
dominium vtile, (§. XXXIII.) de REALIBVS po-
tissimum hic erit differendum.

§. CXXIX.

Non ita comparatae sunt res hominum, vt Eae ad-
cuiquam omnes vitae commoditates abunde eo sunt
suppetant. Immo potius, *quum non ideo res* necessa-
inter mortales sint diuisae, vt omnis bonorum riae, vt
communicatio cessaret: inde contingit, vt non nec Ger-
solum ex lege humanitatis alteri saepe res no- mani iis
stras, earumue usum debeamus concedere: sed carere
etiam, vt alii ius aliquod perfectum in re nostra potue-
sibi quaerant, adeoque ex re nostra utilitatem runt.
aut commoditatem aliquam sibi comparent, ceu
recte docuit PVFENDORFFVS *de iure nat. et gent.*
Lib. IV. Cap. VIII. §. I.

§. CXXX.

An Germani omnes feruitutes, sub-tilitates-que circa illas, receperint? Itaque et veteribus Germanis non plane ignotas fuisse feruitutes, facile est ad intelligendum, quamuis res ipsa doceat, Germanos veteres nec omnes subtilitates, quas acutissima iureconsultorum Romanorum natio excogitauerat, nec omnes feruitutes, quas luxus vitaeque elegantioris studium inuexerat, in vfu habuisse. *)

*) Recte THOMAS. *Not. ad Pandect. Lib. VIII. Tit. I. p. 122. Quamuis feruitutum materia sit maxime practica: propterea tamen non sequitur, quod Germani omnes subtilitates Ictorum Rom. in doctrina de feruitutibus receperint. Et quibusdam interiectis p. 123. Olim tempore speculi Sueuici et Saxonici vix aliae feruitutes videntur in vfu fuisse, praeter feruitutem stillicidii, et similes, tamquam in magna veterum aedificiorum simplicitate, et quia feruitutes Romanorum, etiam rusticae, non quadrarent ad statum antiquum Germanorum. Postea luxu etiam apud Germanos crescente, in vsum pedetentim venerunt aliae quaedam, Romanis vstatae.*

§. CXXXI.

Seruitus apud Germ. etiam in faciendo consistit. Quod ad prius attinet, ea erat apud Romanos feruitutum natura, vt illae non in faciendo, sed vel in patiendo, vel in non faciendo, consistere viderentur. POMPONIVS l. 15. §. 1. ff. de feruitut. *Seruitutum non ea natura est, vt aliquid faciat quis, veluti viridia tollat, aut amoeniorum prospectum praestet, aut in hoc vt in suo pingat, sed vt aliquid patiatur, aut non faciat. Sed hoc principium numquam recepisse videntur Germani, apud quos praedii vicini possessor vicino alteri non minus*

minus saepe faciendo seruiebat, quam vel non faciendo, vel patiendo. *)

*) Ex instituto hoc, vt alios iam praetermittamus, ostenderunt GER. GOTTL. TRIVS. in *diff. de seruitute faciendi* Lipsiae MDCCX. et EPHRAIM GERARDVS de *seruitutibus in faciendo consentibus* Ien. eodem anno defensa.

§. CXXXII.

Exemplo esse possunt operae rusticorum, Quod saepe in Germania non domini tantum, sed probatur extranei praedio praestandae. Has enim et extranei praedio praestandae. Has enim non personis, sed ipsis praediis inhaerere, ac vna cum praediis ad omnes possessores, ac vna cum praediis ad omnes possessores transire, quin et in rem producere actionem, recte obseruat CASP. MANZIVS *decis. palat. Quaest. XXII. n. 14.* Easdem vero operas in faciendo consistere, nemo erit, qui dubitet.

§. CXXXIII.

Hinc in vetustis monumentis subinde fit In praemio angariarum et parangariarum, certae villae praestandarum: Charta Chrodogangi Episcopi anni DCCLXV: *Debent auenam de silua, quae ad villam Isinburc pertinet, ad Paterni villam angariare.* Et GLOSSA IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. II: Pflughafften sind, die in dem lande EIGENES haben, da sie pflichtig sind, etwas vorzugeben oder ZV THVN.* *)

*) Hic ergo aliquis dominus est praedii sui, et ob id tamen alteri seruit, et quidem faciendo. Non ergo hic intelliguntur operae, quas homines proprii debent, ob seruitutem personis suis incubantem, sed quas liberi debent ex praediis suis. GLOS-

da eadem ad Lib. III. Art. XLII. Esliche dienstbarkeit liegt auf einem manne, also daß er dienen muß, und diese sind eigen. Eslicher leute dienstbarkeit aber liegt allein auf ibrem gute, also, daß wer desselbige gut hat, muß davor dienen.

§. CXXXIV.

Nec non obligatio alterius agros ouibus suis laetificandi, et iuribus bannariis.

Eiusdem generis erat seruitus oues agendi in alterius agros, siquidem et tunc aliquid fieri debebat in alterius commodum, et ita quidem, vt hoc onus non personae alicui, sed praedio, incumberet, idque alterius praedio necessario esset praestandum. In primis vero eo pertinebant iura bannaria, veluti quod quis frumenta in alterius mola comminuere, *) vinum vel cereuisiam ex alterius caupona petere, quin, si coquere cereuisiam vellet, eam non nisi in alterius officina cereuisiaria coquere posset. Cuius rei exemplum exstat apud AVB. MIRAEVM *donat. piar. Cap. LIV.*

*) Tales homines *farinarii* in diplomatibus vocantur, veluti apud TOELNER *cod. dipl. palat. num. I. p. 2.* Pensio ebid praestanda possessori praedii dominantis vocata est *farinagium*, de quo CAR. DV FRESNE in *gloss. sub voce farinagium p. 361. Tom. II.*

§. CXXXV.

Subtilitates iuris Rom. de seruitutum attributis ignorasse videntur Germani.

Sed et reliquas iuris Romani subtilitates ignorasse videntur Germani. Quum enim iure vetustissimo vrbibus splendidis plane carerent: (Lib. I. §. XCIX. sequ.) quis crederit, iure Germanico tunc inter rusticorum ac vrbanoꝝ praediorum seruitutes discrimen aliquod fuisse? Et quis sibi persuaserit, tam subtili-

subtili-

subtiliter philosophatos esse maiores nostros, vt statuerint, causam seruitutum oportere esse perpetuam, l. 28. ff. de seru. praed. urb. l. vn. §. 4. ff. de font. vel eas omnibus fundi partibus inhaerere, l. 6. ff. de seruitut. ac indiuiduas esse, l. 2. §. 4. ff. de V. O. denique ad tempus constitutas ita esse perpetuas, vt non nisi ope exceptionis finiantur? l. 4. pr. ff. de seruit. Conf. THOMAS. *ibid.* p. 122.

§. CXXXVI.

Ex iisdem vero principiis patet, et pauciores, *) et plane alias olim Germanis seruitutes fuisse, quam quae in iurisprudencia Romana occurrunt. Prout enim vel aedificandi, vel rei agrariae et pecuariae rationes id exigere videbantur: ita alias aliasque sibi commoditates a vicinis stipulabantur. Quod quin et aliae gentes fecerint, nemo forte dubitabit.

Germani et alias, et pauciores seruitutes habuerunt, quam Romani.

*) Hinc in vetustis legibus vix quidquam de seruitutibus capetur, nisi quod in LEGE BVRG. *Addit. I. Tit. I. §. VII.* legas: *De seruitute LVMINIS vel AERIS similiter constitutum, vt inter priuatorum fabricas decem pedes, inter publicas quindecim dimittantur, secundum legem Theodosii.* Vbi laudatur l. 46. C. Theod. de oper. publ. et alia, quae sub tit. C. Theod. de aedific. priuat. desideratur, at seruata est a PAPIANO in responsis tit. XVIII. In eadem LEGE BVRG. *ibid.* §. IV. de seruitute VIAE ET ACTVS dicitur, *con biennio et amitti, et acquiri posse.* In IURE PROV. SAX. lib. II. Art. XLIX. mentio fit seruitutis STILLICIDI, saltim in editione ZOBELIANA et versione Latina: *Es mag kein mann seine trauffe hängen in cines andern boff.* Sed in vetustis editionibus Saxonice, tum Augustana, tum Zobeliana anno MDCXIV. edita, et cura IAC. FR. LVDOVICI recusa, paullo aliter sese habet textus: *It en schal*

*neman syne Ofen bengen in enes andern mannes bo-
ue. Item: It ne mot ok nymant syne Ouesen baem
in enys andern manns hoff. In Vindebonenſi co-
dice pro Ofen vel Oueſen legi Obeza, et in rubrica
von Ouezbomen obſeruat SCHILT. Exerc. XVIII. §. I.
quae rubrica et in ZOBELIANA paullo ante laudata
occurrit. Vt adeo incerta ſit huius loci ſententia.*

§. CXXXVII.

Defini- Itaque SERVITVS Germanis erat ius quod-
tio fer- cumque in re aliena, ſiue perſonae, ſiue rei,
uitutis seu praedio conſtitutum, ſiue in patiendō,
ex men- ſiue in non faciendō, ſiue in faciendō conſi-
te Ger- ſteteret. Vnde et generali admodum vocabu-
mano- lo ſeruitutes dicuntur *Gerechtigkeiten*. Quo-
rum. iure nos etiamnum vti, res ipſa ſatis docet.

§. CXXXVIII.

Servitu- Quis enim ignorat, 1) hodiernum aliquan-
tes iuris do operas non domino, ſed tertio, deberia
Germani- ruſticis? Cui incognita 2) obligatio alterius
nici et- agros ouibus ſuis laetificandi ſtercorandiue?
iamnum (der horten-ſchlag,) SVESER. *Theatr. pag. 480.*
ſuper- Quem fugiunt 3) iura bannaria, ſeu obliga-
ſunt. tiones, panes coquendi in alterius furno, fru-
mentum comminuendi in alterius mola, cere-
uiſiam petendi ex alterius cauona, aliaeque
huius generis, de quibus ex inſtituto iam a-
ctum eſt ab aliis. Vid. SVESER. *ibid. pag. 514.*
STRYK in *uſu dig. tit. de ſeruit §. IV.* PETR. MVL-
LER. *diſſert. de molis bannariis.* Quis nescit de-
nique, 4) multarum ciuitatum ſtatutis, velu-
ti iure Lubecenſi, multa de aedificiorum for-
ma ſtatui, quae cum iurisprudētia Rom.
principiis nihil fere commune habeant?

§. CXXXIX.

§. CXXXIX.

Attamen ideo negare nolum, 5) in reliquis, Quo-
 quae ius Germanicum non definiuit, rece- modo
 ptum esse ius Romanum. Id modo obserua- adqui-
 mus, 6) posse etiam seruitutes in faciend^o rantur?
 consistentes, vel iura bannaria, non modo
 lege, statuto, conuentione constitui: BORN
de eo quod iust. est circa molend. Cap. V. §. 7.
sequ. verum etiam praescriptione adquiri.
 Quia tamen 7) frumentum comminuere in al-
 terius mola, vel cereuisiam ex alterius caupo-
 na petere inter res merae facultatis sunt, quae
 praescribi non possunt: patet, non sufficere, ali-
 quem huiusmodi quid fecisse per tempus lon-
 gissimum: sed 8) requiri, vt praedii domi-
 nantis possessor aliud acturum pignorando
 prohibuerit, prohibitusque ea in re per lon-
 gissimum tempus adqueuerit. BEYER. *spec. iur.*
Germ. Lib. II. Cap. VII. §. 26.



TIT. VI.

DE IVRE HEREDITARIO, ET SPECIATIM DE PACTIS SUCCESSORIIIS.

§. CXL.

Iuris hereditarii non eadem causa Germanis, ac Romanis.

Tertium ius in re, quod et Germanis non ignotum fuisse diximus, (§. XXX.) est IVS HEREDITARIUM, quod tamen plane aliud fuit iure Germanico, quam Romano. Quum enim ex huius principis duplex esset hereditatum conditio, eaque vel ex testamento, vel ab intestato ad aliquem pertinerent, §. ult. *Inst. per quas pers. cuiqu. adqu.* pacta vero successoria siue de alterius paciscentis, siue de tertii hereditate acquirenda inita, non modo irrita, sed et bonis moribus aduersa, quin odiosa, et pleuristissima et periculosi euentus viderentur: *l. 19. et l. ult. C. de pact.* apud Germanos nec testamenta condebantur, et pactis huiusmodi successoriis nihil erat apud maiores nostros frequentius.

§. CXLI.

Testamenta Germanis ignota.

Vt rem testimonio, ex vltima antiquitate repetito, demonstremus: rem omnem conficere videntur illa *TACITI de mor. Germ. Cap. XX. Heredes successoresque sui cuique liberi: NULLVM TESTAMENTVM. Si liberi non sint, proximus gradus in successione fratres, patris, auunculi.* Quamuis enim et haec *TACITI* verba captare quidam non dubitent: *) clariora

riora tamen illa sunt, quam ut vlli cauillationi locus esse videatur.

*) Varie ea interpretantur viri quidam docti, aliis non ipsa testamenta, sed nimiam illam miseramque diligentiam, Germanos ignorasse existimantibus: MARQV. FREHER. de *tutel. elector. p. 415.* aliis haec de testamentis scriptis duntaxat accipientibus: aliis ob ipsam paupertatem rerumque omnium indigentiam testamentis apud Germanos locum fuisse, negantibus, quos omnes merito refellit SAM. STRYKIUS de *success. ab intest. Diff. VIII. Cap. I. §. II.* recte simul obseruans, non suffragandum esse CONRINGIO, qui in *praef. ad Taciti libellum* testamenta lege prohibitiua a Germanis acta esse in exilium, censuit. At ne ipsum quidem STRYKIUM recte exposuisse TACITI locum, mox adparebit.

§. CXLII.

In primis subtilis magis, quam solida, est Et ne doctissimi STRYKII interpretatio, qui testa- tunc
menta Germanis aequae, ac aliis gentibus, in quidem
vfu fuisse contendit, vnoque tantum casu ea in vfu,
exfulasse existimat, puta, si liberi aut cogna- quando
ti essent, qui legitimam hereditatem cape- liberi et
rent. STRYK. de *success. ab intest. Diff. VIII. cognati
Cap. I. §. III.* deerant,
licet dis-
sentiat
Strykius.

§. CXLIII.

Quamuis enim incredibile videatur viro Respon-
doctissimo, Germanos solos tam barbare detur ad
fuisse stupidos, vt, ne deficientibus quidem Strykii
liberis et agnatis, bona supremo iudicio in argu-
alios transferrent, sed ea, veluti in medio po- mentum
sita, quorumuis rapinae relicta mallent: bar- primum.
barae tamen stupiditatis, hoc esse argumen-
tum,

tum, nemo facile dixerit, quum, in *STRYKIO caut. test. Cap. I. §. VIII.* fuerint respublicae, quae olim nulli heredes esse voluerint, quam legitime

*) Nec ideo verendum est, quod veteres simus, ne hereditates, exsulantibus testamentis, veluti pro derelictis haberi cupandi pateant, quum deficientibus nationibus, traditionibus, pactis, succedere nominare patriis legibus non prohibet, quis ignorat, bona vacantia et apud Romano cessisse, eumque et hodie non raro reditatem, quando omnibus permittitur, testifatio? Conf. BEYER. *in posit. pand. tit. I. p. m. 459.*

§. CXLIV.

Item-
que ad
secun-
dum.

Nec magis stringit alterum, in dignam satis fiduciam collocare videtur mentum. Quamuis enim fide *LEHMANNI chron. Spir. Lib. II. Cap. XX. pag. 98.* Carolum M. victorem, Germanis, distulit lo perdomitis, testamentifactionem ad restitutam postea a Ludouico Pio: atque colligat, eos ante Caroli M. tempora quemdam testandi qualemcunque inuenerunt: eo tamen argumento viurus per non fuisset, si scriptores veteres, quam *LVM AEMILIVM* vel *CHRIST. LEHMANNVM*, lere maluisset, *)

*) Rei fundus est locus veteris auctoris *VITAE CAROLI III, qui ad annum DCCCXIV.* notat: *Quo tempore Saxonibus atque Frisonibus IVS PATERNI REDITATIS, quod sub patre ob perfidiam imperatoriam perdididerant, imperatoria clementia restituit.* Ergo testamentifactione a Carolo M. priuatae erant

hae

hae gentes: sed iure paternae hereditatis, id est, bonis auitis, quippe fisco principis ob earum perfidiam additis. Hinc statim subiungit idem auctor, benignitatem illam Ludouici Pii multorum incurrisse reprehensionem, existimantium, gentibus illis, nouarum rerum studiosissimis, subtrahi potius oportuisse, quam vltro subministrari perfidiae instrumenta. Quid vero periculi Franci metuissent a miseris illis, si nihil aliud illis indulfisset princeps, quam liberam testamentificationem?

§. CXLV.

Itaque TACITI saltem temporibus ignorasse Germanos testamentificationem, extra omnem dubitationis aleam positum videtur. Nec interiecto tempore ea adeo frequentia fuisse in Germania magna, paullo post ex instituto demonstrabimus. Itaque fieri non potuit, vt antiquissimis temporibus hereditas vel TESTAMENTARIA, vel LEGITIMA esset: sed omnes Germanos vel EX PACTO, vel EX LEGE, ad eam peruenisse oportet.

§. CXLVI.

PACTA successoria Romanis non parum inspecta, apud Germanos omni periculo tristioris euentus carere videbantur, *) siue quis de *tertio*, siue de *alterius paciscens* hereditate, vel *adquirenda diuidendaque*, vel *conseruanda*, vel *omittenda repudiandaue*, pacisceretur. Omnibus enim his conuentionibus nihil omnino turpitudinis bonisque moribus aduersi inesse, existimabant.

*) Apud

*) Apud Romanos, diuitiarum cupidissimos, in pauperibus priscis moribus, nemo diues vitam sine periculo agebat, cuius heres esset nocuus. Illius enim mortem captabat heres, illi struebat insidias, illum quam primum malo veneno, vel aliis diris modis inuadere studebat, vt haberet hereditatem, quam expectare nimis lentum negotium videbatur. Et hoc erat votum captandae heredis, l. 11. C. de transact. quale illud apud omnia. *Metamorph. Lib. I. v. 148. quo filius ante diem patrias inquit in annos, de quo plura IO. CORAS. Miscell. Lib. V. Cap. XIII. ALCIAT. parerg. Lib. II. Cap. XXXI.* Nihil horum erat, quod metuere Germani, de quibus statim sequitur apud TACITUM *Cap. XX. Quanto plus propinquorum, quo maius consilium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.*

§. CXLVII.

Veluti
disposi-
tione.

De tertii hereditate aliquando pactos esse Germanos, satis ostendit pactum, inter Guntchramnum et Childebertum reges initum, super hereditate Brunichildis, cuius partem maximam sibi viua Brunichilde ad dies vitae stipulabatur Guntchramnus, se mortuo reducturam ad Brunichildem, eaque defuncta ad heredes eius. GREG. TVR. *hist. Lib. IX. Cap. XX.* Quia tamen huiusmodi pactio- nes aliquando parum aequae videbantur: placuit postea eas prohibere. Nam CAPITV- LAR. *Lib. VII. Cap. CCCXXVIII.* cautum legimus: *Nulli quidem de bonis usurpandis viro- rum, *) nec diuidendi contra bonos mores, concessa licentia est, sed, praecipiente patre, diuisionem, ab eo factam, durare, si modo usque ad extremum eius viuendi spatium voluntas eadem perseverasse, doceatur* Quae quidem ex l. 2. *C. Theod.*

C. Theod. de famil. ercisc. defumta esse, res ipsa docet.

*) Ita hunc textum sistunt PETR. PITHOEVS, FR. LINDENBROGIUS et ipse STEPHAN. BALVZIUS, quorum nullus ne inter variantes quidem lectiones monuit, mendum hic subesse: quod tamen in oculos incurrit. Pro *virorum* enim legendum esse *viuorum*, recte vidit, criticae alioquin parum deditus, SAM. STRYKIUS *de success. ab intest. ibid. p. 620.* Et illud sane *viuorum* est etiam in *d. l. 2. C. Theod. de fam. ercisc.*

§. CXLVIII.

Multo minus itaque dubitare fas est, quin Conseratae fuerint in Germania pactiones successo-
 riae, quas CONSERVATIVAS vulgo adpellitant, quippe quas ne iuri quidem Romano aduersari, vulgo contendunt. IO. CORAS. *Miscell. Lib. VI. Cap. IX. MEV. ad Ius Lubec. Part. II. tit. I. n. XLVIII.* STRYK. *de success. ab Intest. ibid. Cap. III. §. III.* Et sane huc pertinet exemplum eiusdem Childeberti, qui, quum Guntchramni patruum regnum hereditatemque sibi et ex lege, et ex adoptione, deberi sciret, interuenientibus tamen aliquoties simultatibus, nouis pactis sibi cavit, ne a patruo patreque adoptiuo exheres fieret. GREG. TVRON. *hist. Lib. IX. Cap. XX.* AIMON. *de gest. Franc. Lib. III. Cap. LXVIII.*

§. CXLIX.

Saepe etiam, pactione intercedente, aliquis renunciabat hereditati, non modo iam delatae, verum etiam futurae. Id apud Francos fiebat ritu sollemni, quem ita describit

Renun-
 ciatua.

scribit LEX SALICA Tit. LXIII: *Si quis de parentela tollere se voluerit: in mallum unum in tunchinium admallare (ambulare) debet, et ibidem quatuor fustes alminos super caput suum frangere debet in quatuor partes, et ibi in mallo iacere debet, et ibi dicere: QVOD SE IN IVRAMENTO, ET DE HEREDITATE, ET DE TOTA RATIONE ILLORVM (de toute leur race.) TOLLAT. *)* Et sic postea, si aliquis de suis parentibus aut morietur, aut occidetur, nullus ad illum compositio hereditatis perueniat. *Sed modo si ille moriatur, ad suos parentes non pertineat caussa, ne hereditas eius, sed amodo ante duodecim iuratoribus se exinde educat.*

*) Hae enim caussae praecipuae erant, quibus homines permouebantur, vt eiurarent familiam, omnique iuri agnationis atque hereditatis renunciarent, ne scilicet inimicitias agnatorum suscipere, aut eorum caedam vindicare, aut vna cum illis iurare cogentur. Vid. HIER. BIGNON *ad leg. Salic. b. 2. p. 276.* GE. ECCARD. *ibid. p. 108.*

§. CL.

Adquisi-
tiana. Sed vel maxime inter Germanos obtinebant pacta ADOVISITIVA, non modo inter illustres, sed inter plebeios quoque. Ea vero duorum generum fuisse, comperio. Vel enim possessor inter viuos in aliquem transferebat hereditatem, alimenta sibi stipulatus: vel, seruata sibi possessione, eandem post mortem demum ad alterum redituram pollicebatur. Prioris pactionis exemplum exstat apud MARCVLFVM *formul. Lib. II. Cap. XIII.* posterioris *Lib. I. Cap. XII. Lib. II. Cap. VII. et VIII.*

§. CLI.

§. CLI.

At siue priore, siue posteriore modo, quis ^{Horum} pacisceretur: sollempnis quaedam intercede-^{sollem-}bat traditio, cuius fere omnes gentium Ger-^{nitas ex}manicarum leges faciunt mentionem. LEX SA-^{lege Sa-}LICA tit. XLIX. eam traditionem, quae vel ^{lica.} *adfatomia* vel *adramitio* dicebatur, fieri iubet in iudicio, sub scuto, iacta in sinum heredis festucâ, et actu possessorio ab hoc in donatoris bonis exercito, *) adhibitis denique testibus, qui, haec omnia facta esse, adfirmant. At longior est haec fabula, de qua videndus ECCARDVS in *comment. p. 92.*

*) Hic actus ita describitur in LEGE SALICA: *Postea ipse, in cuius laisam, festucam iactavit, in casa ipsius manere debet, et hospites tres suscipere. Et quibusdam interiectis: Tres testes habere debet, qui iurati dicant -- quomodo vidissent hominem illum, quod fortunam suam donavit in laiso, -- et quod in casa illius, qui fortunam suam donavit, ille, cuius in laisam festucam iactavit, ibidem mansisset, et hospites tres vel amplius collegisset, et pauisset, et ei ibidem gratias egissent, et in beudo (mensa) suos pultes manducassent, et testes collegissent.*

§. CLII.

Simile est; quod LEGE RIPUARIORVM tit. Ex lege XLVIII. cautum legimus: *Si quis procreatio-^{Ripua-}nem filiorum vel filiarum non habuerit: omnem^{riorum.} facultatem suam in praesentia Regis, siue vir mulieri, vel mulier viro, seu cuiuscumque libet, de proximis vel extraneis adoptare in hereditatem, vel adfatimi per scripturarum seriem, seu per traditionem, et testibus adhibitis, secundum legem Ripuariam licentiam habeat.*

beat. Itaque ea pactio de futura successione vel coram rege inibatur, vel in iudicio publico, siue per scripturam, siue per traditionem, praesentibus testibus factam, quae *spessatum* ADFATOMIA dicta esse videtur. *)

*) Equidem GE. ECCARDVS in *comm. ad leg. Saxon.* p. 92. et p. 220. suspectum habet hoc vocabulum, scilicet illud ne Caroli quidem magni temporibus amplius intellectum fuisse, existimat: sed manifestum est, quod ipse demum suspicatur, illud esse a Germanico *anfassen*, vel Sax. *anfaten* ut tunc nihil notare aliud, quam traditionem quam ad hanc symbolicam, vel acceptionem, manu *anfassen* GLOSSARIUM a LINDENBROGIO p. 1348. laudat: *Adfatomia: de donationibus, quae sunt factae in finem ei, cui donabatur, proiecta.*

§. CLIII.

Item-
que Wi-
figotho-
rum.

WISIGOTHI, quamvis diuturna consuetudine cum hominibus prouincialibus, iuri Romano innutritis, testamentorum vltimum aliquem haberent: non tamen ideo irrita esse existimabant pacta successoria, de quibus fuisse agitur in LEGE VISIGOTH. *Lib. V. Tit. II. §. VI.* Inprimis eo pertinent verba: *Qui vero sub hac occasione largitur, ut eandem rem ipse, qui donat, usufructuario iure possideat, et ita post eius mortem ad illum, cui donata fuerit, res donata pertineat: quia SIMILITUDO TESTAMENTI, habebit licentiam, immutandi voluntatem suam, quando voluerit, etiamsi in nullo lesum se fuisse dixerit. *)*

*) Distinguebant ergo Visigothi, resne sint in presenti traditae siue vere, siue per fictionem, veluti si donatario instrumentum super donatione confectum traditum sit, an nihil horum sit factum.

Dona-

Donatio enim, accedente traditione, vel tradita scriptura, videbatur irrevocabilis. Simplex, et nec traditione, nec scriptura firmata, quocumque tempore immutari rectè poterat, atque eatenus TESTAMENTO vel ultimæ voluntati similis videbatur, quæ est ambulatoria usque ad mortem. l. 4. ff. de adim. legat.

§. CLIV.

BVRGVNDIONIBVS quoque non ignota erant Burgundionum. Attamen et apud hos perinde erat, siue quis donatione vel pacto, siue ultima voluntate seu testamento, alii hereditatem deferre mallet: quin in cuiusvis arbitrio erat, Romanamne consuetudinem, an barbaricam, in testando donandæ servare vellet, dum aut scripturam conficeret, aut adhibitis quinque testibus ingenuis, de hereditate disponderet. Vid. LEX BVRG. tit. XLIII. §. I. et tit. LX. §. I. sequ.

§. CLV.

Lex ALAMANNORVM nihil, quod huc pertinet, habet: immo nec BAIUVARIORVM, nisi quod hæc marito permittit, si nec filios, nec filias, nec nepotes, nec pronepotes, nec ullum de propinquis habeat, sed in uxorem aut DONATIONE aut TESTAMENTO *) siue partem, siue omnes contulerit facultates, et hæc deinde in viduitate persistat, et memoriam mariti cum pudicitia castitatis observet, ut omnia, quæ a marito ei sunt donata, possideat, et ea, in quem voluerit, pro suo iure transfundat. LEX BAIUVAR. tit. IX. §. III. Itaque et apud Baiuarios ratae erant pactiones huiusmodi, sed

H h

non

non nisi a marito, liberis orbo, cum vxore inita, nec haec aliter ex iis acquirebat hereditatem, quam si in perpetua viduitate ad mortem vique perseveraret.

*) Hoc vocabulum in legibus Germanicis non semper notare ultimam voluntatem sollemnem, sed plerumque pro instrumento aliquo vel scriptura, etiam super conuentione aliqua vel pacto confecta accipi, patet ex FORM. LINDENBROG. CI. et LEG. Saxon. tit. LIX. §. I. et VIII. et pluribus demonstratur infra §. CLXXX.

§. CLVI.

Saxo-
num et
Anglio-
rum.

Non minus arctis limitibus circumscripta erat illa de hereditate sua pacificendi licentia apud SAXONES, qui fere solam successionem legitimam probabant. Nulli vero, (vt est in LEG. SAX. tit. XIV. §. II.) licebat traditionem hereditatis suae facere, praeter ad ecclesiam vel regi: nec heredem suum exheredem facere, nisi forte famis necessitate coacto, vt ab illo, qui hoc acceperit, sustentaretur. *) Mancipia vero vel dare vel vendere illi omnino licebat. Contra LEX ANGL. tit. XIII. tanto liberalior, libero homini facultatem dat hereditatem suam, cui voluerit, tradendi.

*) Hoc et hodie frequenter fit a rusticis iam decrepitae senectutis, qui rebus suis amplius superesse non possunt. Hi enim, tradito vniuerso praedio alicui ex liberis, generis, cognatis, immo et extraneis, sibi stipulari solent alimenta, ein *Ausgedinge*, vocati tunc *die Grosväter*, quemadmodum ipsum hoc ius dicitur *das Gros-vater-recht*. Vid. SAM. STRYKII. *de iure auarum* Vol. II. Disp. XXV.

§. CLVII.

§. CLVII.

Sic itaque omnes fere gentes originis Germanicae pacta successoria probasse vidimus, quamvis aliae liberiores, aliae adstrictiores eam paciscendi facultatem esse voluerint. Superest itaque, ut et, quid medio aevo usque ad iuris Romani receptionem obtinuerit, paullo accuratius consideremus.

Confuetudo
haec fere
vniuersalis.

§. CLVIII.

Plerisque locis inferioris Germaniae tunc iure Saxonico viuebatur. De eo vero observamus, primum, nullam in eo testamentationis vel volam vel vestigium extare: deinde, et pacta successoria satis arctis limitibus eo iure fuisse circumscripta: ac postremo, eam fere praecipuam fuisse causam, cur hoc ius tam acri censura perstrinxerit Gregorius Papa XI, quia ita quaestum faciendi occasio eripiebatur clericis et monachis, quorum bono plerumque tunc testamenta condebantur. *) Vid. GOLDAST. in *Collect. Consu. et LL. Imp.*

Saxoni-
cum
quoque
ius testa-
menta
ignorat.

*) Inter articulos enim a GREGORIO Papa XI. reprobatos decimus tertius talis est: *Quod quicumque vir succinctus gladio, clypeum tenens, non poterit de ligno vel lapide pollicis vnam, quantum ad altitudinem, habente super dextrarium adscendere, talis non potest cedere, dimittere seu infundare, aut bona sua alteri donare, quod noceat illi, qui bona talia post mortem alienantis expectat.* Deinde decimus quartus ita se habet: *Quod nullus sine licentia heredum suorum, et legitimo et confirmato iudicio, quod Saxonice dicitur gebeget Ding, potest donare alicui proprietatem suam vel homines suos. Et si buiuomo-*

*di alteri daret, heredes ipsius acquirent
iudicium, ac si dans ille mortuus fuisset.
articulis deinde subiicitur censura ac
articuli sunt erronei, in quantum elec-
tamenta, et alia pia opera respiciunt.*

§. CLIX.

Eius
disposi-
tio de
pactis
disposi-
tius.

Nimirum non valebant apud Saxo-
nenses acta dispositiua de hereditate tertii
nisi apud acta fuissent firmata. IVS P
*Lib. II. Art. XXX. Wer ihm erbe
(wey sack eyn erve to secht,) nicht von
oder erbe, sondern von gabe oder ge-
gen, das sol man halten vor vure
nicht glauben, man möge darn gezen
das gelibde vor gerichte bestätiget sey.
licebat quidem de hereditate aut iure
generatim etiam viuentis, siue empta
tio, siue donatio intercederet, pactum
do ad acta, seu in iudicio pactum h
di esset inutum firmatumque. sc
*Exerc. XXX. §. LXI.**

§. CLX.

De con-
feruati-
uis.

Pactionum, de conferuanda hereditate
sibi iam tum debita, initarum mentio
re Saxonico fieri non animaduerto.
tamen huiusmodi pactorum exempla
paucis, inter quae nescio an primus
debeatur illi, quo Principes Anhalt
Waldemaro Brandenburgico agnato sibi
lati dicuntur successionem in Marchia
Brandenburgico: quamuis eius pactionum
ctum nullum ceperint, siue ob temporum

lorum perturbationem, siue quia non impe-
traffent Caesarum confirmationem. Ita rem
nescio qua fide refert **CARIO** *Chron. Lib. V.*
pag. 952.

§. CLXI.

At de repudianda hereditate pacta inter
coheredes, et maxime cum filiabus forori-
busque, domo enuptis, inita valebant, mo-
do vel in iudicio facta essent, vel eo nomine
iureiurando se purgare non posset, qui suc-
cessioni renunciauerat. Ita enim legimus
IVR. PROV. SAX. Lib. I. Art. XIII. *Hetten sie
ihre erbtheilung daran verlobt, der sollen sie
entbehren, sie wiederreden es denn auf den
Heiligen. Verloben sie es aber für gericht, so
mag man sie baß vberzeugen, denn sie es vn-
schuldig mögen werden. *)*

*) Itaque ne iurata quidem renunciatio videbatur ne-
cessaria, quippe quam ius canonicum primum ex-
igebat, vt quod iure communi irritum erat, vel
ideo ratum esset, quod omne iusiurandum ex eius
iuris principis seruandum esset, quod sine salutis
sempiternae amittendae periculo posset seruari.
Cap. 2. de pact. in 6. Postea tamen id principium
etiam in statuta quaedam, in quibus alioquin ex-
pressissima supersunt prisca moris vestigia, mi-
grauit. Exemplo erit **ORD. PROV. HENNEB. Lib.
III. Tit. II. Cap. II.** quod vrget **SCHILT. Exerc.
VIII. §. XLI. p. 280.**

§. CLXII.

Supersunt pacta **ADQVISITIVA**, de quibus
quae fuerit **SPECVLATORIS SAXONIS** vel potius
eorum omnium, qui ius Saxonicum ciuitate
donarant, sententia, ex variis istius iuris lo-
cis

cis adparet. Primo enim *Lib. I. Art. LII.* cauetur, ne quis bona sua immobilia, vel homines proprios, sine heredum consensu, ac extra iudicium tradat: *Ohne der erben laub vnd ohne gericht mag kein man sein eigen gut, noch seine leuth vergeben. *) Vergiebt er es aber wieder recht ohn der erben vrlaub, die erben mögen sich ihres guts wol vnterwinden mit recht, als ob der todt wer, der es gab, darumb, daß er es nicht vergeben mochte.*

*) Haec si cum lege Saxonica antiqua contendas: patebit, ius nouum illa antiquiore Saxonum lege partim aliquando mitius, partim asperius esse. Vetere enim lege nulla traditio rata erat, praeterquam vel regi, vel ecclesiae, vel vrgente imperiosa famis necessitate facta: iure nouo in iudicio et suffragantibus heredibus cuius tradi poterant res immobiles. Vetere lege excepta erant mancipia: iure nouo et illa tradi non poterant. (§. CLV.)

§. CLXIII.

Circa mobiles. Dico haec accipienda esse de rebus soli, vel immobilibus, et quidem, vt glossa *ad IVS FEVD. SAX. art. XXVI.* et *ad WEICHB. art. XXVII. et XXX.* interpretatur, auitis et a maioribus ad aliquem profectis. De mobilibus enim statim sequitur: *Alle fahrende habe aber giebt der man wol ohne laub der erben in allen stedten, vnd an allen oerten, vnd läffet vnd verleihet sein gut, allein daß er sich also vermöge, daß er begürtet mit einem schwerd, vnd mit einem schild auf ein roß kommen möge, von einem stein oder stok, einer daum ellen hoch, ohne hülffe, also doch, daß man ihm das roß vnd den stegereiff halte. *) Wann er das nicht*

nicht thun mag, so mag er sein gut weder ver-
geben noch verlassen, noch geleihen, dadurch
ers jemand entfremdet, der es wartend wäre
nach seinem todt.

*) Haec omnia ad ingenuos tantum equestris nobili-
tatis viros, (die Ritter vnd andern ihren genossen)
pertinere, recte obseruat Glossa: Wie den die-
ses dabey leichtlich abzunehmen, daß er saget: mit
einem schilde vnd mit einem schwert. Dann
diese dinge gehören zu der ritterschafft. A ple-
beio ergo municipe aliud requirebant specimen,
puta in immobili, daß er so vermügent wäre,
daß er ohne hülffe zu wege vnd strassen gehen,
vnd so lange stehen möchte, bis er im gebegten din-
ge dieselbe gabe gethan habe. In mobilibus vero:
Daß er auf seinem sechbette die dinge vergeben
möchte, welche er vber das bett-bret hinweg rei-
chen möchte. Argumentum, quo rusticus fanita-
tem suam ostendebat, in eo consistebat, daß er
einen vmbgang vorpflügen möge eines morgens lang.
Denique femina satis bene valere ad donandum
videbatur, wann sie zur kirchen gehen möchte, von
welcher sie 20. ruthen gefessen war.

§. CLXIV.

Nihil horum legas in IVRE ALAMANNICO, Ius Ala-
cuius compilerator maxima cura id egisse vide-
tur, papae vt placerent, quas fecisset fabu-
las, neque eodem fulmine, quo Saxonicum, testa-
percuteretur speculum suum. THOMAS. not. ad ^{mento-}
Inst. Lib. II. Tit. X. pag. 182. Nam primo ^{rum}
permittit testamentifactionem, quam vocat ^{nit.}
ein geschafft, IVS PROV. ALAM. Art. CCLXXXVI.
quamuis id tantum de legatis ad pias causas
intelligendum videatur. *) SCHILTER. Exerc.
XI. §. XXV. Deinde nihil horum, quae de
H h 4 tradi-

traditione bonorum inter vivos et pactis successoris cauerat ius Saxonicum; repetit.

- *) Hinc etiam si quis huiusmodi legata non reliquerit, morte fortassis praeuentus: tamen illa et ab intestato, tamquam portio quaedam legitima, praestanda erant. IVS PROV. ALAM. Art. CCLXXXVI. *Stirbt ein man, der weder weyb noch kind hat, vnd hat er varends gut, damit er nicht geschafft hat, das erben die nächsten erben, der sey einer oder mer, vnd man geb der seel ihr tail.* Insequente articulo additur, eum mobilia, deficientibus vxore et liberis, dare posse, cuiuscunque velit, *wann die seel ihren tail hat.* *Homines proprios intestatos mobilia sua relinquere dominis vel ecclesiis, quibus seruiuerint, doch sollen die der sel das viertail geben.* Denique hoc cedit illud legatum vel illa portio pro animae remedio praestanda ab heredibus, ita docet SPECULATOR: *Da soll ein tail werden dem pfarrer, armen lawten das annder, vnd den pilgrem das dritt tail, die über mer varent.* Denique in immobilibus et auitis, im erbgut, eodem modo se rem habere, monemur Art. CCLXXXVIII.

§. CLXV.

Succes-
sionem
pacti-
tiam et
testa-
menta-
riam
confun-
dit.

Tertio, quae generatim de hereditatibus in alium transferendis cauet IVS ALAMANNICVM: ea ex vetere doctrina de pactis successoris deprompta, et cum iuris Romani principiis de testamentis inepte confusa esse, manifestum est. Argumento est articulus IV. PROV. ALAM. CCCV. *) in quo utraque iura ita miscentur, vt fere in oculos incurrat confusio.

- *) Ait primo SPECULATOR in edit. Berg. p. 33. *Ist, daß ein man seinem frewnd gut schaffen will nach seinen tod, wil er im das sicher machen, er sol im brief geben, (Haec ad pacta pertinent.) besigelt mit eins bischofs*

bischofs oder mit eins layen-fursten insigel, oder mit eines closters, oder ainer stat insigel, oder der stette herrn insigel, oder des landrichters insigel, oder sol für seinen herrn oder richter varen, vnd soll die tze gezeugen nemmen, vnd annder die darbey sint. (Haec ad testamenta principi vel iudici insinuata pertinent.) Vnd weller ims dann gar vest machen, vnd in wohl besorgen, so setz er im ainen tzins darau, damit gewinnt er ain gewer daran; vnd daz gut das im also gemacht wird, daz mag er mit dem Rechten nicht verliesen. (en naturam rei, pacto et inter viuos translatae!) Hat aber er erben, die versprechen es. (quia et apud Alamannos valuit ius, neminem posse bona auita tradere sine consensu heredum.) ee es im also vermacht wird, (per modum conuentionis et accedentem traditionem,) kunt sy des nicht, so mügen sie sich versamen. Addit SPECVLATOR, si ipse re sua vel ob famem, vel ob frigus, vel ob captiuitatem indigeat is, qui eam donarit, tunc ei fas esse, rem suam distrahere, et si id prohibeat is, cui hereditas relicta sit, iudicem, probata sibi iusta caussa, prohibitorium, quo minus ei mora obiiciatur. Quae itidem ad conuentiones pertinere, nemo non animaduertit.

§. CLXVI.

Denique quum pacta dispositiua, ad acta ^{Quid de} iura, rata esse iubeat ius Saxonicum: (§. ^{pactis dispositiuis!} CLVIII.) ea quoque plane reiicit ALAMANNICVM ^{sanctiat?} Art. CCLXXII. Ain weyb mag irem man chain erb gegeben, des sy dannoch nicht geerbet hat, vnd des sy wartet tze erben, vnd also en mag auch der man seinem weyb, tze gleicher weise, so mag anch niman dem andern chain gut geben, noch geschaffen, das er nicht geerbet hat.

§. CLXVII.

Axioma de successione patritia. Ex his ergo, quae diximus, iam satis intelligitur, I. pacta dispositiua de hereditate tertii uiuentis, etiam iure Germ. irrita esse, nisi hic consentiat, in eaque sententia ad mortem usque perseueret. II. Valere contra pacta, quibus quis hereditatem sibi conseruare studet. III. Pacta adquisitiua, immo et IV. renunciatiua semper valere.

§. CLXVIII.

Quid iustum circa pacta dispositiua? Ex primo itaque axiomate (§. CLXVIII, I.) patet, 1) pacta dispositiua de hereditate tertii incerti non minus iure Germanico, quam Romano, rata esse: 2) irrita contra, quaecumque de certae personae non consentientis hereditate ineuntur; STRYK. *de success. ab int. Diss. VIII. Cap. II. §. VI. et XXIV.* nec 3) excusari, qui de hereditate tertii, quem iam ad plures abiisse per errorem crediderant, pacti sunt, eatenus, ut ideo pactum effectum fortiat, quamuis tunc poena *l. ult. C. de pact.* merito cesset. 4) Nihil itaque, quod ad haec pacta attinet, inter ius Romanum et Germanicum esse discriminis. BEYER. *spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. XI. §. XXXI. sequ.*

§. CLXIX.

Circa conseruatiua. Multo minus ergo, quod ad alterum axioma (§. CLXVII, 2.) attinet, dubitandum est, 5) quin cuique liceat pactis conseruatiuis sibi prospicere, eaque 6) et contra successoris delictum, quo se indignum hereditate reddidit,

didit, et 7) contra statuti rigorem, vel consuetudinem, quae heredes quosdam a successione excludit, et 8) contra pacta familiae, quibus aliquis exsors esse iubetur hereditatis, insignem utilitatem praestent, STRYK. *ibid.* Cap. III. §. IX. *sequ.* Quin et 9) novam dispositionem eas pactiones iure Germanico impediuisse, *) vel inde colligas, quod ultimas voluntates, quibus ius alteri pacto quaesitum auferri posset, non haberent: adeoque 10) iuris Rom. laciniam esse doctrinam, quod haec pacta semper ita intelligenda sint, ut ne libera testandi facultas impediatur. IO. DAVTH. *de testam. n. 105. vers. requiritur.* MEV. *iur. Lub. Part. II. tit. I. rubr. n. LVII.* STRYK. *ibid.* §. VIII. *extr.*

*) Hinc pacta huiusmodi frequentissima inter familias illustres eiusdem gentis ac stirpis. Quamvis enim alteram alteri iam tum succedere oporteat ob agnationem: tamen non ob aliam causam patris sibi consulunt, quam ne ultimo possessori ius sit nova dispositione spem familiae superstitis intervertendi. Pactum huiusmodi inter Marchiones Hochbergenses et Badenses anno MCCCCXC. initum memorat BURCH. MAIUS *de rebus Badens.* §. VII. Simile inter Duces Bauariae et Comites Palatinos Rheni, quin inter harum diuersas familias intercedere, testantur BESOLDVS *de success. Lib. I. Diss. XIII. n. II.* et GEWOLDVS *in antiq. aduers. Freber, p. 437.* De eo pacto eleganter ITTER. *de feud. Imp. Cap. XVII. §. IV. p. 787.* Sed hanc quidem successionem magis vi agnationis, quam vi pacti expectari, Mylerus indicat *de princ. et stat. imp. Cap. XXV. §. III. ut ut nihil repugnare crediderim, quo minus et naturali sanguinis iure, et specialibus insuper pactionibus, ad maiorem rei firmitudinem illa succedendi spes roboretur fulciaturque.*

§. CLXX.

§. CLXX.

Circa
adquisi-
tium il-
lustrum.

Quumque pacta acquisitiva semper Germanico valuerint: (§. CLXVII, 3) reddi poterit ratio, n) cur inter illustres olim inita sint pacta vel mutuae, vel etae ad alterutram familiam successione *confraternitates* vulgo vocantur, eaque aequalia vel inaequalia: CARPZ. *de confrat. Saxonico-Hassiacae. Cap. I.* TEXTOR *de pact. gentil. procer.* 13) Cur inter equestris nobilitatis familias rata fuerint pacta ganebinatus, de quibus *de pace publ. Lib. I. Cap. XVI.* 14) Ceteris illustribus familiis nihil frequentius sit commissis conventionalibus, seu pactis reditate certis personis restituenda: *ibid. Cap. IX. §. VI. sequ.* KNIPSCH. *de fam. illustr. Cap. VI. n. 25. sequ.* quo etiam pacta de iure primogeniturae referuntur. Quae omnia sane 15) ita rata sunt, ut solius iuris Rom. innutritum cipiis ea pro monstris habiturus sit. *)

*) Equidem et iuris Romani principis haec non negari existimat STRYK. *ibid. Disp. VIII. Cap. §. VI.* idque probat ex *l. ult. C. de reb. alien. l. 3. C. de condit. ob caus. dat. l. 155. §. 3. de verb. obl. l. 22. C. de fideic.* Sed hos tenent omnes vel de pactis vel donationibus sub conditione initis, vel de fideicommissis solo nutu licitis agere, res ipsa docet. At fideicommissum familiae ad bona post mortem demum paciscendum transferenda pertinent, et non per modum ultimae voluntatis, sed conventionis ineuntur.

§. CLXXI.

Ex eodem axiōmate animaduertes, 16) in- Et pri-
 ter priuatos quoque non modo generatim uato-
 huiusmodi pacta adquisitiua valere, ac 17) irre- rum, ma-
 uocabilia haberi, si per modum contractus; xime pa-
 18) reuocabilia, si in vim vltimae voluntatis, eta do-
 ineantur: LEYSER. *medit. ad pandect. Spec. XLIV.* talia?
 §. I. et II. verum etiam 19) in specie rata esse
 pacta dotalia super hereditate coniugis prae-
 morientis, *) eadem tamen seruata distinctio-
 ne: cui et id adstruxere iureconsulti, quod
 pacta dotalia, in vim vltimae voluntatis condi-
 ta, quinque testium praesentiam requirant.
 STRYK. *de cautel. contr. Sect. III. Cap. VIII.*
 §. XVI.

*) Quin huiusmodi pacta dotalia, quae iuris Romani
 principiis plane repugnant, l. 3. C. de collat. l. 35. §. 1.
 C. de inoff. test. vbiq̄ue paene in Europa valere, iam
 ab aliis obseruatum est. De Belgio id testantur 10.
 SAND. *Lib. II. Tit. II. Def. VII.* ZYPAEVS *notit. iur.*
Belg. p. 171. SIM. VAN LEUWEN *cons. for. Lib. I. Cap.*
XII. n. XI. de Gallis CHASSAN. *ad consu. Burg. rubr.*
IV. §. VII. de Sabaudis ANT. FABER *cod. Lib. V.*
tit. IX. def. VI. de Hispanis DION. GOTHOFRED. *ad*
l. 5. C. de pact. conu.

§. CLXXII.

Nec minus inde reddideris rationem, cur Vnio-
 20) Germanis et pactum vnionis prolium, de nemque
 quo iam supra egimus, (Lib. I. §. CLXI.) ratum proli-
 fit, ac proinde 21) liberis vtriusque coniugis ex um.
 hoc pacto non minus iudicium familiae ercisc-
 undae competat, ac coheredibus reliquis, siue
 testamento, siue a lege ad communem here-
 ditatem

ditatem vocatis. ANDR. GAIL. *Obs. Lib. II. Cap. CXXV. n. V.* WESENBECK. *consil. LXXI.*

§. CLXXIII.

Quid
iustum
circa pa-
cta re-
nuncia-
tiva?

Denique quum et pacta renunciatiua iure Germanico valeant: (§. CLXVII, 4.) consequens est, 22) vt ne iureiurando quidem opus sit, quia illud iuris canonici *supra* ad eos tantum actus, qui iure ciuili irriti habentur, pertinet. STRYK. *de success. ab intestato Diff. VIII. Cap. X. §. XXIII.* Attamen 23) quia hic in diuersa eunt iureconsulti, nec pauci iusiurandum necessarium existimant: (vid. LEYSEN *meditat. Spec. XLV. §. I. sequ.*) rectissime sibi consulunt, qui operam dant, vt haec renuntiatio iureiurando firmetur. STRYK. *ibid.* Multa enim vir prudens agit ex aliorum, qui suo sensu abundant, sententia: non quod ea necessaria existimet, sed ne occasionem det vulturibus togatis, ex simplicitate sua lucrum captandi. *) Vid. STRYK. *de cautel. abund.*

*) Vere enim hic locum habet, quod monent ARCADIVS et HONORIVS Augusti in *l. 17. C. de testam. Superflua non nocent, namque necessaria praetermissa imminuunt contractus, et testatoris officium voluntati: non abundans cautela.*



TIT. VII.

DE TESTAMENTIS ET VLTIMIS
VOLVNTATIBVS.

§. CLXXIV.

Testamentifactionem, adeoque et successi-
onem testamentariam, ignotam fuisse priscis Germanis, iam superio-
re titulo (§. CXLI. *sequ.*) luculenter demon-
strauimus. Quum tamen hodie illis nihil sit
frequentius: operae precium fuerit, disqui-
rere, quando ea Germanis primum inno-
tescere, et in vsu esse coeperint? et an illa
suprema veterum Germanorum iudicia com-
mune aliquid habuerint cum testamentis
Romanorum?

Transi-
tio ad
succes-
sionem
testa-
mentaria-
m.

§. CLXXV.

Quum testamenta plane non fuerint Ger-
manicae originis: (§. CXLI.) consequens
est, vt eorum vsum a Romanis demum acce-
perint gentes Germanicae. Hinc primum
in regnis, quae populi Germanici in prouin-
ciis Romanis constituebant, testamenta con-
debant homines prouinciales, quos victores
iure Romano viuere permittebant: postea
hos et ipsi Germani imitari coeperunt, adeo-
que antiquissima Germanorum testamenta
non in Germania magna, sed in Gallia, Italia,
Hispania, quas antea Romani tenuerant, con-
dita esse, nouimus.

Testa-
menta
primum
Germa-
nis extra
Germa-
niam
magnam
inno-
tuerunt.

§. CLXXVI.

§. CLXXVI.

Prouin-
ciales
inter
Gothos,
Francos,
Burgun-
diones,
iure Ro-
mano
testa-
bantur.

Quamuis nimirum Visigothi, Ostrogothi, Franci, Burgundiones, regna satis ampla constituerent in prouinciis Romanis: tantum tamen abest, vt victis prouincialibus legum Romanarum vsu interdicerent, vt iisdem testamenta condere, *) et omnia reliqua negotia ciuilia ex legum Romanarum praescripto explicare permitterent. Cuius rei exemplum iam supra ex LEGE BVRG. Tit. LX. adduximus. (§. CLIV.)

*) Hinc et in corpore Alariciano, in vsum prouincialium Hispaniae et Aquitaniae compilato, (Vid. *hist. iur. Lib. II. Cap. I. §. XV.*) et in *statutis* Theodorici, quod Itolorum bono conditum, (Vid. *§. XVI.*) et in PAPIANI responso, quod in vsu prouincialium sub Burgundionum imperio viuentium confectum esse, docuimus alibi, (*hist. iur. Sid. §. XVII.*) pleraque de testamentis et vitis voluntatibus ex iure Romano repetuntur. Quin et integrae testamentorum formulae, ex lege Romana occurrunt apud MARCVLPVM *formul. lib. III. Cap. XII. et XVII.* et in *Append. Cap. LII.* ROM. LINDENBROG. *Cap. LXXII.* FORM. BALVZ. *Cap. VI. XXVIII. et sequ.* FORM. ALAM. *XIII. et XIV.* apud GOLDAST. *script. rer. Alamann. Tom. II. p. 20.*

§. CLXXVII.

Exem-
pla ho-
rum te-
stamen-
torum
anti-
quissi-
ma.

Itaque frustra vsu testamentorum apud Germanicae originis gentes probant exemplis testamentorum S. Remigii, quod post HODWARDVM, BRISSONIVM et AVB. MIRAEVM sincerius edidit IO. IAC. CHIFLET. *de ampull. Rhem. Cap. III. pag. 9.* Carileffi apud MABILL. *angl. lect. Tom. III. pag. 81.* Bertchramni, et Hadoindi, Episcoporum Cenomanentium, apud eum-

eumdem *ibid.* p. 112. et 158. Perpetui, Archiepiscopi Turonensis, apud GREG. TVR. *Lib. X. Cap. XII.* et DACHER. *spicileg. Tom. V.* Leodebaldi, Abbatis S. Aniani, apud HELGALD. FLORIAN. *in Rob. Rege p. 59.* Dagoberti Regis apud AIMON. *Lib. IV. hist. Franc. Cap. XXX.* Aredii et Pelagiae matris apud GREG. TVRON. *Lib. IX. Cap. XX.* et MABILLON. *analect. Tom. II. p. 48.* S. Amandi apud MIRAEVM *donat. piar. p. 8.* S. Willibrordi apud *eumdem p. 11.* S. Euerardi, Comitum, *ibid. p. 19.* et quae sunt huius generis alia. Omnia enim haec vel secundum leges Romanas condita esse, vel testamentorum nomen vix mereri, facile vnusquisque animaduertet. *)

- *) Pleraque, quae adduximus, per omnia iuri Romano conformata esse reperio. Hinc in illis obferuo sollemnem heredum institutionem, clausulam codicillarem, septem testium signa et subscriptionem. Quin et *Falsidiae* i. e. quartae Falcidiae mentio fit apud GOLDAST. *in chart. Alam. n. XIII.* Contra vix testamenti nomen meretur testamentum S. Amandi, in quo tantum de sepultura sua disponit. Sed et Euerardi Comitum testamentum magis diuisionis inter liberos prae se fert speciem, quam veri ac sollemnis testamenti.

§. CLXXVIII.

Itaque haec nihil faciunt ad mores Germanorum, saltem ad Germaniam magnam non magis pertinent, quam quae passim in Francorum annalibus memorantur, testamenta. Ita auctor est GREG. TVRON. *Lib. VI. Cap. XLV.* Rigintha, filia Chilperici, in Hispaniam ad

Alia apud Gregorium Turonensem.

sponsam proficiscente, *multas meliores natu, qui vi compulsi sent abire, TESTAMENTA condidisse, resque suas ecclesiis deputantes, petiisse, ut quum in Hispanias puella introisset, statim testamenta, tamquam si iam essent sepulti, reserarentur.* Sed et alibi idem auctor saepe mentionem facit testamentorum, ac *Lib. VI. Cap. XLVI.* vel maxime vitio vertit Chilperico, Regi, *quod testamenta, in ecclesiis conscripta, plerumque diruperit, quemadmodum Lib. VII. Cap. VII.* mirifice laudat Guntchramnum, *testamenta defunctorum, qui ecclesias heredes instituisserent, et quae a Chilperico compressa fuerint, restaurantem.*

§. CLXXIX.

Cut et Francis paullatim placuerint testamenta?

Ex quibus similibusque exemplis patet, sensim et ad Francoꝝ, aliosque Germanicae originis populos, hunc testandi morem transiisse, rem hanc in primis vrgentibus Episcopis et clericis, et plebi, futuri, prout decet, anxiae, persuadentibus, non posse eam quidquam facere animae post mortem salubrius futurum, quam si bona sua relinquerent ecclesiis ac monasteriis; Deum et caelites heredes scriberent, seruosque manumitterent. *HERT. notit. regni Franc. Cap. III. §. LVIII.* Quamobrem vix reperias eorum temporum tabulas, in quibus testator, se *pro remedio animae suae suorumque huiusmodi legata relinquare, non profiteatur.* *)

*) Hinc adeo multum sua interesse existimabant, testamentum suum post mortem non infirmari, ut multas iis infererent execrationes, et dira quae-uis

uis imprecarentur omnibus, qui supremum istud iudicium irritum facere audeant. Habes huiusmodi formulam apud LINDENBROG. *in formul. Cap. LXXII.*

§. CLXXX.

Interea testamenta plane ignorabat Germania magna, *) nisi quod in Alamanniam hunc morem citius penetrasse, paullo ante (§. CLXXVII.) ex GOLDASTI chartis Alamannicis ostendimus. At quemadmodum persuasio illa de igne purgatorio legatis facile restringendo, non minus Germanorum, quam reliquorum Christianorum, animos occupauerat: ita non mirum est, et Germanos paulatim testamentorum usum aliquem habere coepisse, quamuis animae consuluisset contenti, reliquas iuris Romani subtilitates et miseram illam anxiamque diligentiam insuper omnino haberent.

In Germania magna et ferius condita.

*) Saepe equidem non modo in legibus Germanorum, verum etiam in eorundem chartis ac diplomatis mentio fit *testamentorum*: sed raro illud vocabulum ultimam voluntatem, saepius vel quodlibet instrumentum, vel testimonium, (LINDENBR. *form. Cap. C.*) vel censum annuum, *entum in recreationem infirmorum* significat. Ill. a LVDEWIG. *reliqu. MSC. Tom. I. p. 360.* Exstant apud MABILL. *in analect. Tom. II. ABONIS, Abbatis, canones, quorum Cap. VII. p. 266.* variae exponuntur vocabuli TESTAMENTVM significationes. *Testamentorum, inquit, alia sunt dotis nomine, alia hereditatis donatione, alia de rebus ecclesiae, quas ab alienari est difficile, et dicuntur precariae. Exceptis his sunt praecepta, regalis, id est, Imperialis iussionis auctoritate roborata, quibus consentiunt Romani Pontificis privilegia, sub excommunicationis anathemate decreta.* Itaque non modo ultimae voluntates, verum etiam

instrumenta dotalia, precariae, praecipua et diplomata regia, quin quaelibet chartae testamenta vocabantur. Quod ideo monemus, ne quis, reperto in monumentis Germanorum hoc vocabulo, illico se reperisse testamentorum exempla, existimet.

§. CLXXXI.

Initio reges tantum et principes testamenta condebant.

Et primum quidem reges et principes tantum morientes condebant testamenta. Ut enim alia mittamus exempla: testamenti Henrici, Aucupis, meminit WITICH. *curr. ann. Lib. I. p. 641.* Ottonis II. GOBEL. *PERSON. Aet. VI. Cap. XLIX.* Exstant praeterea: intergra testamenta Brunonis, Archiepiscopi Coloniensis et Ducis Lotharingiae, apud *LEISSNER. script. rer. Brunsv. Tom. I. pag. 289.* Richildae, Reginae Poloniae, apud *FOELN. cod. dipl. palat. pag. 29.* Ottonis IV. Imp. apud *MEIBOM. in apblog. pro Ottone IV. pag. 148.* Testamenti quoque Ottonis, Diuitis, Misniae Marchionis, meminit auctor *CHRON. MONTIS. SER. ad ann. MCLXXXVIII.* Ex quibus tamen omnibus patet, nihil fere commune haec testamenta habere cum supremis Romanorum iudiciis, et vix aliud quidquam comprehendere, quam legata ad pias causas. *)

*) Neque enim de vniuersitate bonorum iis disponunt principes, neque heredes instituunt, neque formam aliquam, qualem exigit ius Romanum, obseruant, sed plerumque vel quaedam elargiuntur ecclesiis et monasteriis, vel a cognatis quaedam iniuste erepta veris dominis restitui petunt, vel alia quaedam iis imperant, se mortuis facienda. Ita sane Bruno in testamento suo nihil aliud disponit, quam vt cuppae aureae et tapetes cum reliqua supellestiale sua eccle-

ecclesiis cederent, et aliquot oratoria et coenobia vel de nouo conderentur, vel locupletarentur ex facultatibus suis. Nec alia sunt Richezae et Ottonis IV. Imp. testamenta, ceu vnusquisque, iis perleſtis, animaduertet.

§. CLXXXII.

Non vero conſistere exempla, vbi coeperunt, ſed euagandi latius viam ſibi munire, paullo poſt adparuit. Quod enim adhuc perſonae tantum illuſtres, et non niſi rarius, facere conſueuerant; id a ſaeculo XII. et alii nobiles, et equeſtris dignitatis, quin et plebei ordinis, homines facere coeperunt: quamuis id in ſuperiore Germania citius, quam in Saxonia vicinisque regionibus, fieri conſueuiſſe, animaduertam.

Postea et ingenui ac plebei.

§. CLXXXIII.

Sic ex ſaeculo XII. exſtat diploma, quo Conradus Imp. anno MCXXXIX. Folmaro cuidam dat facultatem res ſuas legandi eccleſiae Franckenthalenſi. SCHANNAT. *hiſt. Wortmat. in codic. probat. n. LXXV.* Ex ſequenti ſaeculo varia ſuperſunt teſtamenta, veluti Leutoldi, conditum anno cIo ccvi. apud illuſtrem ALVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IV. pag. 184.* Eliſabethae de Trenel, conditum MCCLXIV. apud FALCKENST. *cod. dipl. antiq. Nortg. pag. 52.* Pilegrini de Schwarzenaw, apud LVDEWIG. *ibid. Tom. IV. pag. 81.* Henrici, ſenioris, de Lapide, factum anno MCCLXXIX. apud FALCKENST. *ibid. pag. 68.* Vlrici de Solzburg, ſcriptum anno

Exempla teſtamentorum e ſaeculo XII. et XIII.

MCCLXXXV. apud *eundem pag. 86.* Ottonis de Raftenberg, factum MCCXCIII. apud LVDEW. *Tom. IV. reliqu. MSSC. pag. 99.*

*) Itaque tunc adhuc rarissima fuisse videtur testamentifatio: quia non opus fuisset speciali Imperatoris indulgentia, si illa iuris communis tum fuisset. Certe nec seruilis erat Folmari istius conditio, quippe praepositi Frankenthalensis, nec bona ipsa, de quibus disponere cupiebat, vel feudalia, vel alio iure Imperio obnoxia erant: et tamen profitetur Conradus Rex, *interuentu tori sui regnique consortis, Gertrudis, reginae, et perfidelis sui Buggonis, qui et Burchardus nominetur, Wormatiensis episcopi, crebra petitione adiisse suam praesentiam Folmarum, et petiisse, ut quidquid forte hereditatis habuerit a patre suo, felicitis memoriae Hebelino, id ei per manum mundeburdi sui ecclesiae B. Mariae Magdalenae in Franckenthal translegore liceret.* Quum ergo nulla excogitari possit ratio, cur tam obnixis precibus opus fuerit ad hanc veniam a rege impetrandam: non possumus profecto, quin ipsam testamentifactionem priuatis tunc nondum liberam fuisse, existimemus.

§. CLXXXIV.

Saeculo XIII. leges diferte concesserunt testamentifactionem.

Eodem saeculo XIII. in Flandria hominibus etiam infimae sortis facultatem fuisse de rebus suis testandi, satis patet ex Henrici II. Lotharingiae ac Brabantiae ducis, diplomate, quo anno MCCXLII. vasallos suos a manus mortuae oneribus liberat, ipsisque spuriiis, quos *Hauescot* vocat, si in terris suis nati sint, propinquos suos heredes esse iubet, in aduenis sibi ac successoribus suis iura pristina seruat, (Lib. I. §. CXCIX.) *saluo tamen per omnia. tam de alienigenis, quam indigenis talibus, quod testamenta quae condiderint,*

rint, robur habere, debeant et fortitudinem.
 MIR. dipl. Belg. Lib. I. Cap. LXXXV.

§. CLXXXV.

Insequente saeculo XIV, et quidem anno ^{Leges} MCCCXXIII Frisii in conuentu Opstalb- ^{de li-}
 mico condiderunt leges, inter quas et haec ^{bertate}
 est. §. XV: *Succeffiones hereditatum, quocum-* ^{testandi}
que modo euenerint, proxima secundum leges ^{et exem-}
et canones cedant successori, nisi discedens cum ^{pla te-}
consiliis rectoris testamento aliter duxerit ordi- ^{stamen-}
nandum. Sed et aibi hoc saeculo permulta ^{torum}
 condita testamenta reperimus. Sic anno ^{ex saec.}
 MCCCII. Leutoldus de Chuenring in Au- ^{XIV.}
 stria ratum habet testamentum vxoris suae,
 (*ibr letztes geschäfte.*) LVDEWIG. *reliqu.*
MSSC. Tom. IV. pag. 62. anno MCCCXII.
 Fridericus de Wasse confirmat testamen-
 ta Wolfg. de Iunginge et Waltheri de Lauben;
ibid. pag. 122. et anno MCCCXIII. Eberh.
 von Wasse testamentum patris sui Fridrici de
 Wasse. (*geschäfte vnd selgerath.*) *ibid. p. 147.*
 Anno MCCCXXII. Hermannus de Richen-
 bach aliqua monasterio Gristouienfi *legat in*
perpetuum testamentum: ibid. Tom. VI. p. 470.
 Similia sunt testamenta Annae de Lenters-
 heim, conditum anno MCCCXXXVI. apud
 FALKENST. *pag. 173.* Conradi de Lenters-
 heim, factum anno MCCCXLIII. *apud eum-*
dem pag. 176. et Alberti Ebneri anno
 MCCCXCV. scriptum apud *eundem p. 229.*

§. CLXXXVI.

Saeculo
XV. testa-
menta etiam
in Saxo-
nia con-
di coe-
perunt.

Omnia haec exempla nobis suggestit Ger-
mania superior: nec adhuc vllum se nobis
obtulit, his saeculis, in Saxonia vicinisque
prouinciis conditum. Quemadmodum enim
ipsum IVS SAXONICVM testamenta ignorat: ita
nec inter priuatos ea ibi adeo frequentia fuisse
videntur ante saeculum XV. *) Tunc ve-
ro anno MCCCCIX. mentio fit testamenti
riorum, in dioecesi Halberst. apud LVDEWIG.
reliqu. MSSC. Tom. VIII. pag. 456. legatorum,
monasterio noui operis iuxta Halam relicto-
rum, *ibid. Tom. V. pag. 251.* Denique in
chronico-episc. Merseburgensium Cap. XXXII.
§. X. apud LVDEWIG. *ibid. Tom. IV. pag. 122.*
legimus: *EX TESTAMENTO Guerinum de Merse-*
burgensi maiori dotauit: ex TESTAMENTO
cuiusdam ciuis Merseburgensis, nomine Thomae
Czigbock, centum florenos ad officium praedi-
cationis seu praedicatoris ordinauit.

*) In superiore vero Germania tam frequentia iam
fuerunt, vt et pauperibus aliquando persuaderetur,
vt conditis testamentis animae consulari vel-
lent, et de facultatibus suis amplius, quam in uita
erat, sperarent homines. Lepidum exemplum ex-
hibet *Chronicon Wormatiens.* apud ill. a LVDEWIG.
reliqu. MSS. Tom. II. p. 162. Cononius quidam
S. Martini, senex et plenus dierum, quum iam mor-
iturus esset, et circumstarent eum amici, solliciti-
tantes, vt testamentum conderet, ne intestatus mor-
reretur, respondit: non est necesse: sed quum ac-
cesserent, ille dixit: vocate notarium: quo venis-
te, iussit, vt scriberet: Ego etc. collegio meo do-
tum, et illi monasterio tantum, atque illi loco tan-
tum. Quumque iam multa scripsisset notarium, di-
cebant

cebant ei: Multa scripta sunt, sed ubi pecuniam recipimus? Quibus ille respondit: In domo ciuium, quam vocant monetariam, pecunia multa est, sed ego nullam habeo. Quo audito, omnes in risum commissi, dimisso eo, ad sua redierunt.

§. CLXXXVII.

Eodem saeculo, inualescente magis magisque testamentorum usu, publicis etiam legibus ciuibus fieri coepit testandi facultas. Exemplo esse possunt leges et statuta Coloniae, circa hoc tempus condita, nec non statuta Goslariensia, quae sub finem saeculi XIV. collecta esse, docet frater, *ὁ μακαρίτης, in antiqu. Gosl. Lib. IV. pag. 362.* In illis enim titulo von eruegude §. 59. legimus. *Een mach van syneme ghe winnen gud testament setten, he sy gesund, eder in siecke-bedden, vnde dat testament scholde me bringen vor den rad, wat de des overgeven, dat schall also gaen, wat se des aver nicht over en geven, dat ervet, ghelik alse ander gud, dar neyn testament van ghesatt ne is.* LEIBN. *Script. rer. Brunsv. Tom. III. pag. 487.*

§. CLXXXVIII.

Ceterum, expensis omnibus Germanorum testamentis, quorum hic numerum inire non licet, animaduertisse nobis videtur, I. ea ferè omnia pro animae remedio ac ad suas causas, condita consueuisse. *) II. Iis nec heredes plerumque institutos, nec vllas sollempnitates externas, quas ius Romanum praescribit, obseruatas esse: IV. Ea, I i § quae

quae olim ex legibus Germanicis obseruanda erant in traditionibus et donationibus inter viuos, plerumque et in testamentis fuisse obseruanda. Denique, V. reliquas plerasque regulas testamentarias, quas ius Rom. inculcat, neglectas a Germanis fuisse.

- *) Inde est, 1) quod plerumque instituerunt missas, anniuersaria, vel memoriam, quotannis recolendam. 2) quod testamenta Germani vocarunt non modo *seelen-geräthe*, verum etiam *ihren letzten und liebsten willen*: 3) quod ea plerumque condiderunt arbitrato sacerdotis, seu, vti in legibus Opstalbomicis vocatur, *rectoris*: 4) quod ipsum ius canonicum testamenta condi voluit coram parcho et duobus testibus: 5) quod si, antequam vltimam istam voluntatem perficere possent, aliquid testatoribus humani accideret, cognati illam perficere ac adimplere non dubitarunt: qualia exempla sunt apud ill. a LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IV. p. 63. 99. 147.*

§. CLXXXIX.

Plura
iuris
Germ.
vestigia
et hodie
super-
sunt.

Omnia haec principia iuris Germanici, recepto licet iure Romano, passim adhuc regnare in quibusdam Germaniae prouinciis ac ciuitatibus, non ita pridem ex instituto ostendimus singulari dissertatione *de testamentifactione, iure Germanico arctissimis limitibus circumscripta*. Neque tamen ideo inficiamur, vbi tales leges non sunt latae, pro norma esse ius Romanum, ex eiusque regulis diiudicari oportere, subsistatne testamentum, an corruat. Nos iam hic quasdam iuris Germanici reliquias conspectabimur.

§. CXC.

§. CXC.

Quum itaque olim testamenta pleraque ^{Legata} pro animae remedio et ad pias causas conde- ^{ad pias} rentur: (§. CLXXXVIII, 1.) non mirum est, ^{causas} 1) et hodie statuta nonnulla testatoribus id in- ^{in testa-} iungere, vt aliquid relinquunt ad pias causas, ^{mentis} (zu Gottes ehren,) STAT. ZITTAV. tit. von testam. ^{alicubi} quumque et ea, quae reficiendis operibus ^{necessa-} publicis impenduntur, pie impensa videren- ^{ria.} tur, id quoque 2) inculcari legibus quibusdam Germanicis, vt aliquid relinquatur *zu wegen und stegen.* STAT. ZITT. *ibid.* et HAMB. *Part. III. tit. I. art. XVI.* Immo 3) huiusmodi legata passim tanto rigore exigi, vt ideo nullum haberi iubeatur testamentum, in quo nihil ad hunc finem relictum sit. *) STAT. ZITTAV. *ibid.*

- *) Ita STATUTA ZITTAVIENSIA: *Was aber sonst vor testament gemacht werden, darinnen gottes ehre und gemeinen nutzes vergessen, die sollen keine krafft noch macht, auch keinen naamen eines testaments haben, sondern nichtig, kraftloß, und vnbündig angesehen und gehalten werden.* In STATUTIS HAMB. nihil tale occurrit. Immo, quum illa certam pecuniae summam imperent testatoribus, (zum wenigsten ein marckstück zu wegen und stegen) non dubito, quin, ea dispositione neglecta, ratum tamen futurum sit testamentum, modo heredes tantum inferant in aerarium publicum.

§. CXCI.

Quumque vel maxime in eo a testamenti- ^{Heredis} factione Romana discrepant vltimae Ger- ^{institu-} manorum voluntates, quod hi plerumque ^{tio non} ne ^{semper} requiritur,

ne heredes quidem instituerent, (§ CLXXXVIII, 2.) Romanis contra heredis institutio veluti caput et fundamentum testamenti videretur, §. 34. *Inst. de legat. sine quo nihil in testamento scriptum valebat. l. 1. §. vlt. ff. de vulg. et pup. subst.* facile reddideris rationem, 4) cur de Belgio suo testantur VINN. *ad §. 12. Inst. de hered. inst.* GVDELIN. *iur. nou. Lib. II. Cap. V.* FRANC. ZYP. *notit. in Belg. p. 182.* multorum locorum moribus ita comparatum esse, ut heredis institutio ad testamenti substantiam non videatur necessaria: ac proinde 5) et id hodie testamentum dicatur, in quo, relictis tantum legatis, nulla heredis institutio facta sit. *) Cur *ORRE HAMB. Part. III. tit. I. art. XXII.* causam legamus: *Ob wol in gemeinen rechten die erbe einsezzung in einem iedem testament für das haupt-stuck gehalten werde: so solte doch nach stadt-recht des testatoris willen, darinn kein erbe benennet werde, für kräftig gehalten, vnd vollstreckt werden.*

*) *IVS LVBECENSE Lib. II. tit. I. Art. XII.* mentionem facit heredis institutionis, eamque statuit esse necessariam: *nach Lubischen rechte muß ein iedlich testament institutionem heredis haben: sed forma a iure Romano plane diuersa est, et ita exprimitur: Welche in dieser clausul in forma begriffen seyn soll: Vnd giebt seinen nebesten erben, si seynd einer, zwey, oder mehr, die sich wie rechte nechsten zeugen lassen werden, N. N. Vnde MEVIVS ad b. art. n. 6.* obseruat, in hoc articulo improprie accipi heredis institutionem pro donatione certae rei. Quamuis enim instituendi necessario sint proximi heredes, non cogi tamen testatorem iis plus relinquere, quam *acht schillinge vnd vier pfennige.* *IVS LVBEC. Lib.*

Lib. I. tit. VI. art. II. et Tit. IX. art. II. Itaque, qui hoc ius emendarunt, hanc laciniam de necessariâ heredis institutione, ex iure Romano detractam, moribus patriis parum prudenter videntur adfuisse. Multos enim hunc articulum peperisse errores, ipse fatetur MEVIUS *ad d. Lib. II. tit. I. art. XII. n. 1.*

§. CXCII.

Quin tantum abest, vt maiorum testamen- Non
ta heredum institutionem habuerint, vt ne vbique
fas quidem fuerit Germanis, proximis agna- testari
tis spem succedendi vlla ratione interuertere. fas est
Atque inde esse arbitramur, 7) quod alibi va- fine
fallis sine dominorum consensu testari non consen-
licet, veluti in Brabantia, Gelria, Hollan- su supe-
dia: *ZYP. notit. iur. Belg. pag. 182.* FRID. A SAN- riorum.
DE *de feud. Gelr. Tract. II. Cap. II. §. IV.*
NEOSTAD. *obs. feud. Dec. I. obs. I. pag. 35.* alibi
8) ne vlli quidem ciuium ius est testandi, nisi
qui illud a principe impetrarit. Quale ius in
Slesuicensi ducatu esse, nouimus. *)

*) Attamen FRIDERICVM, Regem Daniae, d. XXI. Iart. MDCCVII. hunc rigorem ita temperasse, vt quisque, liberis orbus, in coniugis superstitis commodum condito testamento possit disponere, ex actis ad ordinem ICtorum tum Viadrinorum, tum Halensium, subinde transmissis, animaduertimus.

§. CXCIII.

Inde est porro, 9) quod alicubi testatus Nec co-
mori non potest, cui sunt cognati, sed iis vel gnatos
totam hereditatem, (veluti vbi valet *ius re- vbique*
cadentiae, das rückfalls-recht, e. g. in duca- licet ex-
tu Iuliacensi et Montensi, nec non in Frisia cludere.
orientali. HERT. *de collis. leg. Sect. IV. §. XXVI.*
et de

et de fratr. germ. querel. Sect. II. §. XII. IVS
OSTERIS. PROVINC. Lib. II. tit. 135. 138. 154. 155.) Vel
10) partem eius aliquam, veluti in Suecia fi-
beris extantibus novem decimas, reliquis
cognatis intra regnum; duas tertias, exteris
dimidiam omnium bonorum, saluam relin-
quere, immo ne his quidem, in Sueciam im-
graturis, fundos et praedia adimere possit.
LOCCEN. *Suec. regni leges civil. tit. III. Cap.
XIX. pag. 65.* Itemque quod 11) Lubecae in
pristini iuris patrii memoriam lege statutum
est, vt proximis cognatis ex bonis ad quibus
necessario relinqui oporteat *acht schillinge und
vier pfennige.* IVS LVBEC. Lib. I. tit. VI. Art. II.
et tit. IX. Art. II.

§. CXCIV.

Multo-
que mi-
nus fi-
scum.

Quin ex eadem ratione 12) Germani alibi
bi eos omnes intestabiles esse volunt, quos
rum sibi bona fiscus vindicat, quales 13) in
Hannonia hodiernum sunt peregrini, et ter-
ris trans Scaldin aduentantes, 14) alibi *hage-
stolzii*, i. e. qui in caelibatu consenserunt,
de quibus quae dici poterant, omnia occu-
parunt dissertationibus suis antirrheticis ill.
a LVDEWIG et PAVLL. KRESSIVS: nec non 15)
alibi spurii. (Lib. I. §. CXLIX.) Addimus,
16) ne puberes quidem omnes, sicuti iure
Romano, testamenta condere posse, sed 17)
IVS HAMB. Part. III. tit. VII. §. XIII. itemque
IVS PROV. PRUSSICVM Lib. V. tit. I. Art. I. §. IV.
et statutum Cellense apud STRYK. *cautel. test.
Cap. III. §. 66. pag. 84.* octodecim saltim an-
norum,

norum, 18) mores Groningensium non nisi viginti annorum adolescentibus ius faciendi testamenta indulgere, *HVBER prael. ad pandect. Lib. I. tit. III. p. 27.*

§. CXCIV.

In primis vero ob eandem rationem ^{Non va-}cauent leges Germanicae, 19) ne de omnibus ^{let vbi-}promiscue bonis testari fas sit, sed 20) alibi ^{que dis-}bona immobilia excipiuntur, heredibus neces- ^{positio}fario relinquenda, veluti Groningae, ^{de bonis}*HVBER. ibid. et Rigae, IVS MVNIC. RIG. Lib. III. tit. omni-
IV. art. IV. alibi 21) bona auita, et a paren- ^{bus.}tibus ad testatorem profecta, *) adeoque 22) tantum de bonis adquisitis testamenta conde-
re permittitur. Quale ius Lubecae, Hambur-
gi, in ducatu Bremensi, Dithmarsico, Min-
dae, Groningae et in Flandria, sed et alibi
passim, vigere, patet *EX IVR. LVBEIC. Lib. I. Tit. X. art. VI. IVRE HAMB. Part. IV. tit. I. art. IV. IVRE EQV. BREM. tit. von succession. vnd erbnehmung. IVRE PROV. DITHM. Art. XXVII. STATV-
TIS MIND. Lib. II. tit. I. Art. V. HVBER. ibid.*
Sed et 23) de rebus expeditoriis et utensili-
bus, (*vom heergewette vnd gerade*) nec non
24) de portione statutaria, coniugi supersti-
ti debita, testamento contra leges non licere
quidquam disponere, satis notum est. *RICHT. de success. ab intest. Sect. III. Memb. I. n. CXI.*
et passim.*

*) Hoc et antiquis placuit, et iis maxime gentibus, quae aequae, ac prisca Germani, testamenta ex rebus publicis suis exfulare voluerunt. Hebraei sane non patiebantur liberos cognatosue plane a succe-
sione

sione testamenti excludi, sed id tantum permittebant, ut vnus ex liberis, vel vnus ex cognatis prae reliquis institueretur. SELDEN. *de success. et legib. Hebr. Cap. XXIV.* Et Laedaemonii, antequam liberam testamentifactionem ciuibus concederent Epitadeus, agros auitos, familiae cuius a republica attributos, ad extraneos transferri non pariebantur: atque inde est, quod Epitadei institutum acriter perstringit ARISTOT. *polit. Lib. II. Cap. IX.* Recte sane Plato *de legib. Lib. XI.* ἡμᾶς ἕτε ἡμῶν, ἕτε τὴν εἰσὶν ταύτην, πάντος δὲ τῷ γένει ἡμῶν, τῷ δὲ ἑαυτοῦ καὶ τῷ ἐπειτα ἰσομένους. Non esse nec quod ad personam, nec quod ad bona, sed gentis ac familiae, praesentis ac futurae.

§. CXCVI.

Sollemnitates iuris Romani an hodie vbiq̄ue obseruentur?

Quemadmodum porro maiores non omnes sollemnitates, quas Romani anxia ac diligenter obseruabant, receperant: (CLXXXVIII, 3.) ita 25) et posteros eas possum negligere, animaduertimus, quandoquidem haut pauca statuta vix aliam testamentifactionem admittunt, quam quae publica magistratus fide nititur, IVS LVBEC. *Lib. II. tit. I. Art. II.* IVS HAMB. *Part. III. tit. I. Art. I. et III.* IVS COLON. *tit. von Testamenten und Vermächtnissen.* STAT. ZITTAV. *tit. von Testamenten.* 26) Multis etiam locis, maxime inter ruficos, ratum est testamentum, conditum coram parocho et duobus testibus, HERRSCHVRF. *Cent. III. Consil. LVIII. n. 9.* veluti in Saxonia extra electoratum: LINCK. *ad tit. X. de testam. §. VII.* vel, 27) adhibitis notario et duobus testibus, vti in Belgio. GVDELIN.

iur.

iur. nou. Lib. II. Cap. V. GROT. introd. Lib. II. Cap. XVII.

§. CXCVII.

Quum praeterea, quae olim ex legibus Testa-
 Germ. obseruanda erant in donationibus in-menta
 ter viuos, ea plerumque etiam in testamen- aegrotorum non
 tis obseruanda existimarint maiores nostri, valent
 (§. LXXXVIII, 4) donationes vero et tra- in Frisia
 ditiones fieri non possent nisi a sanis et vege-orienta-
 tis: (§. CLXIII.) facile intelligitur, 28) cur apud li
 Frisiōs orientales non valeat testamentum
 aegroti, sine heredum consensu, nisi quod
 quis ad pias caussas aliquid legare possit,
 (*dann den billigen vnd den herrn ein Engelisch
 marck,*) IVS PROV. OSTFRIS. Lib. II. Cap. CLXXII.
 et Cap. CXCVII. et CCXI. Cur 29) idem etiam
 obseruetur Groningae. HVBER. *prael. ad pand.*
Lib. I. tit. III. p. 27.

§. CXCVIII.

Et quemadmodum vigorem corporis argu- Nec Co-
 mento aliquo seu Specimine testari teneban- loniae.
 tur, qui res suas mobiles alteri donare vel-
 lent: (§. CLXIII.) ita 30) et iure Colonien-
 si statuitur de rebus immobilibus: *So wer einig
 sein erbe oder erbrenthen, binnen der alten
 mauren in der stadt, vnd auch im ausburger
 vnd niede-gericht gelegen, durch testament
 oder vermächtniß vergeben oder besetzen wolte:
 der soll ungehalten oder ungeleitet sieben fuß
 lang gehen, als das von alters gewöhnlich ge-
 weßt ist, es wäre dann, daß er einige kântliche*

K k

lähmde

*lähmde hätte, darumb er mit seinem fuß nicht
gaen kunte, sonder argelist. IVS COLON. tit. von
testamenten vnd vermächtn.*

§. CXCIX.

Passim
requiri-
tur he-
redum
consen-
sus.

Quemadmodum porro non permittebant
leges veteres quidquam inter vivos donari
sine heredum consensu: (§. CLXII.) ita fa-
cile reddideris rationem, 31) cur et testamen-
to aegrotus alicubi nihil possit in alium sine
heredum voluntate transferre. IVS PROV. FRIS.
*Lib. II. Cap. CCXI. KETTL. decis. Ostfris-
Cent. I. Dec. XXIV. n. XXXII.* 32) Cur iure
Hamburgico et moribus Belgicis vxor non
condat testamentum, nisi auctore marito.
IVS HAMB. *Part. III. tit. I. §. XIII. XIV. et
XVII. ZYP. notit. iur. Belg. pag. 182.* 33) Cur
iure Lubecensium plane non testetur femina,
nisi vel mercatrix, vel vidua, cui maritus
praemortuus facultatem testandi dederit. IVS
LVBEC. *Lib. II. Tit. I. art. XIV. et art. X. **

*) Vtroque tamen loco obseruauit MEVIVS, id ius
tantum intra inclytæ Lubecæ pmoeria custo-
diri: Rostochii vero, Stralsundi, Gryphswaldiae
aliisque in vrbibus, vbi ceteroquin iure Lubecen-
sium viuitur, feminas quascumque et sine mari-
torum, curatorum, cognatorumque consensu te-
stamenta condere. Quod et de ciuitatibus Hol-
faticis, iure Lubecensium vtentibus, adfirmat
NIC. GOTHOFR. STEVRNAGEL *memorab. statut. Lu-
bec. et Hamb. axiom. XXIV. p. 44.*

§. CC.

Postremò vti regulas testamentarias, iure Regulae Romano proditas, non adeo religiose obser-
uarunt maiores nostri: (§. CLXXXVIII, 5.) ^{menta-} ^{riae' iu-}
ita 32) et hodie easdem passim negligi anim- ^{ris Rom.}
aduertimus a statutorum conditoribus, et non vbi-
ia primis 33) axioma illud tritissimum: *nemi-* ^{que re-}
nem posse pro parte testatum, pro parte intesta- ^{ceptae.}
tum decedere, vix locum habere iis locis, vbi
de certo tantum bonorum genere testamenta
condere licet, recte obseruarunt GVDELIN.
iur. nouiss. Lib. I. Cap. V. CHRISTIN. Vol. I. De-
cif. LI. n. XLVIII. et AVCT. vsus mod. Dig. Lib.
XXVIII. Tit. V. §. VIII.



TIT. VIII.

DE EXHEREDATIONE, SVBSTITUTIONIBVS, ALIISQVE TESTAMENTORVM ACCESSORIIS.

§. CCI.

Transi-
tio ad
testa-
mento-
rum ac-
cessoria.

EX iis, quae generatim de testamentis diximus, intellectu haut difficile est, quid de exheredatione, substitutionibus, legatis, fideicommissis, codicillis, statuerint Germani. Ne tamen quidquam harum rerum plane praetermississe videamur: de singulis quaedam, quae in Germanicarum antiquitatum monumentis, notauimus, subiiciemus.

§. CCII.

Exhere-
datio
veteri-
bus Ger-
manis
ignota.

Quum TACITI temporibus, ceu supra demonstrauimus, nullum fuisse apud maiores nostros testamentum: (§. CXLI. sequ.) consequens est, vt et nulla fuerit EXHEREDATIO, quae *rupias* id nomen meruerit. Et sane in tanta simplicitate morum, ignota adhuc luxuria, qua adolescentum animi vel maxime corrumpuntur, denique *herum minoretti et seruum nullis educationis deliciis discernentibus, et vtriusque inter eadem pecora, in eadem humo degentibus*, teste TACITO *de mor. Germ. Cap. XX.* rarissime incidisse oportet causas, cur exheredes liberos scribere vellent. Hinc potius, quod eodem loco monet TACITVS, *heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum.*

§. CCIII.

§. CCIII.

Neque tamen dubito, quin si cui filius, Quamuis licita
ad omne scelus profligatus, contigerit, patri uis licita
potestas fuerit, hoc monstrum domo expel- fuisse vi-
lendi, abdicandique, ita, vt nullam adipi- deatur
scendae spem hereditatis habuerit. *) Quum abdicatio.
enim tale exemplum in matrem adulteram,
fieri posset ex moribus Germanicis: TAC.
ibid. Cap. XIX. eccui dubium videatur, quin
in liberos eadem seueritate animaduertere
potuerint? Et quum ius vitae et necis paren-
tibus in liberos competisse, supra argumen-
tis haut poenitendis probarim: (*Lib. I. §.*
CXXXV.) quis iisdem facultatem, degene-
res abdicandi, domoque expellendi, nega-
nerit?

*) Equidem eius rei exemplum adferre non possum
ex illis temporibus. Id tamen nouimus, Segestis
filiam, quum alii pacta raptaque inuito patre nu-
psisset Arminio, ita neglectam ab hoc esse, vt eam
Romanis grauidam seruire pateretur. TACIT. *an-*
nal. Lib. I. Cap. LVII. Nimirum tunc non
ridebantur liberorum vitia: nec corrumpere ac
corrumpi saeculum vocabatur.

§. CCIV.

Postea illae gentes Germanicae, quae extra Exhere-
Germaniam in prouinciis Romanorum sibi datio-
Lares posuerant, sicuti Romanae iuuenturis nem ta-
vitiis liberos suos paullatim intellexerunt im- men re-
bui, ita et solemnem illis exheredandi con- ceperant
suetudinem vltro adoptarunt. WISIGOTHI sa- thi.
ne et tertiam bonorum partem, itemque tres
dotis maternae quadrantes, liberis, tamquam
legiti-

legitimam deberi, existimarunt, et eosdem exheredes scribi passi sunt, qui parentes verberassent vel atrociori adfecissent iniuria, vel eis crimen obiecissent, LEX WISIG. *Lib. IV. Tit. V. §. I. et II.* vel si filia se adulterio polluisset. *IBID. Lib. III. Tit. IV. §. VII.*

§. CCV.

Et Langobardi.

Similis fere et LANGOBARDORVM fuit legislatio. Nam et hi legitimam debebant liberis, et mater quidem filiae binas tertias, pater filio trientem, vel si plures fuerint semissem: et liberos exheredes scribi nefas habebatur, nisi ob iustas causas, quales, quod ad filios attinet, erant, si vel vitae parentum struxissent infidias, vel contra eorum salutem consilia iniissent, vel eos percussissent voluntarie, vel incestum cum nouerca admisissent: LEX LANGOB. *Lib. II. Tit. XIV. §. XII.* Contra filias et forores exheredare ius erat, quotiescumque contra voluntatem patris fratruum egissent. *ibid. §. XXIII.*

§. CCVI.

Nec in reliquis Germ. legibus, nec in iure Saxonico exheredationis fit mentio.

In reliquis Germanorum legibus vel nulla fit exheredationis mentio, vel id vocabulum sensu plane alio accipitur. *Exheredes enim esse* medio aetio dicebantur omnes, exfortes hereditatis, quantumvis illis non deberetur portio legitima. MARCVLF. *Lib. II. form. Cap. XVII.* CAPITVLAR. *Lib. I. Cap. CXV.* GREG. TVRON. *hist. Lib. IX. Cap. XX.* PITH. *in glossar. ad libros capitular. pag. 720. edit. BALVZ.*

Quin

Quin ne medio quidem aevo quidquam de exheredatione cauet IVS SAXONICVM, *) quippe quod ne testamentorum quidem vllam facere mentionem, iam supra obseruauimus. (§. CLVIII.)

*) Equidem illustre exheredationis exemplum existare quis existimare posset in *hist. landgr. thür. ad ann. MCCLXXXVII.* vbi legimus, Albertum, Thuringiae Landgrauium, quem Degenerem vocant, pace (a Rudolpho Rege Romanorum facta) non obstante, dolentem de malis, sibi a filiis, (Fridrico et Dietzmanno) illatis, volentemque eos EXHEREDARE, vocasse filium suum Apetz, natum de concubina sua, Kunnen de Isenberg, quam legitimum sibi fecerit post obitum dominae Margarethae, et dedisse praedicto filio suo Apetz castra, scilicet Tenneberk cum aduocatis suis, et plures ciuitates et castra daturum fuisse, in damnum legitimorum filiorum, si domini terrarum et oppida non obstirissent. Sed facile patet, eadem notione hic sumi vocabulum exheredare, quam in hoc paragrapho descripsimus. Exheredare enim filios conabatur, non per testamentum, sed bona vendendo dissipandoque.

§. CCVII.

At IVS ALAMANNICVM, vti alibi, ita et hic Auctor iuris Romani placita adoptauit. Nam *Cap. CCLII.* docetur, *wie ain chind vater- vnd mutter-erb verwürchent*, aitque speculator: *Es mag ain chind vater- vnd mutter-erb verwürkchen mit vierzehen dingen.* Deinde eadem fere recensentur caussae, quas *Nouella CXV.* expressas nouimus, quamuis in quibusdam male adsequutus IVSTINIANI mentem videatur iuris istius Alamannici conditor. *)

*) Sic e. g. causa exheredationis secunda illi est: *Ob ein sun seinen vater vber, und einlepffet, wader recht, und stirbt er in vankimisse, additurque ibi: der sun hat auch sein erib ezemat verloreu: quum secundum Nou. CXV. Cap. II. §. 8. sufficiat, si filius parentem a quocumque inclusum, fideiussione sua, quum posset, non liberarit. Causa quarta illi est, ob ein sun seinen vater geschlagen hat an das wang, oder wie er in vürlichen geschlagen hat, quum secundum Nou. CXV. Cap. III. §. 1. sufficiat, siliq; pateri manus intulisse. Causa septima ita explicatur consuetudo cum maleficis: *Ob der sun ain trepp wirt, oder sus ain posewicht mit sogetanen leben, da ain yeglich mann sein erb-recht mit verlaeset, oder ob er wissenlichen mit denselben lawren wonet, die daselb leben an ihn habent. Causa octava illud tantum liberorum delictum vindicat, si patrem pro remedio animae dispositurum prohibuerint, addito nescio cuius sanctuli testimonio, quia ita parentes se a sempiternis cruciatibus redimere potuissent, quod iam non possunt, quum et velle et nolle defierint. Quod sane dictum vix sancto homine dignum dixeris. Causa IX. mimos et arenarios, de quibus d. Nouell. CXV. Cap. III. §. 10. agitur, interpretatur spillentbe, die gut vor ehre nemen. Praeterea haeresin, de qua d. Nou. §. 14. inter causas exheredationis plane non refert speculator, eiusque loco causam XIII. allegat: *ob ain sun seinen vater sein gut mit groser unfur mer, dann halbes, vertuet. Quin eodem capite de exheredatione parentum agens, non modo tres tantum causas ad eam sufficere statuit, puta incestum cum nuru, itemque si pater filium captiuum habuerit, vel si criminis capitalis eum accusarit: verum etiam patrem ideo viuum bonis suis priuari, eaque filiis cedere, existimat, adeoque et Speculator Alamannus hic exheredationem accipit pro priuatione non modo hereditatis futurae, sed et bonorum, quae quis in praesenti possidet. (§. CCVI.)***

§. CCVIII.

§. CCVIII.

Quemadmodum itaque exheredatio liberorum non est iuris Germanici inuentum, sed adoptata ex iure Romano in mores Germanorum paullatim iuit: ita multo magis idem dicendum fuerit de SVBSTITVTIONIBVS, quum nec pupillaris, nec vulgaris, nec exemplaris, nec militaris, in vetustis aequae, ac medii aevi legibus, vsquam fiat mentio, et Germani singulares illas causas, ob quas Romani tanti substitutiones fecerunt, procul omnino habuerint. *)

- *) Sine herede esse ignominiosum videbatur Romanis, veritis, ne ita sacra priuata interirent. Hinc substitutio vulgaris. Pupillariter substituere poterat pater liberis impuberibus, quia per leges XII. Tabularum legare poterat de familia pecuniaque suae rei: quales res patris ex principiis iuris Romani et liberi erant. Haec vero omnia alienissima erant a moribus Germanorum. Vti enim Germani illam religionem deorum penatium vel ignorarunt, vel de eius interitu parum fuere solliciti: ita pupillarem substitutionem moribus Germanorum concinnam esse, recte negat VINN. ad §. 9. Inst. de pupill. subst. n. 2. Apud Batauos, inquit, et Zelandos substitutioni pupillari locum non esse, vixote quae originem trahat a singulari illa Romanorum in liberos potestate, quae nobis incognita, tradit GROTIUS Lib. I. manud. ad Batau. iurispr. Cap. VI. et Lib. II. Cap. XIX. fin. et secundum eum iudicatum est. De certo quoque Belgio, (excipienda tamen Frisia,) idem refert OYDELIN. Lib. II. de iure nouiss. Cap. V. sub fin.

§. CCIX.

Legata
et fidei-
com-
missa.
prius
recepta,
quam
here-
dum in-
stitutio-
nes.

Tametsi vero LEGATA quoque et FIDEICOM-
MISSA Romanae originis sint, nec iis locus
esse potuerit apud Germanos, rei testamenta-
riae plane ignaros : ex iis tamen, quae su-
periore titulo obseruauimus, patet, in Ger-
manorum testamentis, vbi semel illa recepta
fuerant, raro occurrisse heredis institutio-
nem, eosque supremis his tabulis suis ple-
rumque non nisi legata quaedam ad pias caus-
sas praestare iussisse heredes. (§. CLXXXVIII.)
Ex quo sane consequitur, vt Germanis multo
prius LEGATA et FIDEICOMMISSA, *) quam here-
dum institutiones ac substitutiones, inno-
tuerint.

*) Vt et fideicommissi exempla demus, auctor est
MART. CRVSIVS *annal. Sueu. Part. II. Lib. X. Cap. VII.*
p. 307. Fridericum, Ratisbonensem Aduocatum,
anno MCXLVII, Hierosolyma cum Conrado, Rege
profecturum, matrem Luikhardam rogasse, vt,
si ipse in itinere moreretur, praedium suum in
Brunnen coenobio Admutensi daret, idque sic fa-
ctum esse, contradicente licet primum Iuditha, vxore,
ac deinde Adelheide, sorore, Comite Hochin-
burgense, quas tamen monachi, partim oblata ple-
na fraternitate, partim datis XX. talentis Chremsen-
sis monetae, placarint. Exstat etiam fideicom-
missum per modum conuentionis inter Ebroinum,
Abbatem Broniensem, et Manassem, nobilem virum
de Hirge anno MCXL. in ita constitutum apud
AVB. *MIR. notis. eccles. Belg. Cap. LXXX. p. 689.*

§. CCX.

§. CCX.

Ex eo verò porro consequitur, vt et co-
 DICILLI prius Germanis innotuerint, quam te-
 stamenta sollempnia, quin testamenta pleraque
 Germanorum similia sint codicillis, quam
 Romanorum testamentis. Sane THEODERICVS,
 Rex Ostrogothorum *edicti Cap. XXVIII.*
 quamuis legum Romanarum maxime habeat
 rationem, testatoribus tamen dat optionem,
 quinque an septem velint adhibere testes,
 ingenuos, puberes, in conspectu testatoris,
 vno tempore, eodem rogante, subscriben-
 tes. Quem quinque testium numerum pro-
 bare etiam videmus LEGEM BVRG. *tit. LX. §. L*
 Quin iure Langobardico binos testes suffice-
 re, tradit ANDR. DE BARVLO *in leg. Langob. Tit.*
XXXII.

Ergo et
 codicilli
 Germa-
 nis olim
 notiores,
 quam
 testa-
 menta.

§. CCXI.

Itaque dubitari nequit, quin 1) EXHEREDA-
 TIONES hodie plane ex iuris Romani princi-
 piis aestimandae sint, adeoque 2) nullae hic
 supereffe possint iuris Germanici reliquiae,
 nisi quod 3) non omnes exheredationis cau-
 sas, quas IVSTINIANVS *Nou. CXV.* expressit,
 vbique admitti, obseruat SIM. VAN LEEVWEN
conf. for. Part. I. Lib. III. Cap. IV. §. XXIII.
 vbi tradit, in Belgio legibus cautum esse, vt
 ob diuersitatem religionis nemo exheres scri-
 bi possit, modo sit Christianus, (add. CARPZ.
Part. III. Const. XIV. Defin. X.) simulque
 §. XIX. obseruat, 4) passim admitti exhere-
 dationem liberorum ob luxum et prodigalita-
 tem,

Conclu-
 siones
 quae-
 dam iu-
 ris
 Germ.
 de exhe-
 redatio-
 nibus.

tem, *) rataque esse testamenta, quibus, pro filiis, ob id vitium exheredatis, nepotes instituantur, dummodo illis relinquatur usufructus. Vid. IO. A BANDE *Lib. IV. tit. II. Def. III. OAKPZ. Part. III. Const. IX. Def. XI.*

*) Id ex moribus Germanorum antiquis superesse, ita-
 tis intelligitur ex IVR. ALAM. *Cap. CLII. quod numero XIII. in re exheredationis causas, proissa
 haeresi, referre prodigalitem, supra ostendimus. (§. CCVII. *)*

§. CCXII.

De substitu-
 tionibus.

Idem ergo §) et de substitutionibus erit
 repetendum, quas, ubi receptae sunt, ex
 solo iure Romano esse aestimandas, vel inde
 patet, quod de iis nihil usquam statuerint
 Germanorum legislatores. Eas tamen 6)
 non ubique, saltem in Belgio, esse receptas,
 iam supra ostendimus, (§. CCVIII. *) idque
 etiam testatur SIM. VAN LEEUWEN *ensur. Belg.
 Part. I. Lib. III. Cap. VI. §. XIV. Quin 7)
 quum patria potestas in Germania utriusque
 parenti sit communis: (Lib. I. §. CXXXVIII,
 4.) non mirum est, et matri passim permitte-
 re leges, ut liberis directe substituatur pupilli-
 titer. IVS PROV. WVRTENB. *Part. III. tit. XII.
 REF. NORICA Tit. XXX. §. II. fin. IVS PROV. PAL.
 Part. III. Tit. X. §. X. REF. FRANCOF. Part. IV.
 tit. IV. §. V.**

§. CCXIII.

Denique postquam testamenta semel ciuitate a Germanis donata sunt, nullum est dubium, 8) quoniam et in LEGATIS, et in CODICILLIS, nihil Germani singulare habeant, adeoque, 9) quoties de iis incidit quaestio, ad ius Romanum sit recurrendum, tamquam ad normam aliquam communem: quamuis 10) ob statuta, quibus hereditatis institutio minus necessaria iudicatur, nec non ob miram, quam clausulae codicillari tribuunt, efficaciam, iura testamentorum ac codicillorum et hodie passim confundi, obseruent CHRISTIN. *Vol. I. Decis. CCXLVII. n. VIII, Decis. CCCIII. n. XVII. GVDLIN. iur. nouiss. Lib. II. Cap. V. VIEN. ad §. ult. Inst. de her. inst. n. 1. SIM. VAN LEEUW. conf. Part. I. Lib. III. Cap. II. §. II.*



TIT. IX.

DE SVCCESIONIBVS AB INTESTATO, VEL LEGITIMIS.

§. CCXIV.

Transitio ad
succes-
siones
ab inte-
stato.

Quoties nec pactis, nec supremis tabulis, de hereditate futura quidquam fuerat cautum: toties leges et mores Germanici ad successionem vocabant proximos sanguine, de qua legitima INTESTATORVM SVCCESIONE iam erit differendum.

§. CCXV.

Earum
duplex
princi-
pium
genti-
bus pla-
cuit.

Quemadmodum vero iam ab aliis obseruatum est, veteres in scribendis de hac successionem legibus partim familiarum, quas opibus florere et conseruari incolumes, reipublicae interesse existimabant, *) partim praesumptae defunctorum voluntatis, rationem habuisse: PVFEND. *iur. nat. et. gent. Lib. IV. Cap. XI. §. I. et VIII.* ita et diuersarum Germanicarum gentium alias priorem; alias posteriorem finem ab oculos habuisse, res ipsa docet.

*) Recte ISOCRATES in *sociali* p. 350. Καίτοι χρηή πόλιν μὲν εὐδαιμονίζειν, μὴ τὴν ἐξ ἀπάντων ἀνθρώπων εἰκὴ πολλὰς πολίτας ἀθροίζεσαν, ἀλλὰ τὴν τὸ γένος τῶν ἐξ ἀρχῆς τὴν πόλιν οἰκησάντων μᾶλλον τῶν ἄλλων διασώζεσαν. *Ea demum ciuitas felix est habenda, non quae e promiscua hominum colluue multos ciues temere colligit, sed, quae antiquissimas et primas familias maxime conseruat.*

§. CCXVI.

§. CCXVI.

Quae antiquissimis temporibus fuerit succedendi ratio, fatis diligenter prodidit Qualis haec successio temporibus Taciti? TACITVS de mor. Germ. Cap. XX. *Heredes successoresque sui cuique liberi: nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in successione fratres, patru, auunculi.* Ex quo loco iam colligimus, I. veteres Germanos eodem habuisse successionis gradus, quos Romanum ius inculcat, puta DESCENDENTIVM, ADSCENDENTIVM,*) et COLLATERALIVM: II. EOS non tam familiarum habuisse rationem, quam praesumtae defuncti voluntatis, siquidem eos vna cum patruis auunculos etiam admisisse, animaduertimus.

*) Quamvis enim TACITVS non meminerit adscendentium, fortassis quod, non nisi turbato naturae ordine, huic successioni locus sit: vix tamen dubitaturum quemquam arbitror, quin, quum patruos et auunculos ad hereditatem vocarint Germani, multo minus parentes exclusos voluerint, maxime quum, graduum eos habuisse rationem, non obscure innuat TACITVS. Accedit, quod medio aevo, vti paulo post patebit, leges Germanorum omnes parentes ad luctuosam liberorum hereditatem admitterent. Posteris vero diligentissimam prisca moris patrii mansisse custodiam, supra iam non semel obseruauimus.

I. DE SVCCSSIONE DESCENDENTIVM.

§. CCXVII.

Quod ad successionem DESCENDENTIVM at-Gentes Germanicae tinet, in eo gentibus origine Germanicis ha-ctenus

aliae li-
beros
vtrius-
que se-
xus pro-
miscue
ad here-
ditatem
paren-
tum vo-
cabant,
aliae fi-
lios, non
filias.

Apud
Wisigo-
thos fi-
liae cum
filiis suc-
cede-
bant.

Stenus omnia conuenerunt, quod liberis an-
te alios omnes paterna hereditas deberetur,
quippe quibus ipsa lex sempiterna, quam ra-
tio vniuerso generi humano praescripsit, he-
reditatem videtur destinasse. Mirus sane
ea in re legum Germanicarum consensus est,
quamuis aliae solos filios, aliae et filias cum fi-
liis, aliae has, non nisi deficientibus filiis, ad
successionem admiserint.

§. CCXVIII.

Nihil discriminis inter filios filiasque sta-
tuebant WISIGOTHI, IV, 2, 1. apud quos *femi-
nae ad hereditatem patris vel matris, auorum
vel auiarum, tam paternorum, quam materno-
rum, ad hereditatem fratrum vel sororum, si-
ue ad hereditates, quae a patre vel filio pa-
trui, fratris etiam filio, vel sororis, relinque-
bantur, aequaliter cum fratribus veniebant, quia
iustum omnino videbatur, ut, quos propinquitas
naturae consociarit, non divideret hereditariae
ordo successionis.* LEX WISIG. Lib. IV. Tit. II.
§. IX. Ast id fortassis a Romanis didicerint
Wisigothi. Neque enim, quod mireris,
vlla alia lex Germanorum ea in re cum Wisig-
othica, conuenit. *)

*) Immo et plerasque alias gentes, etiam orientales,
filios in successione paterna filiabus praetulisse,
satis constat, idque ex instituto luculenter pro-
bavit IAC. PERIZON. *diff. de lege Vucon. p. 109. sequ.*
vbi et Hebraeos, Chaldaeos, Arabes, Arme-
nios, Graecos, filias, exfortes hereditatis, sola do-
te contentas esse voluisse, quin et eas aliquando
sine dote aliis vendidisse, ostendit. Idem ergo
et

et Germanis, quorum ex oriente origo fuit, placuisse, nemo, credo, mirabitur.

§. CCXIX.

Potius reliquæ gentes omnes vel filias plane non admittunt, vel non nisi deficientibus fratribus, vel saltim ad immobilia non vocant. EX LEGE SALICA, *Tit. LXII. §. I.* mortuo aliquo sine filiis, *) pater materue praeferrebat, vel his non exstantibus fratres et forores. Ex quo nonnulli colligunt, filiarum nullam habitam esse rationem. Sed quum in vltiore gradu admittantur mater, forores, amitæ, materteræ: *ibid. §. II. III. IV.* quis crediderit, filias plane esse a successionem exclusas? Accedit, quod *ibid. §. VI.* tantum de terra Salica (§. XIV.) cauetur: *De terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat, sed ad virilem sexum tota terræ hereditas perueniat.* Vnde consequi videtur, ut in reliqua bona allodialia et filiae potuerint succedere, saltim in subsidium, puta si filii non exstiterint.

Ex lege Salica nec in terra Salica succedebant.

*) Itaque *sine filiis* hic idem est, ac *sine liberis*. Recte id vidit ECCARDVS *in notis. p. 106.* FILII VOX hic pro liberis, filiis nempe et filiabus, ponitur. Et LEX RIPVARIORVM verba: *si quis FILIOS non dimiserit, ita profert: si quis absque LIBERIS defunctus fuerit. Filiae enim omnino, filiis non existentibus, allodiorum heredes erant, exceptis saltim terris ad domum sue curtem defuncti pertinentibus,* (ita ipse describit terras Salicas: vid. §. XIV. *) *quæ masculis solum obueniebant.*

§. CCXX.

Nec in
reliquo
alodio
nisi defi-
cienti-
bus filiis.

Itaque ex lege SALICA 1) filii præcipuam habebant terram Salicam, cuius incapaces erant feminae, 2) iidemque et in alodiis filiabus præferebantur, nisi pater his speciatim præfexisset. MARCVLF. *formul. Lib. II. Cap. XII. Dulcissima filia mea illa: ego ille. Diuturne, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego, perpendens hanc impietatem, sicut mihi a Deo aequaliter donati estis filii, ita et a me sitis aequaliter diligendi, et de res meas post meum discessum aequaliter gratuletis.* Conf. MARCVLFI *adpend. Cap. XLIX.* vbi huius Salicae legis, filias excludentis, diferte fit mentio. Denique 3) non exstantibus filiis, filiae alodium paternum ex legibus Francorum cepisse, permultis exemplis constat. *)

*) In TRADIT. FVLD. *Lib. II. Cap. XLI. p. 503.* Embildis, Abbatissa, Fuldenfibus donat *propriae hereditatis suae terram, in diuersis videlicet locis, tam de paterno, quam de materno, iure ad se pertinentem.* Et IOANNES PAPA VIII. Bosonis et Engelradis filiabus restitui iubet parentum alodia. Sic et traditio *propriae hereditatis Hrodburgae cuiusdam existat in iisdem TRADIT. FVLD. Lib. II. Cap. L. p. 508.* vt alia huius generis exempla iam prætermittamus.

§. CCXXI.

Idem et
ex lege
Ripuarie
obtinere
bat.

Similis per omnia fuisse videtur LEX RIPUARIA, quae Tit. LVI. §. I. tum demum, *si absque liberis quis defunctus fuerit*, parentes, aliosque agnatos cognatosque, ad successionem

nem vocat. At ne quis tamen existimet, liberos sine discrimine sexus paternam maternamque hereditatem aequa lance diuidere: statim additur §. III: *Sed dum virilis sexus existiterit, femina in hereditatem auaticam non succedat.* Ex quo porro consequitur, vt nihil obtiterit, quo minus in bonis acquisitis partem aliquam cum fratribus accipere potuerit.

§. CCXXII.

Sed et BVRGVNDIONIBVS familiarum opes ^{Nec non} adeo curae cordique fuerunt, vt filias non ^{apud} magis, quam Franci, ad hereditates paren- ^{Burgun-} tum admitterent. Nam in LEGE eorum ^{diones} *Tit. XIV. §. I. legimus: Inter BVRGVNDIONES id vo- ^{et Lan-} ^{gobar-} ^{dos.} *lumus custodiri, vt, si quis filium non reliquerit, in loco filii filia in patris matrisque hereditate succedat.* Non aliter IVS LANGOBARDICVM *Lib. II. Tit. XIV. §. XIX. Si quis Longobardus sine filiis legitimis masculinis mortuus fuerit, et filiam dereliquerit vnā aut plures legitimas, ipsae in omnem hereditatem patris vel matris suae, tamquam filii legitimi, masculini heredes, succedant.* Itaque et hi masculos feminis semper in hereditate praeferebant. *)*

*) Rem omnem eleganter descripsit ANDR. DE BARVLO in *Langob. leg. tit. XIV.* Item si quis, vel si qua decedat, filio masculino relicto, et femina: excluditur femina per masculum, et frater debet eam maritare. (id est, dote data elocare.) Immo plus: si decedat quis, relicta filia et nepote, vel nepte ex filio praemortuo: nepos vel neptis, quae repraesentat personam patris, excludit amitam, sed tenetur eam maritare, sicut teneretur pater ipsius

ipſius nepotis vel neptis, ſi viueret, ſecus ac iure Romano.

§. CCXXIII.

Item-
que a-
pud Sa-
xones.

Ita praeter WISIGOTHOS omnes gentes Germanicae, quae extra Germaniam nouas ſibi ſedes quaefuerant, filias, exſtantibus filiis, hereditatis paternae maternaeque exſortes eſſe voluerunt. Nec mitiores filiabus erant SAXONES, QUORUM LEGE *ut. VII. §. I.* diſerte cauetur, *ut pater aut mater defuncti, filio, non filiae, hereditatem relinquant.* Quin vt filiabus praeferatur nepos ex filio praemortuo, *ibidem §. VI.* ſancitur. Hinc eo tantum caſu, quo *defunctus non filios, ſed filias, reliquiſſet,* *) ad eas omnis hereditas pertinebat, tutela vero earum fratri vel proximo paterni generis, deferreſatur, vti eſt *ibid. §. IV.*

*) *Reliquiſſet,* ait lex, quia filii praemortui filias non excludebant, ſi ex illis nepos non exſtaret. Hinc inter TRADITIONES WERTHINENSES *Cap. XX.* apud LEIBNIT. *ſcript. rer. Brunſu. Tom. I. p. 108.* eſt traditio Folcradae, hereditatem ſuam vendentis monaſterio Wertinenſi, quum tamen ſe vocet *germanam ſororem quondam Hemmingi exactoris.* Patrem ergo iſte fortassis ſuperſtitem habuerit; filio ex ſe non relicto. Sed multo clarior eſt locus ex VITA LIVTBIRGIS apud ECCARD. *hiſt. p. 101. Sax. geneal. Cap. I. p. 523.* Is praedicitur *Elſſi,* masculae proliſ carens, unico, quem habuerat filium, in adoleſcentiae flore defuncto, filiabus totam ſubſtantiam diſmiſiſſe.

§. CCXXIV.

§. CCXXIV.

Non abſimilis eſt LEX ANGL. et WERINORVM, Anglios
 quae Tit. VI. §. I. et ipſa praecipit, vt heredi- et Weri-
 tatem defuncti filius, non filia, ſuſcipiat: at nos.
 in eo diſcedit a Saxonica, quod, ne defi-
 ciente quidem filio, filiam ad bona immobi-
 lia parentum vocat. Statim enim addit: Si
 filium non habuit, qui defunctus eſt: ad filiam
 pecunia et mancipia; terra vero ad proximum
 paternae generationis conſanguineum pertineat.
 Id quoque ſingulare eſt, quod ad quem here-
 ditas terrae perueniebat, ad illum et veſtis bel-
 lica, id eſt, lorica, et vltio proximi, et ſolutio
 leudis pertineret, filia vero ex materna here-
 ditate ne mancipia quidem et pecuniã,
 nedum fundos, cum fratre diuideret, ſed
 contenta eſſe iuberetur ſpoliis colli, id eſt, mu-
 renis, nuſcis, (id eſt, fibulis) monilibus, inqu-
 ribus, veſtibus, armillis vel quidquid mater or-
 namenti proprii videretur habuiſſe. *)

- *) Hoc antiquiſſimum eſt rerum expeditoriarum et
 vtentiſium, (des beergewettes vnd der gerade) veſti-
 gium, ex eoque loco patet, illas filios et agnatos,
 has filias praecipuas habuiſſe. Fallitur itaque
 GOBELINVS PERS. coſmodr. Aet. VI. Cap. XLVII.
 dum de Henrico Aucupe ſcribit: Et mandauit, quod
 ſenior inter fratres quocumque deberet eſſe in exerci-
 tu Regis, et propter hoc ipſe ſolus tolleret patriſ
 exuias, inter quas arma maxime reputabantur. Et
 inde vulgo HEREWEDAE adhuc nominantur. Quam-
 uis enim ſimilia habeat BOTHO in chron. piſt.
 Brunſu. ad ann. DCCCCVII. De keyſer ſatte, dat
 de oldeſte ſone ſcholde in dat bere varen, vnde
 ſatte, dat de berewede ſcholde vallen an den olde-
 ſten ſone, eſſte an den negeſte mach van der ſchwerd-
 baluen, da wart do eyn recht to voren: antiquio-

rem tamen hunc morem inter gentes Germanicas esse, ex hac lege satis manifestum esse videtur. Si quid ergo veri inest: Henricum Aucupem hunc morem, iam antea aliis gentibus originis Germanicae receptum, in Saxonum iuvenisse oportet, idque et indicare videntur verba BOTHONIS: *Dat war do eyn Recht to voren.*

§. CCXXV.

Alaman-
nos.

Apud ALAMANNOS quoque filios, mortuo patre, hereditatem aequa lance divisisse, patet ex LEG. ALAM. *Tit. LXXXVIII.* *Si quis fratres post mortem patris eorum aliquanti fuerint, diuidant portionem patris eorum:* Filiae tum demum hereditatem paternam cernebant, si et filius non exstaret, et ipsae eiusdem conditionis viris nupsissent, alias nullam fundorum partem habiturae. Ita enim lege eadem praecipitur *Tit. LVII:* *Si duae sorores, absque fratre relictæ, post mortem patris fuerint, et ad ipsas paterna hereditas pertingat, et una nupsit sibi coequali libero, alia autem nupsit aut colono regis, aut colono ecclesiae: illa, quae illi libero nupsit sibi coequali, teneat terram patris eorum, res autem alias aequaliter diuidant.*

§. CCXXVI.

Et Baiu-
uarios.

De BAIUVARIIS idem dicere non vereor. Filias enim, exstantibus filiis, in partem non venisse, patet ex LEGE BAIUV. *tit. XIV. Cap. VIII.* §. I. quae cauet, vt *fratres hereditatem patris aequaliter diuidant*, et si plures vxores duxisset pater, quisque filiorum matris suae hereditatem praecipiat. Nec tamen filias penitus

tus exfortes fuisse hereditatis paternae, colligimus ex §. II. vbi tum demum vxor, marito superstes, vniuersam eius hereditatem capere dicitur, *si nec filios, nec filias, nec nepotes, nec pronepotes, nec vllum de propinquis habuerit.* Itaque et BAIUVARIOS filias, deficientibus filiis, ad hereditatem paternam admisisse, vix videtur dubitandum.

§. CCXXVII.

Quamuis itaque omnium paene gentium Germanicarum leges maxima praerogatiua dō-^{An et il-} nent filios: nulli tamen eo beneficio digni^{legitimi} videbantur, praeter legitimos, et ex iusto^{succef-} atque aequali matrimonio natos. LEX BAIUVARIOR. *ibid.* §. II. ne ex ancilla quidem natos cum fratribus in partem venire patitur, nisi hi eis per misericordiam aliquid dederint, eamque in rem adducit illa MOYSIS: *Non enim erit heres filius ancillae cum filio liberae.* Gen. XXI, 10. LANGOBARDI tamen, apud quos frequentior erat concubinatus, aliquam hereditatis partem et filiis naturalibus deberi, putabant. *)

*) Quamuis enim nati ex illicito matrimonio nihil caperent, nisi quod eis fratres, ex iustis nuptiis nati, *voluntarie darent*: LEX LANGOB. *Lib. II. Tit. VIII. §. VI.* aliud tamen placebat de filiis naturalibus, qui concurrentes cum vno legitimo, tertiam; cum duobus, quintam; cum tribus septimam; cum quatuor, nonam; cum quinque duodecimam; cum sex tertiam decimam partem capiebant, *Lib. II. Tit. XIV. §. II.* ita vt ne patri quidem fas esset, eos equiparandi fratribus legitimis, nisi hi iam duodecim annorum, consenserint. *ibid.* §. III. Non

existente filio legitimo, sed filia una, cum fratribus naturalibus et reliquis cognatis hereditatem ita dividebat, ut singuli tertientem partem. Sin duae pluresue filiae legitimae essent, et una pluresue filii naturales, et alii cognati, filiae tertientem, naturales tertientem, et alii cognati sextantem. Hos aliosque eiusdem generis casus habes in LEGE LANGOB. *Lib. II. Tit. XLV. §. VI. et sequ.*

§. CCXXVIII.

Quid apud Francos? Non dubito, quin et FRANCI liberos ex concubinis natos, hereditatis paternae capaces esse voluerint, (praeterquam quod Merovingici reges, in vagam venerem procliviores, illegitimos perinde, ac ex iustis nuptiis natos, non modo hereditatis, sed et regni capaces habebant, ceterum supra (*Lib. I. §. CXLVII.*) docuimus. Saltim Caroli M. liberi naturales nullam paternae hereditatis partem ceperunt. Et existant formulae veteres, quibus illegitimis liberis prospexerunt Franci, quippe alioquin sibi non successerunt. MARCVLF *adpend. Cap. XLVII. pag. 461. et capitul. XII. p. 464. ed. BALVZ.*

§. CCXXIX.

Iuri re- In primis vero quaestio est, an, concurrantibus filiis et nepotibus, locus fuerit iuri re- praesentationis? Apud WISIGOTHOS sane illi locus fuit a- initio non fuit locus. *In hereditate enim il- lius, qui moriebatur, si intestatus decessisset, filii primi erant. Si filii deerant, nepotibus debebatur hereditas, si nec nepotes essent, pronepotes ad hereditatem vocabantur.* LEX WISIG. *Lib.*

Lib. IV. Tit. II. §. I. Postea tamen hoc ius introduxit Childeſwinthus, Rex, vti patet *ex Lib. IV. tit. V. §. IV.* Apud Francos quoque hoc ius repræſentationis primus lege ſtabilituit CHILDEBERTVS, cuius *in decretione Cap. I.* legimus: *Ita, Deo auxiliante, Antonico Kal. Mart. anno XX. regni noſtri conuenit, vt nepotes ex filio vel ex filia ad auaticas res cum auunculis ſic venirent in hereditatem, tamquam ſi pater aut mater viui fuiſſent. De illis tamen nepotibus iſtud placuit obſeruari, qui de filio vel filia naſcuntur, non qui de fratre. *)*

- *) Itaque Franci aequè, ac hodie Saxones, ignorabant ius repræſentationis in linea collateralis, quamuis in linea recta interdeſcendentes ei locum eſſe vellent. Quin ante Childeberti tempora ignotum hoc ius repræſentationis fuiſſe videtur iſtis Francis. Vnde nec in Salica, nec in Ripuariorum lege, huiusmodi quid legeris.

§. CCXXX.

Progredimur ad LANGOBARDOS, quos ipſos quoque ius repræſentationis inter deſcendentes recepiſſe, luculenter probatur *EX LEGE* eorum *Lib. II. Tit. XIV. §. XVIII.* quae ita præcipit: *Si quis habuerit filios legitimos unum aut plures, et contigerit, unum ex his, viuente patre, mori, vt dereliquerit filios legitimos unum aut plures, et contigerit auum mori, talem partem percipiant de ſubſtantia aui ſui vna cum patris ſuis, qualem pater eorum inter fratres ſuos percepturus erat, ſi viuus fuiſſet.* CONF. ANDR. DE BARVLO *in Langob. leg. Tit. XIV.* vbi, et apud Langobardos huic

iuri repraesentationis in linea collateralis non esse locum, obseruat.

§. CCXXXI.

Reliquae Germanorum, quae existant, leges, ius repraesentationis ignorant. Quamuis enim LEGE SAXONVM Tit. VI. §. VI. caueatur, *si quis filium aut filiam habuerit, et filius, uxore ducta, filium genuerit, et mortuus fuerit, ut hereditas patris ad filium filii; id est, ad nepotem, non ad filiam, pertineat: ad tamen ius repraesentationis, tantum nepotem cum filia concurrente, locum habebat. An vero et nepotes vna cum filiis admittendi sint, multo post dubitasse Saxones, tam certum est, quam quod certissimum. *)*

*) Notissimus enim est locus WITICHINDI *annual. Lib. II. p. 644. De legum quoque varietate (tempore Ottonis M.) facta est contentio, fuereque, qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obiissent, auis superstites. Unde exiit edictum a rege, ut vniuersalis populi conuentio fieret apud villam, quae dicitur Stela, factumque est, ut causa inter arbitros iudicaretur debere examinari. Rex autem, meliori consilio usus, noluit, viros nobiles ac senes populi in boneste tractari, sed magis rem inter gladiatores decerni iussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, et firmatum est, ut aequaliter cum patris hereditatem diuiderent, pacto sempiterno. Idem refert SIGEB. GEMBL. ad ann. DCCCCXLII.*

§. CCXXXII.

§. CCXXXII.

Tale ergo fuit ius vetus Germanicum, Medio quod ad successionem descendentium atti-
 net. Enimuero quum illud iam MARCVLF I^{paulla-}
 temporibus impium atque iniquissimum qui-^{tim mu-}
 busdam visum esset: (§. CCXX.) non mirum ^{tata sunt}
 est, Germanos mores istos paullatim migra-^{iura an-}
 se, eatenus, vt et filiae cum filiis in allodio, ^{tiqua.}
 (non tamen in bonis Salicis, et ad familiae di-
 gnitatem tuendam pertinentibus,) admitte-
 rentur, et nepotes neptesque gauderent iure
 repraesentationis.

§. CCXXXIII.

Et IVRE quidem SAXONICO nondum filias Atta-
 cum filiis ad successionem vocari, sed, defi-
 cientibus demum filiis, eis ius succedendi ^{iure Sa-}
 concedi, animaduertimus. IVS PROV. SAX. ^{xonico}
*Lib. I. Art. XVII. Vaters vnd mutters, schwe- ^{filiu fi-}
ster, oder bruders erbe nimpt der sohn, vnd ^{liabus}
nicht die tochter, es sey dann, daß da kein ^{praefe-}
sohn sey, so nimpts die tochter. ^{reban-}
 Filiae tamen ^{tur.}
 ex materna hereditate debebantur res vten-
 les, (*die gerade*), si illa nondum elocata esset.
 Domo enim iam enupta in partem geradae
 non veniebat. *Die tochter, so in dem hausse*
geblieben ist, vnausgegeben, theilt nicht ihrer
mutter gerade mit der schwester, die ausgera-
det vnd vergeben ist. Was ihnen aber an erbe
anstirbt, das müssen sie mit einander gleich thei-
len. *IBID. art. V. *)**

*) Hinc

- *) Hinc iure mireris, vulgo scribere doctores, etiam qui ex instituto iura Romanorum Saxonum inter se contendunt, iure Saxonia esse inmutatam aequalem filiorum filiarum successione, iure civili proditam, nisi filii res expeditoriae, filiaibus vtenfiles de *FACHS diff. iur. civ. et Sax. XXI.* Magis mireris, glossae Latinae auctoritate firmare, correctum hoc esse per textum *IVS LIB. I. art. XXVII.* cuius verba ita se habent: *ieglich weib vererbt zweyerley, ibr geradt die nächste nistel, so ibr von weibes halben zu ist, und das erb auf den nächsten freund, mann oder weib.* Verba enim haec ad successiones collateralium pertinere, res ipsa docet. Sed ratio constat, ultra fraternam et sororiam hereditatem, non amplius masculis postponi feminis, has hereditatem cum illis pari iure cernerent, id sibi volunt verba *SPECULATORIS LIB. I. Art. Wann sich aber ein erbe verschwestert oder vererbt* (Glossa: *quando quis post se non relinquit, vel sorores ex utroque parente.*) alle die sich nahe zu der sippe ziehen mögen, die nehmen eben theil daran, es sey mann oder weib.

§. CCXXXIV.

Qualis iure Sax. fit successio descendens? Si ergo 1) duo essent fratres, maior debet hereditatem; minor portionem utram eligebat. *IVS PROV. SAX. Lib. III. art. XXIX.* 2) Sin plures, singuli succedunt in capita, cessante hoc maioris vel minoris iure, nisi quod *IVRE WEICHB. Art. XXVI.* eo casu, quo tres filii hereditatem cernunt, regula ista obtinere dicitur. 3) Praemortuo vno ex fratribus, nepotibusque ex eo superstitibus, hi in stirpem succedunt, iure representationis. *IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. 1.* 4) Filiae exsortes erant hereditatis parentum, nisi

nisi filii deficerent. *) Tunc enim et ipsae succedebant in capita. IVS PROV. *Lib. I. Art. XVII.* 5) Nec tamen eo iure repraesentationis utebantur nepotes neptesque ex filia: *Dieses mag den tochter kindern nicht geschehen, daß sie theil nehmen mit der tochter, in des eltervaters oder der eltermutter erbe. IBID. Lib. I. Art. V.*

*) Excepto vno casu, si filia concurreret cum fratre vnico clerico. REPKOVIVS *Lib. I. Art. V.* *Wo die frau keinen bruder mehr hat, als den einigen pfaffen, so nimmt sie mit gleichen theil durchaus an erbe, vnd an der gerade.*

§: CCXXXV.

Attamen 6) ad maternam non magis, quam An spuriatam; hereditatem vocabantur liberi illegitimi et illegitimi. Quamuis enim alioquin iure civili legitimi spurcius in persona matris non intelligitur, etiam et hinc matri aequae succedat, ac illegitimus rint, §. 3. *Inst. de SC. Orphit.* multo aliter tamen itemque philosophatur REPKOVIVS *Lib. I. Art. LI.* *Man liberi separati? sagt, daß kein kind seiner mutter kebs-kind sey. Das ist doch nicht.* Praeterea 7) filii separati hereditatem parentum non nisi ea lege cernebant, vt, quae antea accepissent a parentibus, ea in commune conferrent. *) IVS PROV. *SAX. Lib. I. Art. XIII.*

*) Verba Speculatoris sunt: *Sundert der vater vnd die mutter einen ihrer söhn oder döchter, von ihm mit ihrem gut, sie sondern sich mit der kost, oder nichts; wollen sie nach vaters, oder mutter tod ihr erbtteil wieder ansprechen, der bruder gegen den bruder, oder die benannte tochter gegen der vnausgestatteten schwester: sie müssen in die theilung wieder*

widder einbringen, mit ihrem eil alle das, was sie mit abgefundert waren, ob es fahrende habe ist, fonder gerade. Quemadmodum vero res utensiles non conferebat filia domo empta, ita nec res expeditorias filius, quas a viro patre acceperat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. X.* Magna magno conatu maximas agunt nugas, quae admodum ex privilegio peculii castrensis derivant, et trahuntur ex l. 4. C. famil. erisc. vti ZOBEL. *de Rom. et Sax. Part. III. Diff. XV. n. 2.*

§. GCXXXVI.

Filii
quidam
hereditatis in-
capaces.

Quamvis vero 8) filiis prae filiabus cederet paterna maternaque hereditas: erant tamen, qui eius plane exsortes habebantur. Sane 9) nec feudalis nec allodialis hereditas capaces erant hermaphroditi, quos REPKOVIVS lepide vocat *allzarviel*, nani, monstrorum, lepra laborantes. *) Contra 10) allodium quidem, at non feudalia bona, capiebant stulti et muti, furiosi et mente capti, caeci et infirmi, nisi id vitium, possessio iam feuda, super peruenisset. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. IV.* und

*) Hereditatem ergo pro illis occupabat proximus agnatus, et iisdem alimenta praestabat, et quidem, ut opinor, tamquam tutor fructuarius. *Hinc ibidem ait REPKOVIVS: Welche dann ihre erben sind und ihre nechste freunde, die sollen sie halten in ihrer pflege.*

§. CCXXXVII.

Quid
iuris circa res
expeditorias.

Ad proximos agnatos, adeoque et ad filios, tamquam *ἐκκλησίαν* ti pertinebant res expeditoriae, quae non ad hereditatem referebantur. Quumque in earum numero essent gladius, equus phaleratus, thorax, lectulus castrensis,

strensis, (*ein heerpfühl, das ist, ein bette vnd ein kussen, vnd ein leylach,*) mappa, duae patinae, manutergium et vestes quotidianae: IVS PROV. SAX. *Lib. Art. XXII.* gladium paternum praecipuum habebat natu maior, *ibid.* quamuis haec dispositio tantum ad equestris nobilitatis familias pertineret. *IBID. Art. XXVII.*

§. CCXXXVIII.

Contra fillabus ex materna hereditate *gera-* Nec non *da*, vel res vtensiles debebantur, quarum ^{circa vtensiles} in numerum quid referendum sit, docemur ^{vel gera-} *dam?* IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXIV.* Nec filiae solum eas res praecipuas habebant, sed et filii, qui sacros ordines acceperant, (*die gelernt, vnd zu pfaffen geweiht, vnd geschoren sind,*) qui geradam cum fororibus; *) hereditatem cum fratribus diuidebant: quamuis ipsi clerici res vtensiles non relinquerent: *Von des pfaffen gut nach seinem tode nimmt man keine gerade, denn es wird alles zu erb geschlagen, was er nach sich verlässt.* IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. V.*

- *) Si foror, et praeter clericum non alius frater, illaque erat inupta, clericus vero beneficium ecclesiasticum habebat: illa res vtensiles sola capiebat. *REPKO-VVS ibidem: Die vnberathens tochter theilet nicht ihrer mutter gerade mit dem pfaffen, der ein pfrund oder kirchen hat.*

§. CCXXXIX.

§. CCXXXIX.

Succes-
sio de-
scen-
dentium
secun-
dum ius
Alaman-
nicum.

At primialiter philosophati sunt ALAMANNI quorum ius inter filios ac filias nihil omnino discriminis statuit. IVS PROV. SVEV. Cap. CCLXXIX. *Stirbt ein man, vnd ist sin vnd tochter hinder im, vnd er lat aigen hinder im, da er nichts mit geschaffet hat, dew kein si ausgestewert oder nicht, sie sollen das aigen mit ainander teilen. *)* Itaque hoc iure nulla differentia erat inter filios ac filias, separatos et non separatos, modo hi conferrent bona profectitia, quod tamen vtrum facere, an bonis iam acceptis contenti esse mallerent, in eorum erat arbitrio.

*) Praeferabatur tamen filius filiae in praedio rustico, quod ibi vocatur: *fidelhoff*, quod si solum reliquisset pater, illud solus filius capiebat, filiaeque dabat, quantum vellet. IVS PROV. SVEV. *ibid.* *Das is da ain fidelhoff, da der vater auffsetz, vnd ist er seinen sun, oder mer sun hinder im, die nicht ausgestewert sind: die sun besitzen das ansedel mit recht vor den schwestern, vnd ist aber nichts anders da, wann das ansetz: so stet es an der pruder gutten, was sie denn schwestern geben.* Vocantur itaque haec praedia *fidel-hoesse*, *ansedel*, *ansetz*. De iis AHASV. FRITSCH. in *thes. pract. Besold. contin.* p. 820. *In Thuringia et comitatu Schwartzburgico praedia sunt, quae vocantur freye fidelhoese: ea ad omnibus operibus libera sunt, et a superiore iure feudali recognoscuntur: pleraque tamen exigui sunt pretii.*

§. CCXL.

§. CCXL.

Quod ad ius repraesentationis attinet, illud Ius Sax. simile habuerunt Alamanni et Saxones, et Alamanni. Quemadmodum enim apud hos eo gaudebant nepotes ex filiis, non ex filiabus: (§. cum CCXXXIV.) ita IVRE PROV. ALAM. Cap. niunt in CCLIII. legimus: *Nimbt ain man weib bey seines vater leib, dew im ebenbürtig ist, vnd gewinnet er sin pey ir, vnd stirbt er darnach, e das sein vater sein erb mit im getailte: des selben mannes sin die nemmet gleichen erbtail an irs vaters stat, ennebniken vettern: aber sie nemmet all nicht, wann aines mannes tail. Vnd das mag den tochter kinden nicht werden, das sy gleichen tail nemmen, da sy dann nicht suns kinde.* praesentationis.

§. CCXLI.

Nec in reliquis a Saxonum moribus discrepant Alamannorum leges, veluti 1) quod filii aliis ple- liae praecipuam habuerunt geradam, 2) filii tisque. res expeditorias: IVS PROV. SVEV. Cap. CCLXI. 3) Quod ex pluribus filiis maior natu, tamquam praecipuum, sibi vindicauit gladium: *ibid.* Cap. CCLXIV. 4) quod, si vel duo, vel plures, eriscere vellent familiam, maior diuisit minor elegit: *ibid.* 5) quod clericus geradae partem accepit, praeterquam, si beneficio ecclesiastico frueretur: *ibid.* Cap. CCLIII. 6) quod illegitimi non successerunt, immo ne legitimi quidem per rescriptum Pontificis vel Caesaris: at successerunt tamen M m legiti-

legitimately per subsequens matrimonium. *ibid.*
Cap. CCCLXXIII.

§. CCXLII.

Utrumque ius, quod ad filiarum successionem, statutis correctum est. Itaque vetus illud principium Germanicum de filiis in successione filiabus praefertendis paulatim deseruerunt posterius, etiam priusquam ius Romanum in fora Germanica penetraret, ac proinde filios filiasque promiscue admiserunt ad successionem in bona parentum. Saltem in eo conueniunt statuta antiquiora pleraque, ex quibus vnum iam adduco GOSLARIENSE, cuius *titulo I. von ervegude §. III.* legimus: *Sone vnd dochter sint like na erve to nemende.* LEIBNITZ *script. rer. Brunsv. Tom. III. p. 484.*

II. DE SVCCESIONE ADSCENDENTIVM.

§. CCXLIII.

Transitio ad successionem adscendentium. Deficientibus liberis, parentes luctuosam hereditatem apud Germanos quoque capiebant: (§. CCXVI.) de qua successione adscendentium vt iam quaedam ex antiquis monumentis colligamus, ordinis atque institutionis ratio exigit. CUR TACITVS eius successione non fecerit mentionem, eius rei rationem supra coniecturis adsequuti nobis videmur. (§. CCXVI. *) Id certum est, ex vetustissimis gentium Germanicarum legibus tantum non omnibus, deficientibus liberis, hereditatem parentibus, auis, aliisque adscen-

scendentibus deberi. Quod iam per inductionem erit probandum.

§. CCXLIV.

LEGE WISIGOTHICA *Lib. IV. Tit. II. §. II.* Eam re- fuerat cautum: *ut, si, qui moritur, nec fi- cepe- lios, nec nepotes, seu patrem, vel matrem rant Wi- relinquat, tum auus aut auia hereditatem sibi- gothi. met vindicet.*, Ergo proximi ad successionem, post descendentes, erant parentes, *) et his non exstantibus aui et auiae, qui quæue bona acquisita inter se aequa lance diuidebant, hereditariis contra ad auos tantum, non aequè ad auias, deuoluendis. *ibid. §. VI.*

*) Vbi tamen notatu dignissimum est, ex hac lege alterutrum parentem superstitem, hereditatem filio filiaeue debitam, capere non potuisse, nisi hi liberi diem vitae decimum superassent, et baptismi facti essent participes. Si eum diem moriendo anteuertissent, ne ipsi quidem partem paternae maternaeue hereditatis cepisse intelligebantur: tantum abest, ut eam ad quemcumque alium transmisisse crederentur. Paucis: filius ante diem decimum et nondum accepto baptismo, decedens, non magis hereditatem vel capiebat, vel eandem trans mittebat ad patrem matremue superstitem, quam si numquam huius lucis usura fructus esset. *LEX WISIG. Lib. IV. tit. II. §. XVIII.* Haec quoque ea gens didicerat a Romanis, qui filios filiasue communes paentibus ad decimam inter se matrimonii nomine capiendam, prodesse nolebant, nisi *post nonum diem, vel uti in codice Tiliano lectum, post nominum diem, amissos. VLP. fragm. tit. XV. Nominum vero dies erat lustricus, quo nomen imponebatur infanti, id quod apud Romanos, si puella nata esset, die octauo; puero edito, nono fieri solebat. FEST. voce lustrici, MACROB. saturn. Lib. I. Cap. XVI. PLYTARCH. Quaest. Rom. p. 288.*

CONF. MÉRILL. *Obs. Lib. II. Cap. XXXIII.* et, quae diximus *in comment. ad leg. Jul. et Pap. Lib. II. Cap. XIV. § IV.*

§. CCXLV.

An et Burgundiones? LEX BVRGVNDICA *tit. XIV. §. II.* non prospicit patri vel matri, sed, deficientibus liberis, *hereditatem ad defuncti sorores, vel propinquos parentes, (id est, proximos cognatos,) redire iubet.* Vnico tamen casu patrem successisse filio, comperio, si prius data bonorum parte, filium abs se segregasset, et hic, nec facto testamento, nec rebus alii donatis, diem obiisset supremum, quamvis id ei iniungant leges, *ut nihil exinde abalienandi potestatem habeat, ipsoque in fata collapsa, ad reliquos filios defuncti fratris substantia remaneat. ibid. tit. LI. §. II.*

§. CCXLVI.

Franci? Francos parentes ad luctuosam liberorum hereditatem vocasse, extra omnem dubitationis aleam positum est. LEX SALICA *tit. LXII. §. I.* *Si quis homo mortuus fuerit, et filios non dimiserit, si pater aut mater super fuerint, ipsi in hereditatem succedant* Et LEX RIPVARIA *tit. LVI. §. I.* *Si quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant.* Hinc charta, qua mater, quaecumque a filio suo de luctuosa hereditate sibi obuenerant, monasterio donat, exstat in MARCVLFI *adpend. Cap. XI. pag. 457.* Aliud exemplum ex char-

ta Barcinonensi dabit BALVZ. in *not. ad Marculf. pag. 1297.*

§. CCXLVII.

LEX SAXONVM nihil tale habet, quum de Anglii sola liberorum successione disponat. At LEX et We-
 ANGLIORVM *tit. VI. §. III.* quum feminas non ^{rini?} nisi in subsidium, nec ad vniuersam hereditatem, sed ad capiendas tantum pecunias et mancipia, cauet, vt vocet, nec filio, nec filia superstitite mater superstes pecuniam et mancipia praecipiat, reliquam defuncti hereditatem proximus paterni generis cernat. Ex quo non possumus non colligere, multo magis patrem, si filio filiaeue superesset, ad vtriusque hereditatem peruenisse.

§. CCXLVIII.

Notatu porro dignissimum est, apud LAN-^{Lango-}
 GOBARDOS successionem inter matrem ac filios ^{bardi?}
 non fuisse reciprocam. Quod ita eleganter explicat ANDR. DE BARVLO *ad leg. Langob. tit. XIV. De iure Langobardico nullus cognatus ad successionem admittitur, (quod intellige in linea collateralis et adscendenti.) Vnde mater proxima cognata non succedit filio, quia cognata est, non agnata. Sed in linea descendenti secus est. Nam filius matri succedit. *)* Add. CAR. COTT. et NIC. BOER. *ad Lib. II. Leg. Lang. tit. XIV. §. I.*

*) Idem tamen auctor obseruat, hoc iniquum semper visum esse Langobardis, ac proinde ex aequitate naturali matrem ad successionem liberorum nihilominus vocari. En eius verba: *Sed ex naturali*

aequitate non scripta per illud ius potest dici, quod admittitur mater ad luctuosam hereditatem filii.

§. CCXLIX.

Alamanni?

Apud ALAMANNOS quoque, mortua matre, et infante, quem enixa fuerat, paullo post expirante, patri debebatur hereditas matris, in infantem deuoluta, *dum infans uiuus remanserit aliquanto spatio, vel unius horae, ut posset aperire oculos, et videre culmen domus, et quatuor parietes, idque testes idonei, sese uidisse, adfirmarint.* LEX ALAM. tit. XCII. §. I. Multo magis itaque parentes successisse liberis, probabile est, si liberi iustae aetatis, non relictis posteris, decessissent.

*) Est hoc, quod Saxones vocant *die vier wände beschreyen*: de qua loquutione suo loco. Nimirum esse videbatur, certo constare, vixeritne infans, an exanimis in lucem fuerit editus. Id vero ex oculis apertis colligebant Alamanni: Saxones ex vagitu, qui intra quatuor parietes fuerit auditus.

§. CCL.

Succes-
sio ad-
scenden-
tium ex
iure Sa-
xonico.

Iam ut ad medii aevi leges progrediamur, IVRE SAXONICO liberis, qui improles vel orbi decesserint, succedere vtrumque parentem, vulgo quidem tradunt: at matrem, non nisi praemortuo patre, olim esse admissam multo verius est. Ait enim SPECVLATOR *Lib. I. Art. XVII. Stierbt ein mann ohn kind: sein vater*) nimmt sein erbe. Hat er des vaters nicht, es nimmt es seine mutter mit mehren rechten, dann seine schwester oder bruder.* Praeterea id ius Saxonium non admisisse cum parentibus

bus germanos eorumque liberos, in vulgus notum est.

*) Auorum atque auiarum heredum mentionem non facit IVS SAXONICVM: at hos quoque fratribus ac fororibus germanis praetulisse Saxones, colligunt ex verbis REPKOVII, quae eodem articulo XVII. sub finem reperiuntur: *Das erbe gebet nicht aus dem bussem, dieweil der ebenbürtige bussem da ist. Vid. FACHS. diff. iur. ciu. et Sax. diff. XXIV.*

§. CCLI.

Attamen in rebus vtenfilibus mater prae-Mater ferebatur patri, quoties de filiae successione praefer-
quaerebatur. Generalis enim erat illa regula tur patri
IVRIS PROV. SAX. Lib. I. Art. XXVII. *Einieglich in rebus*
weib vererbt zweyerley: ihre gerade auf ihre filiae v-
nächste nistel, so ihr von weibes halben zuge- bus.
hörig ist: vnd das erb auf den nächsten freund,
es seymann, oder weib.

§. CCLII.

Eadem fere IVRE ALAMANNICO videntur ob-Succes-
tinuisse. Saltim filii separati heredem esse pa- sio ad-
trem, si ille nec vxorem nec liberos relique- scenden-
rit, traditur IVR. PROV. SVEV. Cap. CCLX. Bo- tium ex
na acquisita, nisi de iis disposuerit defun- iure A-
ctus, proximo cognato, (adeoque et parenti- lamannico.
bus,) cedere ibidem obseruatur. Praeterea
quae supra (§. CCXLIX.) ex LEGE vetere A-
LAMANNICA attulimus de infante, quatuor pa-
rietes apertis oculis contemplato, ea totidem
paene verbis repeti animaduertimus in IVRE
PROV. SVEV. Cap. CCXII. Ita et matrem postu-
mo succedere, si probare possit, eum vixisse,

patet ex *Cap. CCLXXIII*. Denique mater minorennium quoque liberorum heres est, patre praemortuo, modo non ad secunda vota transierit. *ibid. Cap. CCLXXXII*.

III. DE SVCCESIONE COLLATERALIVM.

§. CCLIII.

Collateralium tinet, circa eam vel maxime diuersa fuerunt successio qualis tempore Taciti? Quod ad COLLATERALIVM SVCCESIONEM attingentium Germanicarum principia. Nos, more nostro, vetustissimarum aequae ac recentiorum consuetudinum legumque recensum initari, primum de ipsis TACITI temporibus obseruamus, deficientibus liberis, (et parentibus,) *proximum gradum in successione fuisse fratres, patruos, auunculos.* *) *TAC. de mor. Germ. Cap. XX.*

*) Ex quibus verbis patet, et apud Germanos 1) primos inter collaterales fuisse fratres, et 2) quum paullo ante liberorum generatim mentio fiat nullumque adeo discrimen statuatur inter filios et filias, et in hac successione nihil videri interfuisse inter fratres et sorores. 3) Agnationis quoque et cognationis iura eadem fuisse, atque hinc post fratres et sorores, admissos non modo patruos, sed et auunculos. Denique quum 4) non sit verosimile, intra tam paucas personas apud Germanos intestatorum substituisse successionem: procul dubio post patruos atque auunculos hereditatem cessisse quibusuis gradu proximis.

§. CCLIV.

§. CCLIV.

Apud WISIGOTHOS quoque, non exstantibus liberis vel parentibus, proximi erant fratres ac forores germani germanaeue, et his non exstantibus eorum earumue liberi, non quidem in stirpes, sed in capita, succedebant. Qualis apud Wifigothos? LEX WISIG. *Lib. IV. tit. II. §. V. et VIII.* Unilaterales fratres et forores sui cuique fratris aut fororis, qui quaeue iisdem parentibus geniti gentitaeue fuerant, hereditatem sortiebantur. LEX WISIG. *ibid. §. V.* Denique post fratres et forores quicumque gradu proximi erant, ad successionem vocabantur, *ibid. §. IV.* nullo discrimine inter agnatos cognatosque, masculosque et feminas; vnde eodem iure venire amitam et materteram, monemur *ibid. §. VII.*

§. CCLV.

Sed et BVRGVDIONES, non exstantibus liberis ad hereditatem admittebant forores vel propinquos parentes, id est agnatos cognatosque, gradu proximos. Qualis apud Burgundiones? LEX BVRG. *tit. XIV. §. II.* Soror tamen concurrebat etiam cum filia defuncti, ita, vt femiffem caperet. *IBID. tit. LXXV. §. III.* Pauca ergo de successione collateralium occurrunt in lege Burgundica, vt verosimile sit, eos in reliquis capitibus a ceterorum Germanorum moribus non discrepasse.

§. CCLVI.

Qualis
apud
Francos?

Apud FRANCOS quoque per LEGEM SALICAM tit. LXII. §. II. sequi non superstitibus parentibus, heredes erant fratres et sorores; his etiam deficientibus, sorores patris; post has sorores matris: ac denique, nec his extantibus, *quicumque proximiores erant de paterna generatione*: quamvis ad terras Salicas nec defuncti sorores, nec amitas ac materteras, nec reliquas eiusdem gentis et familiae feminas, vllō modo adspirare potuisse, iam supra obseruarim. Similis fere est LEX RIPVARIA tit. LVI. §. II. sequi. quae praemortuis parentibus primum fratres et sorores, deinde, his deficientibus, fratres et sorores matris patrisque, denique, ne his quidem extantibus, *proximum usque ad quintum genuculum* ad successionem vocat, *) excepta tamen *hereditate auiatica*, in quam, dum virilis sexus heres supererat, femina non succedebat.

*) Differabant tamen hae leges, 1) quod Salica post fratres sororesque, primum amitas ac postea materteras admittebat: Ripuariorum lex non modo amitas et materteras, sed et patruos et auunculos, et quidem 2) auunculum et materteram non post patruum et amitam, sed omnes simul ad successionem vocabat. 3) Quod ex lege Salica femina exfors esset terrae Salicae, ex lege Ripuariorum *hereditatis auiaticae*, id est bonorum hereditariorum.

§. CCLVII.

Qualis
apud Ba-
iuuarios?

LEX SAXONVM tit. VII. nihil, quod mireris, de successione collateralium praecipit: nec LEX BAIVVARIORVM, nisi vt 1) mortuo sine liberis

beris viro, vxori viduae femis, alter femis proximo viri cognato debeat. *tit. XIV. Cap. IX. §. I.* 2) Vt, mortua, vel ad secunda vota transeunte vidua, praeter legitimam dotem, reliqua omnia ad mariti proximos cognatos reuertantur. *ibid. §. II.* Denique 3) vt, vtroque coniuge sine liberis mortuo, proximi gradu succedant, vsque ad septimum gradum. *) *ibid. §. IV.*

- *) Quemadmodum olim praetor cognationem gradu sexto finiebat, non admissis ex cognatis septimi gradus, nisi sobrino sobrina nato natae, quum leges agnatos omnes, quocumque gradu remotos, modo prior non adesset, ad successionem vocarent: §. 9. *Inst. de succ. cognat. l. 1. §. 3. ff. unde cogn.* ita Germani finem certum esse volebant cognationi etiam in successione legitima. Sic iam vidimus, legem Ripuariorum, proximos gradu admisisse vsque ad quintum genuculum: (§. CCLVI.) Baiuuarios nec non Langobardos (*vul. LEX LANG. Lib. II. Tit. XIV. §. I.*) ad septimum. Anglii etiam et Werini agnatos in bonis immobilibus feminis praeferebant ad gradum quintum: post quintum autem feminae omnem hereditatem capiebant, et sic hereditas a lancea ad fustum transibat, (*von der schwerdt-seite auf die spindel.*) LEX WERIN. *tit. VI. §. VIII.*

§. CCLVIII.

ANGLII et WERINI 1) distinguebant pecuniam mancipiaque et agros vel fundos. Illa, apud non exstante filia, forori; nec sorore superstitite, matri cedebant: hi semper *proximo paternae generationis consanguineo* debebantur. Itemque Anglios et Werinos?

2) Si nec mater viueret, proximus consanguineus paternae generationis, ex asse erat heres

heres, et pecuniam mancipiaque non minus, quam agros ac fundos capiebat. 3) Qui agros accipiebat, ei et vestis bellica, et ultio proximi, et solutio leudis cedebant. 4) Denique *paterna generatio tantum usque ad quintam generationem succedebat: post quintam autem filia ex toto, siue de patris, siue de matris parte, in hereditatem succedebat, et tunc demum hereditas AD FVSVM A LANCEA transibat.* LEX ANGL. ET WERIN. *tit. VI. §. II. sequ.*

§. CCLIX.

Nec non
apud
Lango-
bardos.

Permulta erant singularia circa successionem collateralium apud LANGOBARDOS. Nam 1) relictis fratribus et ex fratre nepotibus, illi hos excludebant, neque locus erat iuri repraesentationis. CAR. COTTA ad IVS LANGOB. *Lib. II. Tit. XIV. §. I.* 2) Soror etiam succedebat, cum fratris defuncti filia, modo ipsa adhuc in capillis esset, alias enim a filia excludebatur. LEX LANG. *ibid. §. XXII.* 3) Sorori fratrique soror fraterque succedebant aequaliter, nisi priore casu frater esset *mundwaldus*, qui tunc sororem in mundio excludebat. *ibid. §. XXIV.* 4) Omnes autem agnatos, exceptis filiis, ex eodem matrimonio natis, patre et sororibus, excludebat maritus aliusue *mundwaldus* extraneus. *ibid. §. XXIV.* 5) Nullo horum superstitite, proximus agnatus ad septimum usque gradum succedebat. *) *ibid. §. I.*

*) Id. quoque singulare est, quod quum iure Romano inter illegitimos et cognatos cognatasque reciproca esset successio: 1. 2. l. 4. unde cogn. l. 5. C. ad SC. Or-

SC. *Orpbit.* iure Langobardico agnati quidem aequae ac cognati bastardis, hi autem nec agnatis, nec cognatis successerint ANDR. DE BARVLO *in leg. langob. tit. XIV. sub fin.*

§. CCLX.

Quod ad iura recentiora attinet, SAXONICVM primo omnium vocat fratres et sorores ^{Quid iure Sa-} bilaterales, (*ungezweyete brüder vnd schwester- xonico stern: IVS PROV. SAX. Lib. II. Art. XX. non obtine-* admittis vna fratrum bilateralium liberis, quia rit?) hic cessat ius repraesentationis. *ibid. Lib. I. Art. III.* Deinde, non exstantibus fratribus fororibusque germanis, eorum liberos, in capita, *ibid. Lib. I. Art. XVII.* quibuscum tamen concurrunt fratres fororesque unilateralles quia ibi valet regula: *die halbe geburt tritt einen grad weiter. ibid. Lib. II. Art. XXX.* nec non vetere, iure patruus et auunculus. Vid. *consultat. Elect. ad Part. III. Const. XVIII.* Denique non modo res vtensiles proxima cognata; expeditorias agnatus proximus praecipit: verum etiam conditionis dignitatisque heredum olim habitam esse rationem, recte obseruat REINH. *diff. iur. ciu. et Sax. XLVIII. pag. 1. **)

*) IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. III.* *Nemen auch zwey- ne brüder vno schwestern, vnd der dritte brüder sonst ein ander weib, ihrer allerseits kinder sind jedoch gleiche nahe, erbe zu nehmen, ob sie einander ebenbürtig, das ist, an der geburt gleich sind. Simile quid inter ipsos liberos obseruatum esse, supra ostendimus ex LEGE ALAMANN. tit. LVII.*

§. CCLXI.

§. CCLXI.

Quid iure
Alamanni-
co?

Non opus esse videtur, vt et *iuris* ALAMANNICI *vel* SVEVICI fóculos hic excutiamus, a Saxonico quum non adeo discrepet, quin paene rem iisdem verbis describat. Potius itaque de SVCCESIONE CONIUGVM quaedam hic subiicienda sunt, quippe qui iure Germanico non modo ante físcum ad hereditatem vocabantur, sed et cum reliquis heredibus ex descendantium, ascendentium et collateralium ordine, concurrebant eatenus, vt portionem aliquam statutariam iure caperent.

IV. DE SVCCESIONE CONIUGVM.

§. CCLXII.

Coniugibus quo-
ruplici modo
prospexerint
Germani?

Coniugum tam arcta sanctaque videbatur societas, vt eorum vel maxime rationem esse habendam, existimarent Germani. Quod triplici ratione fiebat, primum vt certis casibus ad hereditatem totam vocarentur: deinde vt iure communionis, quae inter coniuges intercedebat, partem communis adhaerentis, finita illa communionis, fortirentur: denique vt certam coniuges superstites caperent portionem statutariam, quae non tam tamquam heredibus, quam titulo singulari, illis deberi videbatur. *)

*) Sed haec omnia intelligenda de eo casu, si nec patris dotalibus, quibus saepe numero de vniuersa hereditate disponebatur, (§. CLXXI.) nec testamento, superstiti fuerit prospectum. Nam et hic prouisio-

prouisionem hominis tollere prouisionem legis, ipsa experientia quotidiana fatiſ superque docemur.

§. CCLXIII.

Vt ergo et hic leges vetuſtiſſimas luſtre-
 mus: WISIGOTHICA ad exemplum edicti Prae-
 toris VNDE VIR ET VXOR cauet, *vt maritus et*
uxor tunc ſibi hereditario iure ſuccedant,
*quando nulla adſinitas *) uſque ad ſeptimum*
gradum propinquis eorum vel parentibus inue-
niri poſſit. LEX WISIGOTH. Lib. IV. tit. II. §. XI.
 At ſicuti haec ſucceſſio extraordinaria, et,
 uti facile intelliges, paullo rarior erat: ita
 portionem ſtatutariam fuiſſe ad quaerſtus par-
 tem, pro ratione quantitatis bonorum, quae
 quiſque contulerat in commune, iam ſupra
 oſtendimus (Lib. I. §. CCLXVII. ſequ.)

Succeſ-
 ſio con-
 iugum
 ex lege
 Wiſigo-
 thica.

*) *Adſinitas* hic non eſt neceſſitudo, ex nuptiis orta,
 ſed idem ac propinquitas. Hinc *adſinitas ſecundi*
gradus in LEGE WISIG. Lib. IV. tit. I. §. II. non eſt
ſecundus gradus adſinitatis, ſed propinquitas ſecun-
 di gradus.

§. CCLXIV.

Quod ad BVRGVNDIONES attinet, eos com-
 munionem inter coniuges ignoraffe, iam
 ſupra obſeruauimus. (Lib. I. §. CCLXX.) At
 viduam, ad ſecunda vota tranſeuntem, reti-
 nuiffe donationem nuptialem, et, exſtan-
 tibus filiis, eam iure uſufructuario; vel, iſ
 non exſtantibus, iure proprietatis tenuiſſe,
 patet ex LEGE BVRG. Tit. XXIV. §. I. et II.
 Sin-viduitatis ſeruaret propoſitum, nec fi-
 lios haberet: tertiae bonorum partis uſum-
 fru-

Ex lege
 Burgun-
 dica.

fructum, dum viveret, percipiebat, *) eam redditura, si iterum naberet, et si, elapso anno vel biennio, id cepisset consilii, solo pretio nuptiali contenta futura. *ibid. Tit. XLII. §. I. et II.* Sin filios habebat, cum iis ita diuidebat hereditatem, vt, si vnus effet tertiam; si duo vel plures, quartam partem iure vsufructuario acciperet. *ibid. Tit. XXXIV. §. II.* Idem etiam circa maritum obseruatum esse, colligas ex *d. tit. XXXIV. §. III.*

*) Eam tamen portionem statutariam tum demum capiebat vidua, si patris aut matris non haberet facultatem, aut si ei maritus suus aliquam, in qua viuere posset, successione suae non donasset quantitatem: id est, si alioquin necessariis destitueretur alimentis. *Tit. LXXXV. §. I.* Quod ipsum simile quid habere dixeris cum *Autb. praeterea. C. vnde vir et ux.*

§. CCLXV.

Ex legibus
Franco-
rum.

Apud FRANCOS communionem bonorum inter coniuges fuisse, iam supra notauimus. Soluta ergo matrimonio, vidua antiquis temporibus trientem adhaerens; postea ex feudis tertiam collaborationis partem, ex reliquis dimidiam capiebat. *LEX RIPVAR. tit. XXVII. §. II. CAPITVLAR. Lib. IV. §. IX. (Lib. I. §. CCLXX. sequ.)* Itaque superstes maritus procul dubio duas adhaerens feudales partes, et semissem reliquorum bonorum communium praecepit. *) De statutaria ista coniugum Francorum portione legi poterit *ANT. DADIN. ALTESERRA rer. Aquitan. Lib. III. Cap. XVIII.*

*) Ali-

*) Aliquando tamen communem istum adhaerentem coniuges pii inter viuos donabant alicui monasterio, cuius donationis exemplum extat in TRADIT. FVLG. *Lib. II. Cap. XIII.* vbi Halbertus et Hruada, coniuges, ecclesiis donant, *quantum in genitores dimiserint, et ipsi conlaborati habuerint.*

§. CCLXVI.

Vxor apud OSTFALOS et ANGRARIOS solam Saxodotem, a marito promissam, eo mortuo, accipiebat, et quidem superstitibus filiis, iure usufructuario, iisdem praemortuis iure prioritatis, non extantibus demique filiis, itidem iure usufructuario, quippe ea mortua ad dantem eiusque heredes redituram. *LEX SAX. Tit. VII.* Idem quidem et apud WESTPHALOS obseruabatur: sed praeter dotem ibi vidua semissem adhaerentis capiebat. *ibid. Tit. VIII.* Inde iam supra (*Lib. I. §. CCLXXII.*) collegimus, communionem bonorum inter coniuges, non quidem Ostfalos et Angrarios, sed inter Westphalos tamen, viguisse.

§. CCLXVII.

Quid apud ANGLIOS et WERINOS, nec non Langobardos, obtinuerit, tacentibus eorum legibus, hodie scimus iuxta cum ignarissimis. Apud LANGOBARDOS qualis fuerit coniugum successio, tanto certius constat. Maritus erat mundwaldus, seu tutor vxoris suae, eoque nomine vxori praemortuae succedebat, eiusque ex affe heres erat, *LEX LANGOB. Lib. I. tit. XIV. §. XXIX.* quamuis ANDR. DE BARVLO *Leg. Langob. Tit. XIII.* ei praeferebat existimantem.

met filios communes. Vxor praecipuam habebat *morgincap*, (*Lib. I. §. CCXVI.*) et *metam*; quae non poterat CCCC. solidos excedere. Licebat etiam marito, ei supremo iudicio legare vsumfructum partis bonorum, et quidem tertiae, si filios ex alia vxore vnum aut duos reliquerit, quartae, si tres, si plures quintae, et sic porro. LEX LANGOB. *Lib. II. Tit. IV. §. I. II. IV.*

§. CCLXVIII.

Alaman-
norum.

VXOR ALAMANNA sibi qualiacumque emolumenta stipulabatur, inprimis dotem vel morgengabam; et exstat huiusmodi dotale instrumentum Alamannicum apud GOLDAST. *Script. rer. Alam. Tom. II. charta IX. pag. 28.* Si nihil certi conuenerat: illa erat XL. solidorum; haec XII. LEX ALAM. *tit. LV. §. II.* Mortuo sine liberis marito, iterum aequali nuptura, retinebat *dotis legitimam, et quidquid parentes eius legitime placitauerant, et quidquid de sede paterna secum attulerat, quod eius non manducasset vel vendidisset. ibid. §. I.* Si mariti propinqui ei dubiam redderent dotem, vel morgengabam: priore casu vel vna cum quinque iurare, vel pugna, cum spatha tracta per campionem inita, illam integram seruare; posteriore, praestito per pectus iureiurando, quod Alamanni vocabant *NA-STAIÐ,**) eam donationem confirmare tenebatur. *ibid. tit. LXI. §. I. et II.*

*) LINDENGROG. in *glossar. p. 1443.* recte obseruat, in hoc vocabulo occurrere Germanicum *Aid*, quod significet *iurisiurandum.* Sed, quid *Nast*, inquit,

non liquet. Rectius CAR. DV FRESNE in *glossar. Lat. Tom. II. p. 722.* obseruat, *naß*, vel *naest* esse proximum, idque nomen ferre hoc iusiurandum, quia mulier iuravit per pectus, quo nihil homini vel cordi sit propius. Iam id tantum obseruo, huius iusiurandi vestigia superesse in IVRE PROVINCIALI AVSTRIACO §. XXXVII. apud LVDEWIG. *reliqu. MSSC. Tom. IV. p. 14.* *Auch soll eyne yegliche frau ihr morgengab behaben mit irm eydt auf ibren brüsten: vnd soll dew haben nach Landes-gewonheit, als recht ist, vnd soll auch vor gericht nicht schwebren, noch kein eydt thain, dann auf ibren prüsten mit zweyen fingern.*

§. CCLXIX.

BAIVVARIH distinguebant, vtrum sine liberis Baiuua- vel propinquis decesserit maritus, an talesiorum essent superstites. Priore casu ius erat marito, quantumcumque placeret, immo vniuersa bona, viduae relinquere, quae sibi relicta vidua deinde pleno iure possidebat, si a secundis nupriis abstineret. LEX BAIVVAR. *Tit. XIV. Cap. IX. §. III.* Si nihil de bonis suis disposuisset: vxor femissem hereditatis capiebat, iure vsufructuario possidendum, quoad viueret, et ad secunda vota non transiret. *ibid. §. I. et II.* Posteriore casu portionem virilem vna cum liberis iure vsufructuario accipiebat, amissura eandem, si in alterius viri torum concederet, exceptis rebus propriis, et dote a marito constituta, quas et iterum nupta sibi retinebat. LEX BAIVVAR. *ibid. Cap. VI. et VII. §. I. et II.*

§. CCLXX.

Ex iure
Saxonico
quae
portio
statuta-
ria?

Sed progrediendum ad iura, quae a saeculo XII. in Germaniae foris fere ubique regnant, quale est SAXONICVM. Et quidem ex glossa WEICHB. *Art. XXII.* coniugi superflua debetur tertia pars hereditatis, eius liberi quotcumque supersint. Maritum esse heredem rerum mobilium vxoris suae, notum est EX IVR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. LXXVI.* et *Lib. I. Art. XXXI.*

§. CCLXXI.

Quid
vxor ex
eo ha-
beat
praeci-
puum?

At vxori praeterea ex bonis mariti debentur quaedam alia, de quibus IVR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. LXXVI.* *Stierbet ein mann, so ergetheilt mit den kindern, lange weile, so kurz: wann sie sich darnach theilen, so nimm die frau ihre morgengab, gerade, und theil, an alle dem gut, das denn da ist, so sie nehmen solt zu der zeit, da ihr mann starb. *)*

*) Quid ad morgengabam, cibaria et geradam pertineat, patet ex IVR. PROV. SAX. *Lib. I. Art. XIV.* Nimirum ad MORGENGABAM referuntur *feld-pferde, rinder, ziegen vnd schweine, vnd den birten geben, vnd gezeunet zimmer, (gezeuntes zimmer quid intelligatur, prolixè dicitur GVNDL. de emt. vxor. Cap. III. §. XXII.)* CIBARIORVM nomine veniunt *gemäste siewer, vnd hoffspeise in ieglichem hoff ibres mannes.* Denique, ad GERADAM alle schaffe, gântze, kaffen vnd angehangenen liedern, alles garn, bette, pfücken, kussen, leilach, tischlachen, zwelen, badlachen, becken, leuchter, vnd alle weibliche kleider, singer-

*fingerlehn, armgold, rſchappeln, (in vetere edit. Sax. Zabeln, i. e. pelles mustelae Scythicae,) pſalter und alle bücher, die zum gottesdienſt gehören, darinn die frauen pflegen ihr gebet zu leſen, ſiedeln, laden, teppichte, umbhänge, rücklachen, und alle gebende. Addit SPECVLATOR, paucis inſtrictis, büſten, kämme, ſcheren, ſpiegel, alles gewand und lacken, geſchnitten, zu frauen kleidern: contra ad vxorem non pertinere monet ungewürckt gold und ſilber. Sed hic innumerae oriuntur quaestiones, in quibus enodandis incredibili industria ingenium exercuerunt doctores Saxonici, qui de gerada, cibariis, morgengaba scripterunt, ex quibus pleraque excerptit GÉ. BEYER. *ſpec. iur. Germ. Lib. II. Cap. XV. XVI. et XVII.**

§. CCLXXII.

Sed IVRE ALAMANNICO vidua praecipiebat Quid morgengabam, et mobilia cum liberis vel iure alijs heredibus diuidebat aequaliter, certa Sueuico tamen parte pro animae remedio ad pias causas seposita. iVS PROV. SVEV. *Cap. CCLXXVII.* Quod ad geradam attinet, per omnia fere circa Saxonico simile est ius Alamannicum, ceu patet ex *CCLXIV.* Cibaria, quae post diem a morte mariti tricesimum supererant, vidua circa ſucceſſionem diuidebat cum heredibus. *ibid. Cap. CCLXI.* Maritus ex bonis vxoris immobilibus capiebat fructus, et census, quorum iam dies venerat. *ibid. Cap. CCCXXXVII.* Ex ceteris rebus ob bonorum communionem coniugi ſuperſtiti pars certa videtur obtigisse. *ibid. CCLXXI.* coniu- gum ob- tineat?

V. DE SVCCESIONE FISCI

§. CCLXXHI.

Transi-
tio ad
succef-
sionem
fisci.

Germanis vetustissimis ignota procul du-
bio fuerunt fisci iura, quae in iurisprudencia
Romana utramque faciunt paginam. Ne ta-
men principi vel reipublicae deesset nervus
rerum gerendarum, teste TACITO de *mor.*
Germ. Cap. XV, mos erat ciuitatibus, vltro vi-
ritim conferre principibus vel armentorum, vel
frugum, quod pro honore acceptum, etiam ne-
cessitatibus subueniebat. Sed qui Germano-
rum, occupatis Romanorum prouinciis, re-
gna in iis opulentissima constituerant, satis
mature nosse coeperunt fiscum, de eoque
locupletando non minus, quam antea Ro-
mani, fuerunt solliciti. Quem morem dein-
de et reliqui Germani a Francis veluti per
manus traditum acceperunt.

§. CCLXXIV.

Qualis
fisci suc-
cessio in
Germania?

Itaque et vacantem hereditatem fisco vin-
dicare non dubitarunt Ostrogothi, EDICT.
THEODORICI *Cap. XXIV.* Baiuuarum, LEX BAIU-
VAR. *tit. XIV. Cap. IX. §. IV.* et Franci, ceu pa-
tet ex LEG. SAL. *Tit. LXIII. §. III.* et CAPITV-
LARI CAROLI M. *anni DCCCXIII. §. VI.* apud
BALVZ. *Tom. I. pag. 508.* quin et medio aeuo
Saxones, quorum in IVRE PROV. *Lib. I. Art.*
XXVIII. legimus: *Was solches ding es erblich*
stierbt, als heergewedt, erb oder gerad, das
soll man antworten dem richter, oder frond-
ten, ob er es heischet nach dem dreyssigsten.
Das soll dann der richter behalten iahr vnd tag
vnuer-

*unverthan; und warten, ob sich iemands dazu ziehen wolt mit recht. Käme dann niemand, so kehre es der richter zu seinem nutz. *)*

Qualia etiam fuit in IVRE PROV. SVEV. Cap. CCLXVIII. nec non in priuilegiis Dieterici, Comitis Cliuensis, et Dieterici, Com. Hornani anno MCCCXL. oppido Cranenburgensi, nec non Ioannis, Cliuiae Comitis, oppido Hueffen anno MCCCXLVIII. dato apud DIETHM. *cod. diplom. ad Teschenmach. n. XXIV. et XXIII. pag. 16. et 13.* nisi quod hereditas vacans fisco principis referuatur.

*) Quam tamen breuis admodum sit haec praescriptio, qua heredes absentes ignoti iure hereditario excluduntur: merito excipiuntur heredes captiui, vel reip. aut cultus diuini causa absentes, (*die in des reichs-dienst gezogen, oder in gottes Dienst auffer des landes sind.*) IVS PROV. SAX. *ibid.* Addit SPECVLATOR SVEVVS, *ob ein mann in seines herren dienst ist, oder wen siechtbum irret, und der eines beredet mit seinen zween fingern, oder selb dritt, ob er des stadt hat.*

§. CCLXXV.

Id vero ex his locis notandum, quod Fisci iu-
quum iure Romano bona vacantia tantum a ra quae-
fisco principis vindicarentur: *l. 1. C. de bon. libet fe-*
vac. l. 15. ff. de verb. sign. Germani iura fisci *re iudi-*
omnibus fere iudiciis concesserint. Inde *cia ha-*
enim est, quod IVRE PROV. SVEV. Cap. *bebant.*
CCLXVIII. bona vacantia hominum proprio-
rum domino; subditorum ecclesiasticorum
ecclesiae; *) prouincialium iudici prouin-
ciae; (*dem landrichter;*) municipum domino

vel iudici municipii addicuntur. Vid. *facis*
diff. iur. ciuil. et Saxon. XXXV.

*) Hic, si seruilis non erat conditionis, testari poterat de rebus suis, modo, si ex parte ecclesie haberetur census, quartam bonorum partem ecclesie relinqueret. Sin intestatus moreretur, tertia bona ab ecclesia poterant vindicari. *prov. svev. Cap. CCLXIX.* Ecclesias etiam de hereditate clericorum et sanctimonialium sicuti de prelatas, non obscure patet ex *LEG. wisig. Lib. IV. tit. II. §. XII.*

CONCLUSIONES IVRIS GERM. HODIE PASSIM SUPERSTITES.

§. CCLXXVI.

Transi-
 tio ad
 conclu-
 siones.

Quamuis vero plerisque locis ius hoc antiquum in exsilium egerit iurisprudencia Romana, recepta tanto lubentius, quanto magis sua se aequitate commendat *NOVELLA CXVIII*: facile tamen licebit demonstrare, plures passim superesse conclusiones de successione intestatorum, ex iure illo antiquo, tamquam ex fonte suo, promanantes, quas hic veluti in fasciculo exhiberi operae pretium fuerit.

§. CCLXXVII.

De filia-
 bus a
 successione
 exclusis.

Et quidem sicuti commune veluti fuit patris Germanis hoc principium, quod inter *DESCENDENTES* filii filiabus, nepotes neptibus sint praeferendi: (§. *CCXVIII. sequ.*) ita et hodie sunt statuta, quae filios prae filiabus praerogatiua donant, et in bonis autis (*in*
erb-

erb-stamm-gütern) solos filios; in reliquis filios filiasque simul ad successionem admittunt: qualis est successio inter nobiles non modo in ducatu Bremensi: vid., STRYK. *vs. modern. Lib. XXXVIII. Tit. XVI. §. III.* verum etiam in superiore Germania, inter equites immediatos, ceu ex actis publicis quotidie discimus.

§. CCLXXVIII.

2) In ducatu Slesuicensi, quamuis filiae vna cum filiis paternam maternamque hereditatem cernant, legibus tamen cautum est, vt filii duplam portionem prae filiabus fortiantur, quod et 3) in Dania obseruari, patet EX LEG. DAN. *Lib. V. Tit. II. §. XXIX.* Ita 4) et Saxones hodie quoque filiis, saltem equestris nobilitatis, *) prae filiabus res expeditorias; (*das heer-gewette*;) et 5) ex hisce rebus maiori natu gladium paternum concedere, in vulgus notum est. CARPZ. *Part. III. Conf. XXXVIII. Defin. XXV.*

*) Rerum expeditoriarum tantum inter equestris nobilitatis familias haberi rationem, ipsum monet IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXVII.* verbis: *Welcher mann von risters-art nicht ist, und des beerschildes nicht bat, der laest nach sich allein erb zunehmen, wann er gestierbt, und kein heergewet.* Enimvero et ad plebeii ordinis homines paullatim hoc porrectum esse, iam obseruauit CARPZ. *ibid. def. XXIV.* Exemplum est in LEG. MVNICIPAL. BRVNSV. apud LEIBNIT. *script. rer. Brunsv. Tom. III. p. 434.* et in LVBEVRG. *ibid. p. 754.* Denique GOSLARIENSIBVS *ibid. p. 485.* Attamen tunc saepe loco rerum, quas expeditoriis adnumerat SPECVLATOR SAXO, statuta plane alias iis accensent, e. g. statutum

Saxillense filio loco rerum expeditoriarum debent
 sancit: *des vaters kleider*: proximo agnato *des vaters*
nes tägliche kleider, nemlich einen mantel oder
rock, bosen und wambi. De armis ibi *enachet*:
Es solle der aufgefäzte barnisch, spies, oder dergleichen
ren, so auf des verstorbenen haufte subet, dergleichen
haufte bleiben: die vberleyen wehren und yeggen
solten zum heergeräthe gehören. GOD. AVG. HOFFMANN
von der gerade und dem heergew. Part. II. p. 27.
 qui et alia similia statuta collegit p. 28. p. 29. p. 30.
 p. 59. p. 738. et alibi passim.

§. CCLXXIX.

De ge-
 rada fi-
 liabus
 debita.

Attamen 6) has res expeditorias filii in Sa-
 xonia et aliis prouinciis, vbi ius Saxonicum
 viget, aequo animo concedunt filiae, quae
 ipsae ex hereditate materna praecipuas ha-
 beant res vtensiles, ad quas quid singulis lo-
 cis referatur, ex statutis quam plurimis inter
 diligentia ostendit laudatus HOFFMANNUS *de*
gerada, tota parte II. Ceterum 7) et hodie
 ibi res illas vtensiles vna cum filiabus capere
 filios, qui ministerio sacro funguntur, inter
 omnes constat. GOLDB. *de success. in gerada*
pag. 36. sequ.

§. CCLXXX.

De iure
 reprae-
 senta-
 tionis.

Praeterea, vti olim Germanis non paucis
 diu ignotum fuit ius repraesentationis etiam
 inter ipsos descendentes: (§. CCXXXI.) ita
 9) et in Geldria illud diu satis ignoratum est,
 quippe anno demum MDLX. introductum.
 PONTAN. *hiss. Geln. Lib. XIV. pag. 882.* quod
 10) et de aliis Belgis obseruat 10. A SOMERN
de repraesent. Cap. I. §. VIII. Quin 11) in
 Marchia ius repraesentationis olim tantum
 ad

ad nepotes, non ad vteriores, pertinere videbatur ob textum expressum constitutionis Ioachimi Electoris *von erbfällen rubr. von der absteigenden linie §. in den andern*, quamuis huic iuri vsu postea derogatum esse, fateantur SCHEPLIZ *consu. March. Part. III. tit. III. in adp. qu. I. n. I. STRYK. de success. ab intest. diss. I. Cap. IV. §. XX.*

§. CCLXXXI.

Quemadmodum porro olim illegitimos a De successione plane excludebant leges quae- cessione dam Germanicae: (§. CCXXVII. *sequ. §. illegiti- CCXXXV.*) ita 12) et hodie id principium ob- morum. tinet, vbi cumque viget ius Lubecense, quippe quo cautum est *Lib. II. Tit. II. Art. IX. Vneheliche kinder nehmen kein erbe, aber derselben verlassen gut erben ihre nächste blutsfreunde, die dazugehören.* *) Quin 13) tametsi vbi que parentibus succedant legitimati per subsequens matrimonium: non tamen 14) facile ad successionem prodest legitimatio per rescriptum principis, si iam adsint legitimi, quippe quibus ius quaesitum non temere est auferendum.

*) Hoc non sine ratione monent LVBECENSES, quia alioquin, nec cognati vbi que illegitimis, nec ipsi illegitimi sibi inuicem succedebant. (§. CCXXXV.) Potius iam alibi notauimus, illegitimos, sine prole decedentium, hereditatem multis locis a fisco vindicari, et hinc spurios accenseri *denen bagestolzen. IVS PROV. PALAT. Tit. VIII. REFORM. IVLIAC. Tit. LXXIX. REFORM. NORIB. Lib. IX. tit. XXXIV.*

§. CCLXXXII.

§. CCLXXXII.

Succes-
sio libe-
rorum
ex iure
Lube-
censi.

Sed 14) nulla in re a veteri iure Germanico magis secessionem faciunt mores eorundem Lubecensium, quam in successione liberorum, siquidem liberos data certa bonorum parte separatos pro mortuis habent, MEV. *ad ius Eubec. Lib. II. Tit. II. Art. XXXIII. n. 128.* ac proinde 15) nec ipsos, nec nepotes ex illis, vna cum reliquis liberis non separatis ad parentum hereditatem vocant, IUS LVBEC. *Lib. II. tit. II, Art. XXVIII.* nisi 16) vel non existent liberi non separati, quorum in fauorem illi separati sunt: MEV. *ad art. XXXIII. n. 135.* siquidem 17) tunc omnibus collateralibus, quin 18) et ipsi nouercae praeferuntur: MEV. *ibid. Tit. II. Art. XXIII. et ad Art. XXXIII. n. 138.* vel 19) ipsi parentes iis testamento prospexerint. MEV. *ad ius Lub. Part. II. Tit. I. Art. VIII. n. VI. et XII.* STRYK. *de succ. ab intest. diff. I. Cap. IV. §. XXVI.*

§. CCLXXXIII.

De iure
oprandi
minori
compe-
tente.

Denique quemadmodum iure veteri Germanico vbi inter duos fratres eriscunda erit familia, maioris erat diuidere, minoris eligere: (§. CCXXXIV. et CCXLI.) ita 20) hoc ius et hodie obtinet non modo in Saxonia, verum etiam in plerisque locis aliis, adeo vt 21) et in camerali Imperii iudicio eius regulae habitam esse rationem, constet. GAIL. *obseru. Lib. II. Cap. CXVI. extr. MVNS. Cent. IV. Obs. XXXVII.* Et quamuis ei regulae tantum

tum locus esset inter duos fratres: 22) tamen moribus inualuit, vt inter plures quoque regula illa obseruetur, *) et, 23) si soror cum fratre concurrit, illa siue natu minor, siue maior sit, diuidat, fratri relicto iure optionis. CARPZOV. *Part. III. Const. XV. Def. VII.*

*) Hinc passim fratri, natu minimo, etiam circa praedia competit ius OPTIONIS, (*das köhr-recht*), isque proinde alicubi vocatur *der köhr-erbe*. At hoc ius nec ad heredes transmittitur: CARPZ. *Part. III. Const. XV. Def. XIII. et XIV.* et testamento paterno potest eripi filio, CARPZ. *ibid. def. XXI.* immo et materno, vti statuit RICHTER. *de success. ab intestato Sect. I. Membr. I. n. LXIX.* Pleraque, quae de eo iure dicenda erant, habes apud GE. BEYERVM tum in *specim. iur. Germ. Lib. II. Cap. XIII.* tum in singulari dissertatione, quae est in Volumine Dissertationum eius XII.

§. CCLXXXIV.

Similia iuris veteris Germanici vestigia et in ADSCENDENTIVM successione passim deprehendimus. Nam sicuti olim quaedam gentes Germanicae parentum rationem plane non habebant: (§. CCXLV. et CCXLVIII.) ita 24) in archiducatu Aufriaco parentes non capere luctuosam liberorum hereditatem, testatur FINSTERW. *Lib. II. Obs. CXIX.* Quod an non ex eo tempore mutatum sit, ignorare se fatetur WEING. *fascic. statut. Lib. I. Part. III. pag. 65.* Et quamuis 25) Saxones, qui olim matrem vna cum patre ad successionem non vocabant, (§. CCL.) vtrumque

Et hodie alicubi excluduntur adscendentes.

que parentem hodie simul admittant: CONST. AVG. XVII. *Part. III.* 26) patri tamen vsumfructum in portione matris adquiri, volunt. CONSULT. SAX. *Tom. I. Part. II. n. XXIII.*

§. CCLXXXV.

Ali-
quando
etiam
iure Lu-
becensi
et Prus-
sico.

Sed et 27) IVRE LVB. *Lib. II. Tit. II. Art. I. et VII.* fratres et sorores tum separati, tum non separati, praefertur parentibus in bonis fratris vel sororis separati; contra 28) filio filiaeque, qui quaeque adhuc in sacris parentum est, parentes succedunt, excluduntque fratres ac sorores: COTHMANN. *Vol. III. Conf. XLVI. n. XVI.* Denique 29) avus aviaque, siue paterni, siue materni, a fratribus sororibusque etiam unilateralibus plane excluduntur. IVS LVBEC. *ibid. Art. XVII.* Postremo 30) IVRE PRUSS. *Lib. V. tit. XII. Art. II. §. I.* vterque parens superstes ex iuris civilis praescripto succedit: alterutro praemortuo, *) alter superstes a fratribus sororibusque germanis saltim in bonis, quae a parentibus ad liberos pervenerunt, excluditur. STRYK. *de success. ab intest. Diss. II. Cap. III. §. XII.*

*) Vocant hoc Prussi *snium ruptum*: idque ius paullulum mutatum videri posset in noua huius iuris Prussici editione, quae potentissimi FRIDRICI GVILIELMI Regis anno MDCCXXII. auspiciis prodit. En verba: *Wenn es sich dann begäbe, daß die kinder vor den eltern absterben, und erstlich also, daß die abgestorbene person keine eheliche kinder oder Kindes-kinder, aber doch eheliche vater und mutter nach ihr im leben*

leben verließ, da soll derselben verlassenschaft, sofern DER BVSEN NICHT GETRENNET (da sie etwas eigenes gehabt, solchem ihren vater und mutter zugleich mit einander, vnangesehen, daß noch der altvater oder altmutter vorhanden,) oder welches vnter ihnen im leben wäre, allein erblich zu fallen. Dannenhero so vnter vater und mutter eins zuvor mit todt abgegangen wäre, erbt das ubrige allein, und schliesset die andern eltern in aufsteigender linie aus. At postea tamen §. V. confirmatur ius antiquum: Ist aber eins von den beyden gestorben, also das der BVSEM zertrennet, oder gebrochen ist, die theilung sey geschehen, oder nicht, so seynd seine schwestern und brüder in den angefallenen anererbten gütern, sie seyn väterlich, oder mütterlich, seine nächste erben von rechts wegen.

§. CCLXXXVI.

Quemadmodum deinde olim parentes, liberorum hereditatem cernentes, defuncti fratres et sorores, multoque magis eorum liberos, excludebant: (§. CCL.) ita 31) id et hodie obtinet in Saxonia, vbi parentes defuncti fratribus sororibusque germanis omnino praeferuntur. CARPZ. *Part. III. Const. XVII. Def. VI.* BERLICH. *Part. III. Concl. XXIII. extr.* Quin 32) et auos auiasque fratribus sororibusque ibi praeferrri, monet REINH. *Part. I. diff. iur. ciu. et Sax. XXIX.*

In Saxonia cum adscendentibus non concurrunt fratres et sorores.

§. CCLXXXVII.

Corollarii loco addimus, 33) iis locis vbi ius recadentiae inualuit, (§. CXLIII.) bona a patre ad filium profecta, ad patrem aumue paternum; a matre ad matrem aumue maternum deuolui, ibique 34) obtinere paroe-

Alicubi bona hereditaria redeunt ad eum parentem, a

quo pro-
fecta
sunt.

parocemiam iuris: *r' Goet moet goet, niet daar
gekomen is, quam* 35) in Zeelandia, Hollandia
que meridionali, inter Rhenum et Mosam
obtinere, obseruat SIM. VAN LEEUWEN *conf.
forens. Part. I. Lib. III. Cap. XIV. n. II. et
Cap. XVI. n. I.*

§. CCLXXXVIII.

Inter
collate-
rales
non va-
let ius
reprae-
senta-
tionis in
Saxonia.

Quod ad COLLATERALIVM successionem at-
tinet, 36) pleraque, quae ex iure Saxonico
supra obseruauimus, (§. CCLX.) et hodie
fere vbiq; obseruantur, vbi ius Saxonicum
viget, praeterquam quod, 37) quae de nepo-
tibus neptibusque ex fratribus fororibusque
iure repraesentationis non gaudentibus
Saxonia. ximus, post CONSTITVTIONEM CAROLI
anno MDXXI. promulgatam, non quae
in electoratu Saxonico, *) at quibusdam
men aliis locis, vbi alioquin iure Saxo-
ni viuitur, sunt abrogata, veluti in
Magdeburgico, Principatu Halberstadiensi,
Episcopatu Numburgico, RICHT. *de iur.
ab intest. Sect. III. Membr. I. num. IX. et
immo et in ciuitatibus illis Neomagiensi,
quibus alioquin iuris Saxonici vsus
est. STRYK. de success. ab intest. Diss. III. Cap.
III. §. XIII. sequ.*

- a) Saxoniae Electorem, interposita protestatione, in
suisque prouinciis id ius reseruasse, vulgo
quos sequitur etiam THOMAS. *dissert. de potestate
statuum imperii legislat. §. LV.* Et meminisse
nos similia tradidisse in *bist. iur. Lib. II. §. CVR.* Sed
nuper admodum obseruauit amicissimus. CHR. GUT-
TORN.

TOFR. HOFFMANN. *in diff. de Ioachimi I. Elect. Brand. constit. de success. p. 92. sequ.* hanc protestationem nec a Fridrico, Electore, sed a Georgio, Duce Saxoniae, esse, nec ad constitutionem illam de successione nepotum ex fratre vel sorore vna cum fratribus et sororibus defuncti, sed ad controuersiam, quae inter Saxones et Bauaros de iure *προεδρίας* gliscebat, pertinere. Meretur profecto elegantissima obseruatio disquisitionem paullo accuratiorem, quam commodiori tempore reseruamus.

§. CCLXXXIX.

Non fert tamen instituti ratio, vt ad speciales quaestiones de successione collateralium, et infinitam statutorum varietatem, progrediamur, quum iuris tantum veteris patrii reliquias, et veluti ossa legere consilium sit. Praeclaram hic nobis operam nauauit VAN LEEWEN, qui *Part. I. cens. for. Lib. III. Cap. XVI.* successionem statutariam Hollandiae et Zeelandiae, *Cap. XVII.* dioeceseos Ultraiectinae, Gelriae, Zutphaniae et Transysulaniae; *Cap. XVIII.* Brabantiae, episcopatus Leodiensis, et comitatus Flandriae; *Cap. XIX.* Galliae siue Franciae, *Cap. XX.* Angliae et Scotiae; *Cap. XXI.* Hispaniae et Italiae; *Cap. XXII.* Germaniae, Prussiae, Poloniae, Hungariae, tam prolixè tamque accurate, ipsis editis harum gentium statutis, explicauit, vt otium nobis fecisse videatur.

De statutaria collateralium successionum curatione non agendum prolixius?

§. CCXC.

Succe-
sio con-
iugum
variat
quam
maxime.

Non minor est statutorum varietas circa
successionem *CONIUGVM*. Sic 38) in Saxo-
nia maritus adhuc est heres rerum mobilium
uxoris, praeterquam vtenfilium. *STRYK de
success. ab intest. Diss. IV. Cap. III. §. VIII
sequ.* falua tamen liberis legitima. *WCHT. de
success. ab intest. Sect. IV. membr. II. n. XXXIII.*
39) Vxori, deficientibus liberis, triens, si-
dem exstantibus, quarta bonorum, collatis
propriis, debetur. *CARPZ. Part. III. Const.
XX. def. XVII. et XXIV.* 40) In ducatu
Brunsvicensi et alibi passim, liberis non ex-
stantibus, vniuersa bona capit superstes con-
iux. *STRYK. de success. ibid. §. XVIII.* 41)
In Marchia et alibi ex veteris communione
principiis superstes capit dimidiam bono-
rum communium, saluo tamen iure, sua bo-
na, si ita visum esset, repetendi. *KOHL. et
HOFFM. ad Const. Ioachimi I. Elect. et STRYK.
ibid. §. XIX. sequ.*

§. CCXCI.

De ea
qui ege-
runt?

Sed hic quoque finem vix esse reper-
turi, si per omnia statuta ire vellemus. Eam
quoque operam praeter *SIM. VAN LEEVVEN,*
CHR. RODENBURGIVM, STRYKIVM, MEVIUM, FR.
ZYPAEVM occuparunt iam alii, et nos iam
quaedam eius generis supra, vbi de dote aliis-
que lucris nuptialibus actum est, attigimus,
quae hic repetere nolumus.

§. CCXCII.

§. CCXCII.

Denique 42) et in FISCO SVCCSSIONE ^{Succes-}dem fere omnia hodie obtinere obseruamus, ^{sio fisci} quae supra ex legibus Germanorum antiquis ^{qualis in} obseruauimus. Huic enim 43) non modo ^{Germa-}hereditas vacans, deficientibus omnibus ^{nia?}propinquis; sed et 44) in Saxonia res expeditoriae et vtensiles cedunt, si desit agnatus, vel cognata, quibus illae ex lege debentur. CARPZ. *Part. III. Const. XXXVIII. def. XIII. n. V.* 45) Id quoque ex prisco iure patrio fere vbique superest, quod fisci iura et ciuitates quaedam exercent, et in Saxonia quidem, quibus est merum imperium, alibi, quibus id ius vel priuilegio, vel consuetudine et diuturno vsu, quaesitum est. STRYK. *ibid. §. I. et IX.*



TIT. X.

DE ADQVIRENDA VEL OMIT-
TENDA HEREDITATE.

§. CCXCIII.

Tran-
siti-
o,

QUUM adhuc de hereditate, tum ex
testis, tum testamentis, tum de
lege delata, satis prolixè actum
superest, vt et de modis, quibus ea ad-
quiritur vel omittitur, itemque de natura her-
editatis iam acquisitae, denique de ipsorum
heredum obligatione, quaedam subiiciamus.

§. CCXCIV.

An Ger-
manis
quidam
fuerint
heredes
necessa-
rii, item-
que sui
et ne-
cessarii.

HEREDUM NECESSARIORVM, SVORVM ET NE-
CESSARIORVM, AC VOLVNTARIORVM discrimen
ignorasse maiores nostros, omnesque here-
des in Germania fuisse voluntarios, tam cer-
tum videtur, quam quod certissimum. LEX
sane BVRG. tit. LXV. liberis non minus, quam
aliis heredibus, indulget facultatem heredi-
tatem paternam repudiandi: *Si qua mulier vi-
dua filios habens, si et illa, et filii sui cessio-
nem de bonis mariti, qui defunctus est, fece-
rint, nullam ex debito ipsius repetitionem, aut
calumniam patiatur.* Multo minus, quae de
feruo, herede necessario, commenti sunt iu-
risperiti Romani, moribus Germanorum vim
quam visa sunt quadrare. *)

*) Quae ratio fuerit Romanis instituendi heredem ne-
cessarium, alibi exposuimus, nempe, ne ignomi-
nia adficiatur testator post mortem, si bona eius
nomi-

nomine distraherentur. Vid. *antiqu. nostr. Rom. Lib. I. tit. VI. §. XI.* At Germani vix videntur ignominia notasse heredes, quorum nomine bona vendebantur, sed eos, qui plus aeris alieni contraxerant, quam exsistere possent. Et hinc institutio ferui, tamquam heredis necessarii, vix profuisset in Germania ad euitandam ignominiam.

§. CCXCV.

Quamuis vero Germani ignorarent heredes necessarios: non tamen dubium erat, quin liberi ipso iure heredes essent, adeoque nec apud Germanos his opus videretur aditione. Quod ad reliquos heredes attinet, illis intra annum et diem adeunda erat hereditas, in rebus mobilibus consistens: in immobilis intra triginta annos, annum et diem: siquidem eo elapso tempore, heres mortuus iudicabatur, et nemine interim adeunte, fiscus hereditatem occupabat. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXVIII. sequ.* Quod tamen IVRE ALAMANNICO aliter se habebat. Vnde idem IVS PROV. *d. art. XIX. Des reichs scharzkammer, vnd die schwaben, mögen sich nimmer erschweigen an ibrem angefallenen erb, dieweil sie es bezeugen mögen.* Quod repetitur etiam in IVRE PROV. ALAMANNICO *Cap. CCLXX. *)*

*) Hoc ius originem huius insignis privilegii refert ad Carolum M. *Diß recht, inquit SPECVLATOR, gab der könig Carle den Schwaben, das beschab bey den zeiten, da die Römer den pabst Leo hätten erblendet, der was königs Carls rechter bruder, darnach besaß der könig Carle Rom, da fiel der hertzog Gerolt von Schwaben bey den ersten in Rom, vnd mit der Schwaben hülf gewahn der könig*

*Carle Rom, und gefeget den Römern an. Sed
nugas, ut solet, agit SPECULATOR. Quis
enim unquam audivit, Leonem Papam Caroli M.
fratrem germanum fuisse? Et quis ignorat, Co-
roldum, Baioariae et Sueviae praefectum, anno
DCCXCIX. in praelio cum Hungaris commisso
occubuisse, adeoque sequente anno DCCX.
interesse potuisse expeditioni Romanae, qua Car-
lus M. Leonem restituit? Vid. REGIN. *ann. DCCXCIX. et sequ.* HERM. *CONTR. ~~ad ann.~~**

§. CCXCVI.

Posses-
sio ipso
iure
transi-
bat ad
heredes
apud
Gallos.

Id vero veluti commune erat Germanorum
principium, quod possessio hereditaria non
adprehendenda esset sollemniter, sed ipso
iure in heredem transiret. Quamvis enim
leges veteres ea de re taceant: communis
tamen hanc fuisse regulam: *le mors fait hé-
ritier*, ostendit SIM. VAN LEWEN. *cons. jur. Lib.*
III. Cap. XIX. §. III. ex consuetudinibus
Burgundicis, §. VIII. ex Britannicis, §. III.
ex Parisiensibus, §. XI. ex Burbonicis, §. I.
XII. ex Pictaviensibus, *Cap. XVIII. §. IV.*
ex Bruxellensibus, §. VI. ex Leodiensibus,
§. VII. et IX. ex Flandricis. Et quis igno-
rat, de Galliae, Hispaniae, Italiae moribus
id singulari, eoque laboriosissimo opere, de-
monstrasse ANDR. TIRAQUELLVM, et de Belgi-
cis idem testari PETR. GVDEL. *iur. noviss. Lib.*
II. Cap. XVIII. PEREZ. in tit. C. de edicto. D.
Hadr. toll. n. XI.

§. CCXCVII.

§. CCXCVII.

Nec minus id verum est de vniuersa Ger- Idem et
mania. Multis id iam demonſtrauit SCHILTE- moribus
RVS *Exerc. XV. §. XIII. ſequ. ex IVRE PROV. Germa-*
SAX. *Lib. III. art. LXXXIII. et IVRE SVEV. Cap. niae ob-*
CCXLV. Sed maxime perſpicuus eſt locus tinuit.
IVRIS SAX. *d. art. LXXXIII. Was man einem*
mann oder weibe giebet, das ſollen ſie dreytage
beſitzen. Was ſie aber mit clage erfordern,
oder auff ſie GEERBT iſt, das dirſſen ſie nicht
beſitzen. Vbi rationem reddit. GLOSSA :
Kombt einer alſo in eines dinges beſitzung, ob
ihm erb anſtierbt. Dis gut hat er albereit in
ſeinen gewehren, vnd beſitzt es. Quum itaque
iuris Germanici merito eſſe credatur, quid-
quid omnes originis Germanicae gentes
commune habuerunt: (*Lib. I. §. XIV.*) re-
cte ſane, ſaltem de maioribus noſtris, adfir-
mauit CARPZ. *Part. III. Conſt. IX. def. XXVII.*
vniuerſalem hanc eſſe gentium tantum non
omnium conſuetudinem.

§. CCXXVIII.

Adita hereditate, non erat dubium, quin Obliga-
heres ſuccederet in iura omnia et obligatio- tio he-
nes defuncti. Et iure quidem FRAN- redis
CORVM initio ſoluebat aes alienum, quan- vniuer-
tumcumque illud eſſet, ſiue ei expungen- ſalis a-
do ſufficerent bona, ſiue non ſufficerent. pud
Ita enim LEX RIPVAR. *Tit. LXVII. §. Francos*
I. *Si quis moriens debitorſus, aut teſtamenta et Bur-*
venditionis, ſeu traditionis aliqua fecerit, ſi gundio-
aut filias non reliquerit, quicumque de paren- nes.
tibus

tibus suis, quantum unus solidus valet, in hereditatem acceperit, vel weregildas eius, si interfectus fuisset, legitime obueniebat, omne debitum per ipsum solui iudicatur, et omne factum eius ideoneare studeat, aut culpam incurrat. Idque etiam apud BVRGVNDIONES iuris fuisse, non obscure prodit eorum LEX tit. LXV. §. II. Si certe praesumserint hereditatem, debitum paternum soluant.

§. CCXCIX.

Restri-
ctior a-
pud Wi-
figothos.

At paullo benigniores fuere aliae gentes Germanicae. WISIGOTHI enim heredes non patiebantur onerari ultra vires hereditatis. LEX WISIG. Lib. VII. tit. V. §. VIII. *Si vero post eius obitum eadem, quae praedicta est, fraus inueniri potuerit, id, quod auctor spondit de re eius, aut heredes cum poena etiam scripturae *) compellendi sunt petenti persolvere. Aut si fortasse maior est auctoris sponsio, vel poena per scripturam taxata, quam esse constat eius hereditatis, si nolunt heredes satisfacere pro auctore, de eo saltem, quod ex rebus eius possident, cogendi sunt caussidico facere cessionem.*

*) Haec non solum poena conuentionalis est, quam ipsi contrahentes sibi inuicem stipulabantur, verum etiam, quam scripturae alicuius auctores iniungebant tertio, eam pactionem violaturo. e. g. *Si quis vero, quod futurum esse non credimus, hanc voluntati nostrae pro quibuslibet conuentionibus aliquem de heredibus nostris, aut iudicum saeuus cupiditas, vel quaelibet persona obuius repetitor existit, a conuentu omnium Christianorum, vel limitibus ecclesiarum extraneus, habeatur, et Iudae, traditoris*

ditoris Domini nostri Iesu Christi, perfraatur consortio. Insuper etiam inferat partibus ipsius monasterii, vel fratrum, ibidem consistensium, sociato quoque tam in actibus, quam in persecutione sacratissimo fisco, auri lib. tant. argenti pond. tant. et ne sic quidem, quod repetit, valeat euindicare. FORM. LINDENBROG. XIII. Talia passim occurrunt non modo in MARCVLFI aliorumque formulis, verum etiam in vetustissimis diplomatibus, veluti apud MIR. *donat. ptar. Cap. III. V. VI. VIII. dipl. Belg. Lib. I. Cap. XIX. XXIII. XXV. XXVII. XXXVIII. Lib. II. Cap. IV. donat. Belg. Lib. I. Cap. XX. XXIV. XXVI. XXXVI.* Quin apud eundem *donat. Lib. II. Cap. XXIX.* in charta Balduini, Comitis Hannoniae, scripta anno MLXXXIX. is, qui confirmationis decretum temerare praesumerit, iudicii seueritatem sentire iubetur, et experiri detrimentum centum librarum, si liber homo sit, non liber autem oculorum amissionem.

§. CCC.

Aequae benigni fuere SAXONES, qui et Itemque ipsi heredes non obligatos putabant ultra vi-
res hereditatis: immo ne ex bonis quidem ^{apud Sa-}xones.
immobilibus nomen defuncti expungi iube-
bant, sed ex mobilibus tantum. IVS PROV.
SAX. *Lib. I. Art. VI. Wer das erbe nimmt,
der soll zu rechte die schuld gelten, *) als fer-
ne das erbe wäbret, mit der sabrenden haab.*
(in editionibus vetustioribus: *also vere, als
dat erve waret an varnder haue.*) Immo-
bilia enim ne inter viuos quidem alienare pot-
erat possessor, sine heredum consensu: (§.
CLXII.) adeoque nec aequum videbatur, vt
onerarentur aere alieno, ab heredibus etiam
infcis exsoluendo.

*) Immo et haec durissima conditio infungitur eodem articulo VI. creditori, vt debitoris heredem, debiti ignarum, conuincat testimonio septuaginta duorum virorum, *die alle schöppenbar frey, oder schweblich geborne leute seyn. Was aber einem manne wissentlich ist, das darff man ihn nicht, erinnen, noch gezeugen.* Quam sanctionem de LXXII. testibus, tamquam Scripturae S. aduersam, reiecit CAROLIVS XI. in bulla art. X.

§. CCCI.

Apud
quos nec
facta omnia
hereste-
nebatur
praestare.

Tantum ergo abest, vt aes alienum vtra vires hereditatis exfoluere tenerentur heredes, vt ne reliqua quidem facta defuncti praestare indistincte cogerentur, si in contractum non consensissent. Sic 1) venditori stare non cogitur filius, multoque minus alius heres, si pater venditor ante traditionem decesserit. *Stierbt auch einer, der sein gut einem andern auflassen soll, dessen solch ist es nicht pflichtig aufzulassen, er habe es dem selber mit gelobet, oder bürgen davor gesetzt.* IVS PROV. SAX. Lib. I. Art. X. nec 2) obligatio defuncti fideiussoris ad heredem transit: WEICHB. art. CXVII. nec 3) locationi standum erat, defuncto locatore. IVS PROV. SAX. Lib. III. Art. LXXVII. Multo minus ergo 4) heres soluebat, quod defunctus ex aliquo delicto debebat. *)

*) Et eo pertinent verba SPECVLATORIS Lib. I. Art. VI. *Die herey, raub, oder spiel-geld ist er, (der erbe) nicht pflichtig zu gelten, noch keine dergleichen schuld, denn solche, der er nuz oder wiedererstattung empfangen hätte, oder da er wäre bürg für worden.* Quod quodammodo refragatur c. 13. causs. 16. qu. 6. Cap. 5. X. de rapt. incend. Aliquando tamen rem aliter se habuisse, infra ostendemus.

§. CCCII.

§. CCCII.

Vti vero heredes quodammodo obligatio-
 ni defuncti stare tenebantur: ita et, quae de-
 functo quis debebat, iure exigebat heres,
 adeo vt ei et multa soluenda esset, quam
 vocabant *leudis, werigeldum, compositionem.* Heres
 etiam in
 iura de-
 functi
 succe-
 debat.

IVS ANGL. ET WFRIN. *Tit. VI. §. V. LEX ALAM.*
tit. IV. §. I. et alibi passim: quamuis in lege
 ANGLIORVM dubium sit, ipsene heres oblige-
 tur ad solutionem leudis, an eam multam a
 delinquente petere debeat. Clarius IVS ALAM.
Cap. CCLIX. Stierbt ein mann, so ist man
seinem erben schuldig, was man ihm gelten
soll.

§. CCCIII.

A Saxonum tamen iure in quibusdam Iure A-
 discrepare videtur ALAMANNICVM, quippe lam, he-
 res sol-
 uit aes
 alienum
 defun-
 &.

quod *Cap. CCLIV.* sine restrictione cauet:
Wer erbe nimmt, der soll auch tze recht die
schuld gelten, die der tod mann gelten soll, die
man weiß. Attamen heredem fideiussoris
 non teneri vltra vires hereditatis, colligi
 posse videtur ex *Cap. CCCLVI.* Nec igno-
 ta debita ex istius iuris principiis probanda
 sunt LXXII. testibus, sed septem tantum.
Der gült, der man nicht erwaisß, die sol der
man ertzeugen auf den todten man selb sieben-
de. Ex delicto quoque non teneri heredem,
 nec restituere *diebheit, noch spiel, noch raub,*
noch wucher: obseruatur *Capite CCLV.* quam-
 uis et hic quasdam exceptiones adiungat

SPECVLATOR, ex iure Romano, vt videtur, depromptas. *)

*) Primò enim excipit casum, si defunctus fuerit conuictus; (quum iure civili sufficiat litte tam esse cum defuncto:) Ist aber ein schuld in erzewget, an die, die ich yetzund genant, die ertzeugte schuld, soltent die erben paffen den chläger vnd dem richter. Deinde et tunc obligat dicitur heres, si rem huiusmodi cum defuncto sumferit, (iure Rom. si factus sit locupletior.) Hæc dieß gut verzehrt mit den erben, sie sollen erben ten gar, aber haben sie das nicht genossen, ist auf den todten nicht gezeubet, sie sollen nicht. Quamuis hæc verba in BERGEMANA non occurrant, in SCHANNATIANA Cap. CXX. contingantur quidem, sed haud paullo aliter, nempe: Stirbt aber der, auf den dy clag da yet, sein erben gelten weder raubigs noch dewbigs gut in iener gewalt, oder sy habent dann etleich schuld daran, oder sy habent dann das vnrecht gut, und den rechten verzert, vnd das man auf sie verbet, als recht ist, so gelten sie es mit recht. Die erben gelten auch nicht wucher, noch spiel.

§. CCCIV.

Et eiusdem facta præstat. Nec dubito, quin IVRE ALAM. obligatus fuerit heres ad facta defuncti præstanda, et contractus ab eo initos adimplendos. Nam sane in eo reperi, simile IVRE SAXONICO Contra Cap. CCCXXXIV. diserte ait SPECVLATOR: Stierbt der mann, dem das gut (pacht-weiß) gelassen ist, sein erbe tritt, seine statt, vnd giebet davon, das iener gelten solt. Stierbt auch der herr, so gebe man seinen erben, das man dem herren geben solt. Et de fideiussorum heredibus idem ait Cap. CCCXXV: vnd welcher stierbt vnter den bür-

gen,

gen, die erben sollen seinen theil für ihn gelten, ohne seine lehen, da gilt niemand von, dann sein selbs schulde.

§. CCCV.

Itaque non adeo necessaria, saltim iure Saxonico, fuisse videtur inventarii confectio, partim quod ipsa iura patria non obligabant heredem ultra vires hereditatis, adeoque hic non indigebat ad beneficium hoc confectum confecto sollemniter inventario: SCHILT. Exerc. XXXVIII. §. CLI. partim quod, si lis de viribus hereditatis incideret, inventarii vice esset repertorium, priuatim confectum, et iureiurando heredis confirmatum, (*eine eidliche specification.*) Et hinc WESENBECK. Consil. XIII. n. 24. ad id tantum utilem esse ait confectionem sollemnem inventarii, ne heres postea ad iusiurandum adigatur.

An necessarium Germanis fuerit beneficium inventarii?

§. CCCVI.

Id vero singulare est, quod quemadmodum iure Romano heredes ante novem dies, a morte defuncti elapsos, conveniri non poterant, Nov. CXV. Cap. V. vt eo commodius iusta facerent mortuo: ita Germani, et maxime Saxones, iam inde ab antiquissimis temporibus *) inducias triginta dierum heredibus concesserint, intra quos nec conveniri ab villo, nec de erciscunda familia cogitare, nec quisquam in possessionem, praeterquam rerum servandarum causa, ire posset. IVS

Dierum triginta in Germania heredibus conceduntur induciae.

PROV. SAX. *Lib. I. Art. XX. XXII. XXIII.*
Lib. III. Art. XV. IVS PROV. ALAM. *Cap. CCLXII.*
 IVS LVBEC. *Lib. II. Art. XXVII.*

*) Primo enim iam CAPITVLAR. *Lib. VI. Cap. CXCVII.* edit. Baluzi legimus: *Fideles pro defunctis amicorum et parentibus eorum ieiunia et oblationes triginta dies adimplere faciant; ex quo loco non intelligimus, cur triginta illi dies concessi fuerint redibus, nimirum ut iusta haec fierent mortuis, et animabus, igne purgatorio excruciatas, heresum precibus ac ieiuniis consuleretur. Deinde iam doctissimus HORNIVS *diff. de die tricesimo* §. 1. p. 10. trahit locum insignem DITMARI *Merseb. Lib. V. p. 10.* edit. LEIBNIT. qui de caede Eccardi Marchionis agens: *Hermannus, inquit, accepta necesse perempta improvisa, cum matre celeriter occurrit, perterritum corpus ingenti iuctu suscipiens, in urbe, qua haec dicitur, sepeliri fecit. Peracto autem tricesimo die, domina Suonachilda ad Misni proficiscitur cum filiis.**

§. CCCVII.

Heres
receptis
testa-
mentis
et ex
quasi
contra-
ctu te-
netur.

Ex quo testamentorum usum aliquem habere coeperunt Germani, eaque fere tantum pro animae remedio condere solitum non dubitatum est, quin et ex quasi contractu aditionis tenerentur heredes ad ea exsolvenda, quae defuncto legare, vel alio quocumque modo relinquere placuisset. Plures, quae huc pertinent leges sunt in CAPITVLAR. *reg. Franc. veluti Lib. VII. §. CCXLVI. et sequentibus* hereditas iis, qui quid contra voluntatem defuncti fecissent, tamquam indignis eripi iubetur: nec non LVDOV. XII. *Addit. III. Capitul. §. LV.* vbi cauet Imperator, *ut si heredes iussa testatoris non impleuerint, ab episcopo*

scopo loci illius omnes res, quae his relictae sint, auferantur cum fructibus et ceteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur. *)

*) Nec dubium est, quin et iure nouo Alamannico obstricti fuerint heredes, vt voluntati testatoris starent, quum et ab intestato succedentes tenerentur quaedam pro defuncti anima ad pias causas dare, ceu patet ex *Cap. CCLXXXVII*. In Saxonia vero haec omnia cessasse, vel inde patet, quod testamenta et legata huiusmodi, ceu supra demonstrauius, plane ignorarent.

§. CCCVIII.

Ex his ergo, quae diximus, fluunt axio- Axiomata de:
adquirenda omittenda hereditate.
 mata: I. Heredes iure Germanico omnes sunt voluntarii. I. Hereditas non sollemni aditione, sed vel ipso iure, vel qualicumque facto acquiritur. III. Heres non obligatur ultra vires hereditatis, etiamsi non confecerit inuentarium. IV. Nec praestare tenetur omnia facta defuncti. V. Dierum triginta induciae hodie quoque heredibus multis locis conceduntur, intra quod tempus nec conueniri ab aliis, nec ipsi inter se familiae erciscundae iudicio agere possunt.

§. CCCIX.

Quum ergo iure Germanico heredes omnes sunt voluntarii: (§. CCCVIII. 1.) con- Conclufiones de heredi- bus voluntariis et necessa- riis.
 sequens est 1) vt quae ius Romanum de institutione serui vnici, ab obaerato domino ad euitandam ignominiam facta, praecipit, ta
 §. 1. 2. *Inst. qui et ex quib. causf. man. ea ho-* diernis

diernis moribus non quadrent. THOMAS *ad ad Inst. Lib. II. tit. XIX. p. 104.* 2) *De iure beneficium abstinendi, libens concessum, et repudiationem hereditatis, qua non nisi extranei utebantur, itemque 3) intermixtionem suorum et pro herede gestione extraneorum, vix vllum discrimen sit.* SIM. VAN LEENWEN *cons. forens. Part. I. Lib. III. Ca. I. n. XV.*

§. CCCX.

De aditione hereditatis.

Quumque hereditas in Germania non solemnni aditione, sed qualicumque facto, acquiratur: (CCCVIII. 2) facile reddendum aditionem, 4) cur in Saxonia, aliisque partibus Germaniae locis, vbi non ius Rom. iuris patrii luminibus offecit, possessio in heredem ipso iure transire telligatur. BEYER *ad tit. Dig. de adqu. vel omitt. her. §. II. l. 1.* 5) Cur hereditas non modo per procuratorem, speciali mandato instructum, recte acquiratur: COLER. *Decis. CCII. n. VI.* CARPZ. *Lib. I. Resp. XI. n. X. et Part. I. Decis. XXIX. n. 1.* FINCKELTHVS. *Obs. CX. n. VIII. IX.* vbi etiam 6) furioso illa acquiratur per aditionem curatoris: MEV. *Part. IV. Dec. CXII.* MOD. *Lib. XXIX. tit. II. §. V.* 7) Cur et non adita hereditas, modo eam repudiatam non constet, ad heredes transmittatur. COLER. *decis. LXVIII. num. XII. sequ.*

RICHT.

RICHT. *decif. LXVII. n. XXVI.* CARPZ. *Part. III. Const. XIV. Def. XV. n. III.*

*) Dissentiunt equidem HORNIVS *diff. de die tricesimo §. XXVIII.* eumque sequutus auctor *vs. mod. digest. §. VI.* Sed dum hic concedit, sollemnem hodie non requiri aditionem, sed qualemcumque declarationem sufficere: non multum a doctrina COLERI abit eius sententia.

§. CCCXI.

Quemadmodum praeterea olim non adeo De in-
 magnus erat inventarii, prout in iure Iu- uenta-
 finiano describitur, vsus, quia et sine eo rio eius-
 heres ultra vires hereditatis non tenebatur: que be-
 (§. CCCVIII, 3.) ita 8) et hodie in neficio.
 uentario scribendo raro, vel numquam po-
 tius, adhibentur ritus, a Iustiniano prae-
 scripti. THOMAS. *not. ad instit. Lib. II. tit.*
XIX. Quin, 9) quum eius vice sit desi-
 gnatio iureiurando firmata, illo raro admo-
 dum opus esse censetur, SCHILT. *Exerc.*
XXXVIII. §. CL. maxime 10) in Saxonia,
 vbi ultra vires hereditatis heredes non te-
 nentur, etiamsi nullum confecerint in-
 uentarium. MATTH. COLER. *de process.*
exsequut. Part. I. Cap. X. n. CCCXXVII.
 CARPZ. *Part. III. Const. XXXIII. Def.*
XVIII.

§. CCCXII.

De obli-
gatione
here-
dum.

Heredem iure vetere Saxonico non prae-
stitisse omnia facta defuncti, supra obser-
uauimus. (§. CCCVIII, 4.) Atque ita
et recentiore aeuo iudicatum esse, testan-
tūr doctores Saxonici. Vid. COLER. *decif.*
VIII. n. XII. Enimvero 11) in ipsa Saxo-
nia postea pleraque huius generis nouis le-
gibus abrogata mutataque sunt, auctoribus
iureconsultis, legum Romanarum, quam
iuris patrii, amantioribus, et vrgentibus ex
l. 10. C. locat., eos ignorare viam veritatis,
qui locationem conductionem, aliosque
contractus ad heredes non transire, existi-
ment. Ex quo facile patet, 12) multo mi-
nus alibi, vbi sanctior est iuris Romani
custodia, huius iuris vestigium aliquod su-
peresse.

§. CCCXIII.

De die
tricesi-
mo.

Denique tricesimum diem (*den dreyssigsten*)
et hodie in re hereditaria passim religiose ob-
seruari, singulari dissertatione *de die tricesimo*
obseruauit CASP. HORNIVS, docuitque 13) in-
tra hoc spatium, et quidem statim post
mortem eius, qui hereditatem reliquit, ob-
signandas esse res mobiles, 14) curandum
esse funus, et quidem a vidua, cum consi-
lio heredum, vel ab aliis, quibus id officium
incumbit: at 15) non prius, quam exacto hoc
trigin-

triginta dierum spatio, dimittendos famulos et ancillas, nec 16) in possessionem hereditatis eundum, et nec 17) creditoribus fas esse, heredes actione pulsare, nec 18) heredibus, aperire testamentum, vel 19) conficere inventarium, vel 20) familiam exciscere: Quamvis 21) quae poena imminet iis, qui intra tricesimum diem heredum quietem turbant, non inter omnes constat. Vid. HORN. *ibid.* §. L. *sequ.*



TIT. XI.

DE IVRE PIGNORIS.

§. CCCXIV.

Transi-
tio ad
ius pi-
gnoris.

Superest quartum ius in re, puta PIGNORIS; ubi non opus est, ea occupare, quae de constitutione pignorum dici poterant, quippe quae infra, ubi de contractu pignoris agendum fuerit, commodius locum inuenient: sed tantum de ipso pignoris iure, eiusque natura atque indole, itemque effectu, iam erit differendum.

§. CCCXV.

An pi-
gnoris
domini-
um iure
Germ.
ad here-
dem
transie-
rit?

Primo itaque omnium obseruasse, si non nulli videntur, pignoris iure parum esse indolem, vt non differat a dominio, quippe quod in creditorem omnino transferatur. Sed id saltem non in vniuersum verum esse, iam demonstrauit IOANNES SCHULTZ. Exerc. XXXIII. §. IV. Nos ex ipsis vetustis legibus, quae huc pertinent, more nostro pignoris confectabimus.

§. CCCXVI.

Negatur
de iure
Wisigo-
thico.

Primo itaque IVRE WISIGOTHICO *Lib. V. tit. VI. §. III.* is, qui pignus deposuit, dicitur *dominus*, verbis: *Vsque ad decem dies pignus saluum DOMINO suo reseruetur, aut eidem DOMINO, si in propinquo est, reportetur: Et §. IV. Medietatem, quantum pignus valere DOMINO PIGNORIS constiterit, coactus*

coactus impendat. Quis vero dixerit, dominium transtulisse debitorem, *) quem ipsum lex DOMINVM pignoris diserte adpellitat?

*) Equidem *ibid.* §. II. cauetur, vt, *si quis pignus alteri deposuerit pro aliquo debito, et illud ipse, qui deposuerit, furatus fuerit, is pro fure teneatur.* Sed quis ignorat, id furtum possessionis esse, quod et ius Romanum agnoscit, §. 10. *Inst. de obl. quae ex del. l. 12. §. 2. l. 10. §. pen. l. 70. ff. de furt.* quum tamen ex illius principiis dominium in creditorem transferri, nemo umquam dixerit?

§. CCCXVII.

Ita et IVS ALAM. *tit. LXXXVI. §. II.* non modo dominum vocat debitorem, qui creditori pignus dedit, sed et damnum a re oppignorata datum refarciri iubet. *Si autem DOMINVS voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, et illud pignus, quod datum est, ibi aliquod damnum fecerit, DOMINVS qui dedit, damnum, quod factum est, simile ei restituat.* Quis vero neget, dominum esse, qui damnum a re illa oppignorata datum refarcit?

§. CCCXVIII.

Sed et in ADDIT. LEG. FRIS. *tit. IX. §. I.* si-
milis occurrit dispositio. Censuit enim ibi
VVLEMARVS: *si quis in pignus suscepit aut
seruum, aut equum, et ille seruus aliquod da-
num ibi fecerit, hoc ad illum pertineat, CV-
IVS SERVVS EST, non ad illum, qui eum in pi-
gnus suscepit.* Itaque et Frisiis seruus vel e-
quus oppignoratus non erat creditoris, sed

debitoris, isque et damnum ferebat, quod per rem istam oppignoratam accidisset.

§. CCCXIX.

Adfirmatur de iure Saxonicō, ex quo adfertur locus primus.

In aliis gentium Germanicarum legibus rarius fit pignorum a creditore traditorum mentio: adeoque res omnis redit ad rvs PROV. SAXONICVM, quod aliquoties inuenit, dominium rei oppignoratae transferri in creditorem. Nam *Lib. II. Artic. XXIV.* ait SPECVLATOR. *Ein ieglich man mag seines gutes wol mit recht ANIG oder LOS WERDEN, ob er es verkaufft, VERSETZT, oder außfisset, oder verihret es gegen seinen lehn-herrn, oder ob es ihm vertheilet wird zu landrecht, oder zu welcher weisse ers abstehet, un-bezwungen.*

§. CCCXX.

Secundus.

Eiusdem fere sensus est locus alter IVR. PROV. SAX. *Lib. II. Art. LX.* *Welcher man einem andern leihet sein pferd, oder kleider, oder andere fahrende habe, oder VERSETZT, oder zu welcher weiß die aus seinen geweren mit seinem willen kommt, verkaufft sie dann der, der sie in geweren hat, oder versetzt er sie furbas, oder verspielt er sie, oder wird ihm gestohlen, oder abgeraubet, jener, der sie diesem verliehen, oder versetzt hat, der mag daran keine forderung haben, sondern allein wieder den, dem er sie liehe oder versetzt.*

§. CCCXXI.

§. CCCXXI.

Denique non aliter philosophatur SPECV- Tertius.
LATOR *Lib. III. Art. V.* vbi ait: *Was man aber dem manne leihet oder EINSETZET, das soll er unverderbt wiederbringen, oder soll es gelten nach seinen wülden. Stierbt aber ein pferd, oder ein vieh in der VERSATZUNG, (ohni- nes schuld, der das vnter ihm hatte,) beweiset er das vnd thar auch dazu schweren, er gilt es ihm nicht, er hat aber sein geld verlohren, da es ihm vor versatzt stund, ihr gelübde stün- de dann anders.* Quum ergo ille, qui res suas oppignorat, eas aequae videatur alienasse, ac si eadem vendidisset, (§. CCCXIX.) praetereaue debitori non competat ius eas res vindicandi a tertio, (§. CCCXX.) denique, vt hic ipse locus ostendit, casum ferat, debitum amittens pro pignore perditio: consequens sane est, vt dominium in creditorem translatum fuerit ex huius iuris principiiis. *)

*) Aduersus haec varia comminiscuntur iureconfulti. Alique enim haec omnia tantum de equis et pecudibus oppignoratis intelligenda esse existimant, veluri ZOBEL. *Diff. Iur. Ciu. et Sax. Part. II. diff. XXXII. n. VI.* BERLICH. *Part. II. Concl. XXXIII. n. IV.* STRYK. *Vf. mod. Lib. XX. tit. I. §. V.* Sed his primus textus ex *Lib. II. tit. XXIV.* omnino obstat, quippe qui loquitur non de pecudibus et rebus mobilibus, sed de illis, *welche iemand auf- laffet.* Quae resignatio sane fieri non solet, si tradendae res mobiles, sed si fundi traduntur. Nec satisfacit SCHILTERI interpretatio, qui *Exerc. XXV. §. VI.* haec eo tantum casu obtinuisse existimat, si pacto adiecto aliquis in alterum trans-

tulisset dominium, idque colligit ex verbis: *oder zu welcher weiß die aus seinen geweren mit seinem willen kommt.* Sed praeterquam, quod haec verba pactum adiectum vix inuoluunt: ex loco postremo potius constat, secundum regulam iuris Saxonici in creditorem transiisse dominium, exceptionem autem fecisse pacta adiecta. Quid enim aliud sibi volunt verba: *Ihr gelübde stünde dann anders?*

§. CCCXXII.

Quid
ius Sue-
uicum
ea de re
sanxerit.

IVRE SVEVICO non adeo manifestum est, pignoris dominium transiisse in creditorem. Nam *Cap. CCXLVII.* potius casum ferre dicitur debitor: *Der ain pfant versetzt umb gült, wird es verstolen, er muß es gelten.* Et *Cap. CCXLIII.* damnum culpa datum praestare iubetur creditor; quae omnia argumento sunt luculentissimo, dominium penes debitorem mansisse. In eo tamen speculatori nostro cum REPKOVIO omnia conveniunt, quod, pignore casu pereunte, creditor amittat ius crediti, nisi fideiussores habeat, qui ipsi solvant: *Versetzt ain mann dem andern ain pfärdt umb pfenning, und stirbt das in seiner gewalt, an sein schuld, das ist der gemain tod, er soll es nicht gelten, er verlewset aber sein pfenning, die er darauf geliben hat. Hat aber er pürgen darauf genommen, die sullent im mit recht sein pfenning gelten. *)*

*) Eodem loco omnis pignoris usus adimitur creditori, et, si e. g. equo ille vel ad equitandum vel ad vehendum, colendumue agrum, usus sit, casum ferre iubetur, et, si damnum non passus sit equus, sex numos pro singulis milliaribus, sin de-
terior

terior factus sit labore, damnum duplo refarcire iubetur. Additur tamen exceptio: *dann mit seinem willen, vnd mit seinem vrlaub*, vt pateat, apud Alamannos quoque accedere potuisse pactum antichreticum.

§. CCCXXIII.

Attamen non nouum hoc fuisse Saxonum Quid ex inuentum, sed ius antiquum, plerisque Germanis commune, aliis argumentis probari potest, nempe ex formulis et diplomatibus antiquis, quibus plerumque pignus ita constituitur, vt creditor, donec pecuniam creditam recipiat, dominio utili gaudeat, fructusque omnes perinde, ac dominus, percipiat. Luculenter hoc iam probauit THOMASIVS EX MARCVLFI *adpend. Cap. L. FORM. SIRMOND. Cap. XIII.* et charta Raimundi Comitum Paliarenfis apud BALVZIVM *Tom. II. capitul. pag. 1551.* Nos iam addimus ex SCHANNATI *cod. probat. pag. 54.* diploma Henrici Imp. quo ea lege praedium Rodensleibam oppignorat Episcopo Wormatiensi *pro XX. libris puri auri, et CC. marcis argenti, vt praedium illud libere et potestatiue in PROPRIETATEM haberet,* donec pecunia illa fuerit reddita. Similes chartas Ludouici Bauari, Caroli IV. aliorumque dederunt alii, et in his IO. STRAVCH. *de oppignor. Imp. Cap. X. §. XXXIII.*

§. CCCXXIV.

Itaque vere dici potest, I. inter venditionem cum pacto de retrouendendo et pignus Axiomata. vix quidquam apud Germanos fuisse discriminis: ZAS. *consil. XII. n. XI.* WESENBECK. *Conf.*

II. n. XCI. ARVM. *Lib. II. Decif. V. n. LXXIV.*
 BESOLD, *thesaur. pract. voce pfand-schilling*
pag. 737. adeoque II. ea quæ de pignore et
 pacto antichreseos iure Romano prodita sunt,
 moribus Germanorum vix quadrare. THO-
 MAS. *de vsu pract. dist. inter emt. vendit. cum*
pacto de retrouend. et contract. pignor.

§. CCCXXV.

Conclu-
 siones
 de iure
 credito-
 ris in
 pignore.

Ex primo itaque axiomate patet, 1) *cur*
 Germani eum, qui praedium aliquod vel ter-
 ritorium iure pignoris tenet, non posses-
 sorem solum vocare soleant, (*den pfand-in-*
haber) verum etiam dominum pignoris, (*den*
pfand-herrn.) BESOLD. *thesaur. pract. ibid.*
 2) Cur saepe feuda ita oppignorata sint, vt
 creditor a domino acciperet inuestituram,
 adeoque gauderet dominio vtili, id quod
 vocabant *ein pfand-lehn, geliebene satzung,*
lehens-satzung: quin 3) creditor aliquando
 praedium sibi oppignoratum alicui in feudum
 offerret; cuius rei insigne exemplum ex vete-
 re charta *) extulit IO. SCHILTER. *in comm. ad*
ius feud. Alam. pag. 378.

*) In ea Henricus iunior, dynasta Ehrenbergensis, Ru-
 perto Palatino offert in feudum *den turn vnd das*
Backbus, das darane stet, vnd des Egils bus, vnd
den alten stal der hinter des Egils bus lieget, das
ihm herr Henrich der alte syn oheim H. zu Eb-
renberg versetzt hatte, vnd ihm pfande stund. Ho-
 rum ergo praediorum dominum directum agni-
 turum se Rupertum Palatinum, promittit Henri-
 cus de Ehrenberg, *er wolle es zu leben habin vnd*
halten von syme herrn den vorgeschrieben fursten,
als syn ander gut, das er von im zu leben habe,
 als

als lauge, bis der vorgeannte Henrich der alte syn
 oheim oder sin erbin dasselbe gut gelosent. Offerre
 autem alteri dominium directum non posse quem-
 quam, nisi qui ipse dominium plenum habeat, tam
 expediti iuris est, vt probatione non indigeat. HERT.
 de feud. oblat. Part. II. §. XII. sequ..

§. CCCXXVI.

Ex eodem axioma reddideris rationem, De effe-
 4) cur creditores in territorio oppignorato ^{stu pi-}
 exercent pleraque regalia, adeoque 5) et ^{gnoris.}
 iura fisci, CONSIL. ARG. Vol. I. Conf. I. quæst. 1.
 non tamen 6) ius reformandi: BESOLD. *ibid.*
pag. 737. LIMN. *addit. ad ius publ. Tom. II. ad*
Lib. I. Cap. IX. pag. 132. 7) Cur aliquando
 et libera dispositio relicta sit creditori, possi-
 denti pignus, donec illud ab oppignorante,
 eiusue heredibus relueretur. *)

*) Protulit hanc in rem HERT. de superiorit. territor.
 §. LXV. chartam Ludouici Bauari, Imperatoris,
 qua anno MCCCXXXVI. Guilielmo, Comiti Iulia-
 censi, opignorationem quorundam municipiorum
 firmavit, his verbis: *Volentes, vt tu tuique poste-
 ri et heredes pignora eadem sine impedimento tene-
 re debeatis et pacifice possidere, ac de ipsis et
 eorum fructibus et iuribus, sicut de alijs vestris bo-
 nis et rebus ordinare tam diu, quousque per nos et
 successores nostros fuerint absoluta: hoc duntaxat
 excepto, quod ea a nobis et imperio quocumque mo-
 da alienare in nullo vmquam tempore valeatis.* Ex-
 stat hoc diploma integrum apud 10. 15. PONTAN.
bist. Gelr. Lib. VII. p. 223.

§. CCCXXVII.

Deinde ex altero axioma intelliges, 8) De iure
 cur creditor et sine speciali pacto antichretico ^{credito-}
 in Germania omnes fructus ex re oppigno- ^{ris fru-}
 rata ^{ctus per-}
 cipien-
 di.

rata ceperit, et 9) ad reddendas rationes non fuerit obstrictus, quantumcumque eorum aestimatio vsurarum modum excederet, idque nus 10) et hodie vsu habet in reuentionibus castrorum et praediorum, antiquitus oppignoratorum, quamuis 11) vulgo Icti, iuris Romani principiis adfueti, pignus illud iuris Germanici cum venditione cum pacto de retrouendendo confundere soleant. *) Vid. BOEHMER. *de diuerso pign. et hypoth. iure* Cap. II. §. VI.

*) Immo 10. STRAVCH. *de oppignor. imperii* Cap. II. et XII. illam naturam pignoris Germanici explicare non veretur ex pacto fiduciae, Romanis sollempni, de quo nuper cum adparatu binis dissertationibus egit V. C. FRANC. CAR. CONRADI. Quin existimat STRAVCHIVS, vna cum codice Theodosiano hoc pactum innotescere coepisse gentibus Germanicis. Sed hanc sententiam iam profligauit THOMASIVS dissertatione paullo ante laudata, ex qua, quae huc pertinent nouae dissertationis Strauchianae editioni p. 49. subiecit LAVR. ANDR. HAMBERGERVS. *Ien. MDCCXV.*



TIT. XII.

DE OBLIGATIONIBVS,
ET PRIMO QUIDEM DE PACTIS
VEL CONVENTIONIBVS
GENERATIM.

§. CCCXXVIII.

HActenus de iuribus in re, quantum Obliga-
fieri potuit, a nobis actum est. Pro- tiones
grediendum itaque ad IUS AD REM, quatu-
quod ex OBLIGATIONE, tamquam ex fonte, plices
promanat. Hic nemo, credo, sibi perfuade- apud
bit, distinctionem illam inter obligationes ME- Roma-
nos?
RE NATVRALES, MERE CIVILES et MIXTAS, quae
in iure ciuili Romanorum vtramque paginam
faciebat, etiam Germanis placuisse, quum
hi caussas illius differentiae procul habuerint,
et praetorem, qui ciuilibus quibusdam ob-
ligationibus valorem atque effectum suum
detraheret, numquam viderint in republica
sua. *)

*) *Ciuiles* obligationes erant Romanis, quae quidem ex
iure ciuili stricto oriebantur, sed ita erant com-
paratae, vt summum illud ius summa iniuria vide-
reretur. Hinc edictis suis his obligationibus vel-
uti neruum incidebant praetores, qui sibi id
negotii credebant datum, vt *ius ciuile corrige-
rent propter utilitatem publicam. l. 7. §. 1. ff. de iustit.
et iur.* Quod ad *naturales* attinet obligationes,
iis ideo non semper adfistebant leges ciuiles, quia
certam negotiis formam dederant: quam qui ne-
glexissent, eos perhuforie egisse censebant. EM.
MERILL. *Obs. Lib. VII. Cap. XXXIX.* Tam subti-
liter vero non philosophabantur Germani, qui
quam-

quamvis variis negotiis certam formam praescripserint, non tamen ideo reiiciebant obligationes naturales; ceu paullo post pactorum exemplo demonstrabimus.

§. CCCXXIX.

Quotuplices apud Germanos?

Contra, eosdem omnino agnouisse differentiam obligationum ex CONVENTIONE et DELICTO ortarum, nemo dubitauerit. CONVENTIONES iis vel PRINCIPALES erant, vel ACCESSORIAE: principales vel BENEFICAE, vel ONEROSAE, onerosae denique vel de RE CERTA vel de LVRO INCERTO inibantur. Ita enim ex usu iuris Germanici optime diuidi posse obligationes, recte obseruauit THOMASIVS *not. ad Instit. pag. 211*. Hic primum de CONVENTIONIBVS erit dicendi locus.

§. CCCXXX.

An Germani inter pacta nuda et non nuda distinxerint?

Romanos porro permagnum statuisse discrimen inter PACTA et CONTRACTVS, illaque in NVDA et NON NVDA, haec iterum in LEGITIMA, PRAETORIA et ADIECTA dispescere consueuissent, etiam dupondii sciunt. Ast Germani hoc discrimen plane ignorabant, pactisque omnibus, modo deliberato animo essent inita, non minorem obligandi vim attribuebant, quam Romani contractibus suis, quantacumque sollemnitate perfectis.

§. CCCXXXI.

Eorum fides in pactis seruandis.

Miratur hanc Germanorum fidem, quippe Romae inauditam, TACITVS *de morib. Germ. Cap. XXIV*. vbi, quum retulisset, Germanos, alicae studiosissimos, deficientibus omnibus,

mnibus, extremo ac nouissimo iactu de libertate et de corpore contendere, statim subiicit: *Victus voluntariam seruitutem adit. Quamuis iunior, quamuis robustior, adligari se ac vinciri patitur. Ea est in re praua *) peruicacia: ipsi FIDEM vocant.* Adeo enim turpe videbatur Germanis, qui, *nullos mortalium armis aut fide ante se esse*, gloriabantur, teste TACITO *Annal. Lib. XIII. Cap. LIV.* pacti qualiscumque religionem violare, vt cum perpetua infamia coniunctam huiusmodi perfidiam existimarent. (*Lib. I. §. CCCXCVII.*)

*) Rem prauam vocat aleam ex principiis iuris Romani. *l. r. ff. de aleator.* Vnde et HORATIO *Carm. Lib. III. od. XXIV. v. 59.* hic ludus vocatur *vetita legibus alea.* vid. PETR. PANTOIA DE AYALA. *Comment. ad tit. D. et C. de aleat. Tom. IV. Thesaur. Iur.* At omnes gentes, orientales et septentrionales, maximi faciebant aleam, tamquam ad exercendum ingenium fallendumque tempus in primis compararam. Vid. v. C. IVST. CHRIST. DIETHM. *comment. ad Tacitum. de mor. Germ. p. 143. sequ.*

§. CCCXXXII.

Quamuis vero illam in seruandis promissis An a religionem perpetua cum Romanis consue-
tudine exuisse paullatim videantur eae saltim ^{prisca} illa fide
gentes, quae sibi in Romanorum prouinciis ^{paulla-} tim de-
nouas sedes quaesuerant, *) ac proinde ob ^{sciue-} riant?
perfidiam et in promissis inconstantiam male
audiant Sueui, qui in Hispaniam migrarant,
IDAC. *chron. Olymp. CCCXI.* Wisigóthi,
SALVIAN. *de gubern. Dei Lib. VII.* ac denique
Franci: SALVIAN. *ibid. Lib. IV. et Lib. VII.* PRO-
COP.

COP. de bello Goth. Lib. II. et EVMEN. panegy. Cap. XI. omnium tamen gentium Germanicarum leges fidem in pactis vel maxime sanctam esse iubent atque inuiolabilem, quamuis ea vel in scripturam referri, vel alio sollemni ritu firmari vellent.

*) Equidem haec PROCOPII, SALVIANI, IDACII EVMENII testimonia odio in Germanos tribuit HERT. *notit. vet. Germ. pop. Part. III. Cap. I. §. V. p. 170. et notit. regn. Franc. Cap. III. §. XXIV. p. 302.* Sed fieri potuit, vt toties a Romanis decepti Germani hostes demum suis artibus adgredi non dubitarint. Fateor tamen, HERTII sententiam non parum probabilem fieri: si consideremus, ipsos Imperatores Romanos ad saeculum tertium vsque nullis gentibus corporis sui custodiam libentius credidisse, quam Germanis. Exempla Caracallae, et Maximi ac Balbini, Caesarum, extant apud HERODIAN. *Histor. Lib. IV. Cap. VII. et Lib. VIII. Cap. VII. et IVL. CAPITOLIN. Maxim. et Balbin. Cap. XIII.*

§. CCCXXXIII.

Leges
Wisigothorum
de pactis.

IVRE WISIGOTHICO omnia pacta valebant, quae in scripturam fuerant redacta, dummodo in iis expressus esset annus et dies, signaque paciscentium, vel testium, accessissent: *Lib. II. Tit. V. §. I. II. III.* Sane ab eiusmodi pacto ne filio quidem vel heredi resilire fas erat, quippe poenam scripturae insertam (§. CCXCIX. *) soluturo, si contra defuncti promissum quidquam agere ausus esset. *ibid. §. V. et VIII.* Nec tamen rata erant pacta feruorum, sine iussu dominorum inita, *ibid. §. VI.* itemque minorum, *ibid. §. XI.* vi et metu coactorum *ibid. §. IX.* multoque minus

nus de rebus turpibus vlla pactio rata habebatur. *ibid.* §. VII.

§. CCCXXXIV.

Similia fere legimus in LEGE BAIUVAR. tit. Item-
 XV. Cap. XIII: *Pacta vel placita, quae per que Bo-*
scripturam quamcumque facta sunt, vel per ioario-
testes denominatos tres, vel amplius, dummo-
do in his dies et annus sit euidenter expressus,
immutare nulla ratione permittimus. Itaque
 in eo vtrisque conuenit, quod pacta quaeli-
 bet valeant, modo 1) in scripturam redacta
 sint, 2) expresso simul anno et die, quod et
 LEX LANGOB. Lib. III tit. XXXVIII. §. vn. in
 omnibus scripturis requirit, 3) et testes sal-
 tim tres adhibuerint a pacifcentes.

§. CCCXXXV.

Solebant et aliis ritibus vti, veluti oblata ^{Ritus}
 manu, vel digito erecto, itemque stipulis e paci-
 manu eiectis. CAPITVL. Lib. VI. §. ^{scen-}
 CCLXXXV. *edit. Lindenbr. Prostemur*
omnes, stipulas dextris in manibus tenentes,
eisque propriis e manibus eiicientes, coram Deo
et angelis eius, nec talia facere, nec facere vo-
lentibus consentire. ADELBOLD. vit. Henrici S.
 Cap. XI *Manus singuli per ordinem reddunt,*
redditis manibus fidem suam per sacramenta
promittunt. *) LINDENBROG. priuil. Hamb.
 XXXIII. *Ab ipso Gerardo per DIGITORVM*
 EXTENSIONEM *promissionem confirmationis acce-*
 pit. Et quibusdam interiectis: *Mater ex LE-*
 GE SAKONVM *donationem eius ore laudauit, et*

DIGITO *confirmavit*. Item insequente *privilegio XXXIV. G. confirmationem DIGITO, ut mos est Saxonibus, fecit.*

*) Manus dextra semper fidei symbolum visum est gentibus fere omnibus, ceu per inductionem, quam vocant, ostendit v. C. EV. OTTO *iurispr. symb. Exerc. II. Cap. X. p. 186.* vbi inter alia observat, apud Francos *dextram* pro foederibus posuisse HINCMVRVM *de ord. palat. Cap. XXX.* dextras datas atque acceptas memorari apud GVILTYR. *Lib. XIX. Cap. XVI.* et in ANNAL. FVLDF. *ad ann. DCCLXIX.* in praestandis homagiis subditos et vasallos dominis data dextra fidem promississe: REGINO *ad ann. DCCCLXXXIV. et DCCCLXXXIX.* quin ipsa promissa inde saepe vocari *manusfirmationes: CAPITVL. Lib. VI. Cap. CCXXVIII. et fidem, per manum datam,* in diplomate Ludouici Crassi A. MCXXXVIII. Add. HERING. *de fideiuss. cap. XI. n. CLXIV. sequ.*

§. CCCXXXVI.

Hi postea non nisi fuerint necessarii. At paullatim ipsis Germanis quodammodo forduiit anxia illa rituum religio, *) prae-terquam quod plebs nihil temere sine dextrae oblatione promitteret, et ipsa prudentia suaderet, ut nullum temere pactum de re maioris momenti iniretur, cuius leges litteris non consignarent, in perpetuam rei memoriam. Attamen, et omissa hac cautione, obligabant promissa quaeuis, animo deliberato facta, quamuis tunc, si apud acta quis promississet, probatio esset facilior, sin privatum, promissor, praestito iureiurando, liberaretur.

*) Attamen

*) Attamen reliquiae quaedam etiam stipularum adhibitarum superfunt in IVRE PROV. HENNEB. P. II. tit. X. Art. I. §. III. *Alle verzigt, vermächtniß vnd vbergab, an vnserm land-gericht mit mund vnd halm vbergeben. Vid. SCHILT. Exerc. VIII. §. V. p. 255.*

§. CCCXXXVII.

Pertinet huc locus IVRIS PROV. SAX. Lib. I. Dispositio iuris
 Art. VII. *Wer etwas borget, oder GELOBET, der soll es gelten, vnd was er thut, das soll er stett halten. Will er es aber läugnen darnach, er erwehret sich des mit seinem eyde, wo er es vor gericht nicht gethan hat. Was er aber vor gericht thut, da soll der mann nicht vmb schweren. Denn das vberzeuget ihn der sachtwaltige wol mit zweyen andern mannen, vnd der richter soll der dritte seyn. Quae iisdem paene verbis repetuntur in SPECVLO SVEV. Cap. CCLIX. Et eo quidem pertinere veteres iuris Germanici paroemias: Ein wort, ein wort, ein mann, ein mann, itemque: Zusagen macht schuld, obseruat HERT. paroem. iur. Lib. I. paroem. VIII.*

§. CCCXXXVIII.

Species pactorum est TRANSACTIO, quippe qua res dubia vtriusque litigantis consensu, dato aliquo vel retento, vel promisso, deciditur. Eadem ergo omnia hic erant ac in reliquis pactis, nisi quod de nullo crimine, cui per leges poena, vel capitalis, vel corpori adflictiua imminebat, transigere quemquam salua existimatione *) pateretur ius Germanicum. Hinc infames habentur, *die diberey*

vnd raub sünnen, itemque, die ihren leib, oder haut vnd haar ledigen mit gelde. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. XXXVII. et LXV. Lib. II. Art. XIII.* IVS SVEV. *Cap. CCCCX.*

*) Et hoc ipso differt ius Germanicum a Romano, non eo, quod hoc iure licita fuerit de omni crimine transactio, praeterquam de adulterio, ceu sibi persuader ZOBEL. *in diff. iur. civ. et Sax. P. IV. diff. XXXIV. p. m. 697.* Licita erat iure Romano de delictis priuatis transactio, sed transigens infamia notabatur, tamquam delictum famosum haut obscure confessus. At de crimine publico illicita erat transactio, nec tamen qui transegerat de capitali, pro confesso et infami habebatur, quod ignoscendum videretur illi, qui sanguinem suum qualiterqualiter redemisset: vti rem omnem accuratissime exposuit GER. NOODT *in Dioclet. et Maximiano Augg. Cap. V. sequ.* At Germani nullum hic discrimen statuebant inter delicta priuata et publica, sed omnes, qui super delicto famoso transegerant, notabant infamia, si ipsa poena, quam redemerant, cum infamia esset coniuncta.

§. CCCXXXIX.

An captiuorum promissa fuerint obligatoria?

Erant porro et iure Germanico, qui nec pacisci nec transigere possent. Id patet exemplo captiuu, qui non tenebatur ex promisso suo, quod in vinculis fecerat, praeterquam si dimissus promississet, se rediturum in carcerem, vel, si λύτρω oblato, liberationem obtinuisset. Hoc enim praestare tenebatur, modo iusto bello captus esset. Sin iniuste captus esset, promissum omne, tanquam vi metuque extortum, euanidum videbatur. IVS PROV. SAX. *Lib. III. Cap. XLI.* SPEC. SVEV. *Cap. CCCXLIII. *)*

*) Rem

- *) Rem paullo prolixius exponit SPECVLATOR SVEVVS, quam SAXO. Hic tantum facta et promissa captivi intalida pronunciat; ille et iusiurandum eiusdem non magis ratum esse statuit. Hic generatim de promissis captiuorum loquitur: ille regulam restringit ad eos, qui iniuste capti sint. Hic vnumquemque iniuria captum ipso iure ab obligatione liberari existimat, modo iuret, se coactum promississe, (*mag ers vollbringen auf den beiligen, daß er ihn vntreulich dazu gezwungen hab:*) ille praeterea exigit, vt iureiurando soluatur a iudice. Merentur capita ista tota inter se conferri, simulque consuli perillustri DANCKELMANNI *dissertatio de pactis et mandatis Principis captiui.*

§. CCCXL.

Itaque pacta apud Germanos semper a-Effectus
ctionem non minus, quam exceptionem, ^{pacto-}
produxerunt, nisi vel personae paciscentes ^{rum in}
tales essent, vt sese obligare non possent, ^{Germa-}
nia.
vel ex ipso negotio adpareret, eos non ex
animi sententia, sed ioco, vel, vt TRAIANVS
l. 24. ff. de milit. testam. loquitur, vt plerum-
que sermonibus fieri solet, aliquid promi-
sisse. Eo enim pertinet notissima iuris paroe-
mia: *Ehrenworte binden nicht.* Qua ipsa ni-
hil aliud exprimere voluerunt maiores,
quam quod monet iureconsultus *l. 19. §. 3.*
ff. de aedil. edict. *Ea solum promissa admit-*
tenda sunt, quaecumque sic dicuntur, vt prae-
stentur, non vt iactentur. Vid. HERT. *paroem.*
iur. Lib. I. par. X. pag. 411.

§. CCCXLI.

Axioma de pactis et transactionibus.

Ex his ergo fluunt axiomata: I. quia Germani in doctrina de pactis semper iuris naturalis ac gentium simplicitatem ob oculos habuerint: ea omnia, quae ex illis principiis adoptarunt Icti Romani, etiam in Germania non posse non recepta esse: THOMAS. *not. ad tit. D. de pact. pag. 61.* II. quaecumque vero iurisprudentiae Romanae circa hanc doctrinam propria fuerunt, ea et hodie apud nos non magis usu valere, quam olim, quum iuris Romani subtilitates plane exfularent e Germania. III. Idemque etiam de transactione esse obseruandum. THOMAS. *ibid. pag. 65.*

§. CCCXLII.

In Germania etiam non paciscuntur im- puberes, minores, filiifam.

Quum itaque, quae iureconsulti ex principiis iuris naturae ac gentium adoptarunt, etiam in Germania non possint non recepta esse: (§. CCCXLI, 1.) consequens est, vt et apud nos pacisci possint, qui possunt consentire, et de rebus suis disponere, non autem 2) impuberes, vel minores sine tutorum auctoritate vel consensu, nec 3) filiifamilias sine parentum iussu, quamuis 4) in Germania saepe contingat, vt inter ipsos parentes et liberos, nulla licet praeuia emancipatione, *) pacta ineantur, dummodo minorenibus constituantur tutores, daturi operam, ne quid liberi detrimenti capiant. Vid. BEYER. *spec. iur. Germ. Lib. I. Cap. XXVI. §. XLI. sequ.*

*) Equi-

Equidem, teste eodem BEYERO *ibid.* §. XLVII. quidam obiiciunt, liberos eo ipso, dum pater cum iis paciscatur, iisue donet, tacite emancipari: sed falso id adfirmari ipse inde probat, quod pater, facta huiusmodi donatione, vsumfructum in bonis liberorum aduentitiis nihilominus retineat. Nos addimus, iam inde ab antiquissimis vsque temporibus parentes in Germania, si liberos, oblara bonorum parte, separassent, adhuc gauisos esse tutela fructuaria, id est, ipsa potestate patria iuris Germanici. (*Lib. I. §. CLXVI.*) IVS SAX. PROV. *Lib. I. Art. XI.*

§. CCCXLIII.

Sic recte quoque dixeris, 5) ne hodie qui- Nec va-
dem valere pacta, ex quibus promissor alte- lent pa-
ri ius competere noluit, LEYSER. *medit. Spec.* ^{eta im-}
XL. §. II. et III. nec 6) quibus nihil certi ^{perfecta.}
definitur. *l. 17. C. mand.* LEYSER. *ibid.* §. I.
7) Interpretationem pactorum et nostris tem-
poribus fieri oportere aduersus eum, qui
clarius loqui debuisset: *l. 99. pr. ff. de verb.*
oblig. et quae sunt huius generis conclusio-
nes aliae. Neque tamen 8) inde consequi
arbitramur, vt tituli digestorum de pactis
insignem esse vsum in foris Germaniae, con-
tendamus, quum hae sint conclusiones iuris
naturae et gentium, quas Germani procul
dubio probarunt, antequam vel fama iuris
Romani ad eos peruenisset.

§. CCCXLIV.

Valent
tamen
et nuda,
et non
nuda,
nec in
contra-
ctibus
innomi-
natis lo-
cus est
poeni-
tentiae.

Quam contra, quae propria Romanis fue-
runt, Germanis in hac doctrina se num-
quam probarint: (§. CCXLI, 2.) facile pa-
tet, 9) hodie ex omni pacto deliberato dari
et actionem, et exceptionem. STRYK. *Uf-*
modern. Lib. II. tit. XIV §. III. 10) Nihil
interesse inter pacta nuda, et non nuda,
itemque 11) inter legitima, praetoria, et ad-
iecta contractibus: 12) quin et, quod ad
haec attinet, parum referre, strictine iuris,
an bonae fidei contractibus; item in conti-
nenti, an ex interuallo, accesserint. STRYK.
ibid. §. IV. 13) Eamdem, quod ad effectum
naturam esse pactorum et contractuum, item-
que 14) contractuum nominatorum et inno-
minatorum: maxime quum 15) praecipua
quae inter hos illosque contractus olim in-
tercessit, differentia, nempe quod in illis sit
locus poenitentiae, *l. 1. §. 4. ff. de rer. perm.*
l. 4. C. eod. l. 5. ff. de condict. caus. dat. in his
non fit, *l. 5. C. de obl. et act.* hodie omnino
cesset. *) STRYK. *ibid. §. V.*

*) Dissentiunt equidem HAHN. *ad Wesenb. tit. praefat.*
verb. n. II. et CARPZ. *Part. II. Const. XXXIII. Def.*
XXIII. Sed quum iure Romano, qui dederat,
alterum ex contractu reali; is vero, qui ex sua
parte contractum nondum adimpleuerat, alterum
ex pacto tantum nudo obligatum haberet; ~~recte~~
haec vera ac genuina causa esset, quamobrem
alter non absolve teneretur: recte collegit STRYK.
ibid. §. V. et de cautel. contr. Sect. III. Cap. V. §. IV.
sequ. quia stipulatio, contractui innominato addi-
ta, olim exclusit poenitentiam, *l. 3. C. de rer.*
perm. omnino hodie eamdem et pacti esse oportere

tere efficientiam, quippe quam apud nos vim stipulationis habere, ipse fateatur CARPZOV. *Part. II. Conf. XIX. Defin. XVII.*

§. CCCXLV.

Idem laudatissimus STRYKIVS *vs. mod. ibid.* Contractus omnes esse consensuales et a pactis non differre. §. VII. adfirmare non dubitat, 16) hodie etiam differentiam non modo inter pacta et contractus, verum etiam 17) inter contractus reales, verbales, et consensuales; (litteralem enim singularem et secretam a reliquis contractibus naturam habere, sollicitè monet,) nihil esse differentiae: sed 18) omnes contractus esse consensuales, quamvis 19) reales omnino solo consensu non perficiantur. *)

*) Haec bene monet STRYKIVS. Quamvis enim recte contendat, pactum etiam de mutuando commodandoue apud Germanos producere actionem THOMAS. *not. ad pand. L. II. tit. XIV*: non tamen illae actiones sunt ex mutuo vel commodato, quale nondum est contractum, sed ex pacto vel promisso. Praeterea non semper competit actio ex pacto de contractu reali in posterum ineundo, sed tantum, si actor, sua interesse, ostendat, contractum illum perfici. Quis enim actionem natam esse dixerit Sempronio, apud quem Titius depositurum se gemmas, vel cui se hic negotium mandaturum, promiserit? Recte ergo STRYKIVS *ibid. p. 276*: *Vbique suppono, interesse alterius necessarium verti in implemento pacti, alioquin, cessante interesse, poenitentiae locus est in omni contractu, quum exceptio, tua non interest, omnem agentem repellat.*

§. CCCXLVI.

De pa-
ctis libe-
ratoriis
et ob-
ligatio-
nibus
facti.

Sic et ex eadem pactorum natura pronu-
aluo fluit confectarium, 20) pacta liberato-
ria, vel de non petendo, iure Germanico non
ope exceptionis tollere obligationes, quem-
admodum iure Romano: §. 3. *Inst. de excep-
t.* l. 27. §. 2. *ff. de pact.* sed ipso iure. STRYKII
ibid. §. IX. 21) Non convenire isti pacto-
rum in Germania indoli sententiam eiusdem
viri doctissimi, *) existimantis, (*ibid.* §. X.)
eum qui factum promisit, iure etiam Germa-
nico liberari, offerendo id, quod interest,
adeoque 22) veriolem esse sententiam eorum,
qui huius regulae apud nos vllum vsum esse
negant, veluti, quos ipse STRYKIVS laudat
GROENEWEGII *de legib. abrag. ad l. 13. §. 1. de
re iud.* CHRISTINAEI *Vol. I. Dec. CCCXXIII.
n. VIII.* SCHILTERI *Exerc. VIII. thes. II.*

*) Ratio STRYKII est, quod etiamsi iure Romano stipu-
latio accessisset promissioni facti, promittens ta-
men ad praestandum abscessisse factum non fuerit
obstrictus: l. 13. §. 1. *ff. de re iud. l. 114. ff. de
verb. obl.* non autem maior in Germania efficacia
tribuenda sit pacto, quam apud Romanos stipu-
lationi. Sed praeterquam, quod non absurdum
sit, gentem aliquam pacto nudo plus efficaciae
tribuere, quam Romanos stipulationibus: iam ab
aliis demonstratum est, hanc regulam ne in iure
quidem Romano reperire praesidium. CUIAC. *ad l.
71. ff. de verb. obl.* CORAS. *miscell. II. 3.* HUBER.
prael. ad tit. Inst. de verb. obl. §. V. THOMAS. *diff.
sing. an qui facti. promittit, liberetur, praestando
id quod interest?*

§. CCCXLVII.

Ex quibus etiam 23) quaestio decidi potest, an quis iure Germanico alteri, etiam cuius iuri non sit subiectus, stipulari possit, quamvis eius speciatim non intersit? Recte id adfirmant MEVIUS, COTHMANNUS, WISENBACHIVS, CHRISTINAEVS, GROENEWEGEN, et, qui hos omnes laudat, STRYKIVS *ibid.* §. XII. Neque enim vlla ratio est, cur non alterius negotium et stipulando gerere possim, et cur promittens non teneatur ex stipulatione mea, quam alter, cui stipulatus sim, ratam habuit. 24) Neminem vero alterum promissione sua obstringere posse, tam est ipsi rectae rationi consentaneum, vt, ius hoc in Germania etiam vigere, nemo sanus sit negaturus. *)

An liceat alteri stipulari?

*) Quod tamen omnino his limitibus circumscribendum est, vt valeat promissum pro alio factum, si illi vel factum proprium implicetur, veluti si quis fidem dederit, se curaturum, omnemque adhibiturum operam, vt alter quid faciat praesterue, vel si indemnitate poenamue promiserit, quale fuit promissum Mauriti, Saxonis, et Ioachimi, Brandenburgici, Electorum, Philippum, Hassiae Landgrauum a Carolo V. non in custodia habitum iri, sub poena promittentium. Quod promissum deinde satis amare exegerunt filii Landgrauum, quamuis promittentes pacti religione soluisset Carolus V. Imp. THYAN. *hist. Lib. VI. ad ann. MDL.* Nec dubitare fas est, quin valeat huiusmodi promissum, si, qui quid praestiturus facturusue est, sub alterius potestate imperioe sit ita constitutus, vt in solo obsequio ipsi gloria relicta esse videatur. Ex instituto ea de re egit HERT. *diff. de obligat. alterum*

*alterum daturum futurumque. Vol. I. opusc.
Tomo III. p. 306.*

§. CCCXLVIII.

Qualis
apud
Germanos
sit
transac-
tio?

Ex tertio axioma (§. CCXLI, 3.) colligitur, 24) verissimum esse, quod docuit *LABOR ad Barbose axioma. Lib. XVIII. Cap. III. ax. XIV.* eam transactionem, quae valere non possit tamquam transactio, posse tamen tamquam pactum valere, adeoque, 25) de quibus rebus honeste paciscamur, de iis et transigere hodie licere, immo 26) ne id quidem iure Germanico exigi, ut negotium, de quo transigamus, ratione iuris incertum sit, non sufficere lubricum euentus. THOMAS. *op. cit. pand. de transact. p. 65. sequ.*

§. CCCXLIX.

An liceat
transigere
super
re iudicata,
testamento
relictis,
alimenti-
s.

Itaque hodie 27) tamquam transactionem valere transactionem super re iudicata, ipse non plane diffitetur STRYK. *op. mod. Lib. II. tit. XV.* multoque minus 28) dubitari poterit de transactione super rebus testamento relictis, nondum inspectis tabulis, inita, quum tantum ex male intellecta *l. 6. ff. de transaction. collegerint doctores*, huiusmodi transactionem iure Romano fuisse prohibitam. GER. NOODT. *in Iul. Paull. Cap. VII. p. 572. et de pact. et transact. Cap. XVIII. p. 535. Tom. I. Op. ** Nec 29) transactionem super alimentis refragari dixeris analogiae iuris Germanici, quum eam et in Belgio, et in vniuersa fere

fere Gallia, validam esse, semper iudicatum sit. GROENEWEG. *ad l. 8. C. de transact.* AVTVMN. *conf. iur. Gall. ad l. 8. h. t.* At fatendum tamen est, 30) orationem D. Marci de transactione super alimentis futuris, testamento relictis, tam esse aequam, ut ea se merito commendauerit Germanis, adeoque non esse dubitandum, quin, obueniens casu, secundum illam sit pronunciandum. Exemplum adfert MENCCKEN. *theor. et prax. Dig. Lib. II. tit. XV. §. IX.*

*) Eandem sententiam non modo olim CVIACIUS, AEMIL. FERRETUS, BALDWINUS, sed et nostris temporibus iurisconsulti eximii defenderunt, veluti illustrissimus SAM. DE COCCEI. *iur. controu. Lib. II. tit. XV. quaest. V.* ANT. SCHULT. *diff. singulari*, HIER. GVNDEL. *cum differt. singulari*, cum altera, quam *singularia de transactionibus* inscripsit §. XX. *sequ.* ubi et ea expendit, quae erudite, uti solet, huic sententiae opposuit vir amplissimus, mihi-que, dum Franquerae docui, amicissimus, ZACH. HVBERVS *cas. enucl. quaest. XVI.*

§. CCCL.

Ex eodem axioma colligas, 31) iure Germanico vix locum habituras transactiones super criminibus capitalibus, et non capitalibus, quas ipsa respublica apud nos vindicat, nisi quod 32) abolitiones criminum, quales hodie aliquando fiunt, data certa pecuniae summa, aliquid transactioni simile habeant. *)

33) De priuatis quidem delictis, qualia hodie sunt

An super criminibus?

sunt damnum iniuria datum et iniuria transigi posse, quod ad priuatam satisfactionem attinet, non autem 34) hanc actionem impedire seueritatem disciplinae publicae, et 35) transigentem vix euitaturum sinistram estimationem apud bonos et graues viros, quam olim mansisse omnes, de quocumque crimine transigentes, supra ex IVRE SAXONICO et SVEVICO docuimus. (CCCXXXVIII.)

*) Praecipue ipsa personarum dignitas iam olim aliquando suadebat, vt ei gratia fieret supplicium iam decreti, et quidem dato aliquo, vel reuocato vel promisso. Exemplum, quod vel maxime ad rem pertinet, suggerit CHRON. BIGAVG. a *Mader* editum p. 252. *Dein in Wirtzenburg regi praesentatur Wicpertus senior, ab omnibusque capitali sententiae adiudicatur. Miles, Conradus, cui decollandus traditus fuit, quum iussa moraretur perficere, exspectans meliorem a rege nuncium, suggesterunt principes cuncti Wicperto iuniori, vt Groistam cum omnibus attinentiis pro patris liberatione regi deuotus offerret. Quod quum fecisset, Wicperto vitam indulsit, sed in vrbe sua Druts per triennium seruari ipsum mandauit. Plura eius generis exempla et extremi aevi annales suppeditant, quibus docemur, saepe non modo personas illustres, sed et inferioris sortis, capitibus damnatos, dato aliquo vel promisso, periculo sese exemisse, vel leuiorem poenam meruisse.*

§. CCCLI.

Corollarii loco addimus, 36) quemadmo- Pactis in
 dum olim Germani nullum temere pactum Germania scri-
 de rebus soli, vel aliis maioris momenti, ini- ptura,
 bant, quod non vel manus dextrae oblatio- dextra
 ne, vel adhibitis testibus, vel confecto in- et iudi-
 strumento, firmarent: (§. CCCXXXV.) ita cis con-
 eumdem morem seruare posteros, quamuis, firmatio
 37) ommissis his ritibus, non illico pactum pro saepe ac-
 nullo habendum videatur. Magis necessaria cedunt.
 est 38) confirmatio iudicis, iis locis, vbi de
 rebus immobilibus alienandis pacisci nemo
 potest, nisi apud acta, veluti in Saxonia, et
 aliis, vbi sanctior huius iuris Saxonici custo-
 dia est, prouinciis.



TIT. XIII.

DE CONVENTIONIBVS
PACTIS BENEFICIS

§. CCCLII.

Transi-
tio.

QUUM Germani differentiam inter conventiones et pacta (CCCXXX.) ferendi sane videmur, si agere conaremur de contractibus tamquam de negotiis, a pactionibus distinctis, multoque minus essemus exco-
distinctiones inter contractus NOMINATOS, INNOMINATOS, itemque REALES, LITTERALEM, et CONSENSVALES, ac de-
ter contractus BONAE FIDEI et STRICTAE, in iurisprudentiam Germanicam in-
Potius itaque, naturalem sequuti con-
num diuisionem, (§. CCCXXIX.)
mo de CONVENTIONIBVS PRINCIPALIBVS
quidem de BENEFICIS, agemus.

§. CCCLIII.

Quid
conuen-
tiones
benefi-
cae? et
quae?

Per conuentiones BENEFICAS inter
illas, quibus nobis ab altero aliquo
dari fieriue stipulamur: per ONEROSAS
mutuae praestationes promittuntur.
generis sunt DONATIONES, COMMODATVM
TVVM, *) PRECARIVM, MANDATVM: per
IIS EMTIO VENDITIO, LOCATIO CONDUC-
PERMVTATIO, SOCIETAS, itemque conu-
nes FACIO VT FACIAS, vel DO VT FACIAS
vel FACIO VT DES, quae et iure Germanico

singulae

ſingularibus nominibus et vocabulis deſtituuntur. De *illis* hoc; de *his* ſequenti titulo erit dicendi locus.

*) Obſeruat equidem THOMAS. *not. ad inſtit. Lib. III. tit. XIV. p. 211.* mutuum, prout vel gratis, vel cum pacto de praestandis uſuris detur, modo ad contractus beneficos, modo ad oneroſos, eſſe referendum. Sed quum uſurae non pertineant ad mutui naturam, et hoc etiam ſine illis ſubſiſtat: numquam impetrare a nobis potuimus, ut PVFFENDORFFIO, qui et ipſe *Lib. V. iur. nat. et gent. Cap. VII.* mutuum contractibus oneroſis accenſere non ueretur, adſentiremur, ac proinde et hic ob uſurarium ſtipulationem, quae plerumque huic contractui accedit, noluimus de eodem bis agere, ne actum ageremus.

§. CCCLIV.

Et primo quidem, quod ad DONATIONEM Germani in donando paupertate ſatis tamen liberales, et ad donandum proclives fuiſſe. Ut enim iam non ſatis liberales. dicamus de donis, quibus ſuos quiſque clientes, conſecto bello, remunerabatur: TACIT. *de mor. Germ. Cap. XIV.* nec de donis et muneribus, quae principibus ciues ultro et uiritim conferebant: *ibid. Cap. XV.* iam ſupra (*Lib. I. §. CCCCXIX.*) eorum laudauimus hospitalitatem, de qua idem TACITVS *ibid. Cap. XXI.* *Abeunt, ſi quid poſceroſerit, concedere moris: et poſcendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. Sed nec data impunt, nec acceptis obligantur.* *)

*) Dixeris itaque, solos fere Germanos naturam indolemque verae liberalitatis ac beneficentiae per-spexisse, de qua *SENECA de benefic. Lib. IV. Cap. XIV. Non est beneficium, quod in quaestum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam: auctio est. Non dicam pudicam, quae amorem, ut incenderet, repulit, quae aut legem aut virum timuit, ut ait OVIDIVS:*

Quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, et non sic eodem modo, qui beneficium ut reciperet, dedit, non dedit? Romani permulta largiebantur, sed patronis et clientibus, non ut liberales essent, sed ut imputarent illa munera, et scirent illi quidem, se clientibus periclitantibus subuenire, hi, se suffragio iuuare patronos debere. Vera liberalitas, et ab omni quaestu aliena, Romae rarissima erat, adeo ut POLYBIUS in excerpt. Peiresc. p. 154. scribat: Ἀπλῶς γὰρ ἑδείς ἑδένι δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἐκὼν ἑδέν. Quia nullus (Romanorum) quidquam sponte alteri de suo donat.

§. CCCLV.

Quid veteres leges de donationibus sanxerint? Insequentibus etiam saeculis frequenter admodum in legibus donationum fit mentio, veluti in *LEGE WISIG. Lib. V. tit. II. §. VI. et tit. XI. §. I. BVRGVND. addition. Tit. XLIII. et LXI. BAIVVAR. Tit. XV. Cap. XI. §. II. et maxime in LANGOB. Lib. II. tit. XV. et alibi passim. Ex quibus locis, inter se comparatis, patet, 1) Germanos donationes fieri voluisse apud acta, adhibitis testibus, *) aut confectis desuper instrumentis. Vid. reuerendissimus *chronici Gottwicensis auctor Lib. II. pag. 78. 2) Donare potuisse homines, quibus libera fuerit rerum administratio. 3) Donatio-*
nes*

nes valuisse, non vi et metu extortas, sed sponte factas, itemque rerum non alienarum, vel litigiosarum, sed propriarum, easque, 4) rite factas, fuisse irrevocabiles, nisi vel indignum se illo beneficio praestitisset donatarius, vel hic alio migrare voluisset, quibus casibus donatio ad donatorem redibat. LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XIV. §. XXIV. Lib. V. tit. XV. §. III. Lib. III. tit. XIV.*

*) Hinc iure LANGOBARDICO donare est *thingare*, donatio *thinx* vel *garathinx*: a Germanico *ding*, iudicium. Itaque *thingare* proprie est apud acta donare, *thinx* donatio apud acta, vel in iudicio facta. GE. ECCARD. *ad leg. Salic. Tit. XLVII. §. 1. p. 87.* Testes in eadem lege vocantur *gisiles*, *geisel*: quo vocabulo tamen alias obsides notentur, tamen PAPIAS *gisiles* vertit *testes*.

§. CCCLVI.

Ex diplomatibus autem et medii aevi analibus praeterea discimus, traditionem rerum donatarum fieri consuevisse sollemniter, maxime si quando ecclesiae quidquam suarum rerum donatum vellent. Enimuero quum de illa symbolica traditione iam supra, (§. LXXIV. sequ.) quantum satis est, dixerimus, eorumque rituum exempla permulta attulerimus: actum iam nolumus agere, maxime quum huiusmodi symbolicae traditionis passim faciant mentionem diplomata et veteres formulae, in quibus et diris imprecationibus, et sanctionibus poenalibus muniri animaduertimus donationum instrumen-

Donationes factae sollemniter.

ta. *) Vid. MARCVLP. *form. Lib. II. Cap. III. IV.* et alibi passim.

*) De his imprecandis formulis, Francis æque aliis que Germanicæ originis gentibus quam maxime familiaribus, ex instituto agunt MABILL. *de re dipl. Lib. II. Cap. VIII.* et reuerendissimus *prodromi chronici Gottwicensis auctor Lib. II. Cap. III. §. XVII. p. 174. Cap. IV. §. IV. p. 200. Cap. V. §. XII. sequ. p. 217. sequ.* et alibi passim. Existimarunt enim veteres, non posse se maiore veluti præsidio munire donationes, maxime ecclesiis factas, quam additis huiusmodi terrorem mentis. Quis enim, cui religionis aliquis sensus erat, ausus esset rem donatam vindicare, quam donatorem sciret anathema dixisse omnibus, res illas diripientibus, quin eos eiusdem fortis ac conditionis esse iussisse ac Iudam, proditorem, Koram, Dathanem et Abiramum, Gehasæum, aliosque in quos triste exemplum statuit diuina Nemesis, maxime quum annales a monachis aliisque sacri ordinis hominibus scripti pleni essent exemplis horrendis hominum a cæsitibus male multatorum, qui a bonis Deo dicatis manus non abstinuissent? Sed de his alii ex instituto.

§. CCCLVII.

Juris Saxonici et Sueuici dispositio de donationibus.

Quid IVRE SAXONICO pariter ac ALAMANNICO de donationibus traditum sit, iam satis explicauimus supra, vbi de pactis successoris egimus. (§. CLXII. *sequ.*) Res eo redibat, vt rerum immobilium donatio fieri non posset, nisi apud acta, et consentientibus heredibus; rerum mobilium vbicumque, et sine heredum consensu, modo donator bene valeret, sanitatisque edere posset specimen legitimum, de quo supra diximus. De donatione

tione eorum, qui lectulo iam erant adfixi, ait
 IVS MVNIC. SAX. Art. LXV. *Kein man oder
 weib mögen im siechbett ihres guts nichts verge-
 ben, das vber fünff schilling *) werth sey;
 ohne der erben vrlaub.*

- *) Obseruauit SCHILTER. Exerc. XLII. §. XVI. in co-
 dice Ambrosiano legi: *bouendrie schilling*, et præ-
 inde suspicatur, summam hanc legitimam paul-
 tim auctam esse, et primum quidem ad quinque
 solidos, postea, vti ex glossa adparet, *auf das, was
 iemand mit der hand ergreiffen, vnd vber das bett-
 bret reichen mag.* Ex hoc itaque loco explican-
 dus est alter IVRIS PROV. Lib. I. Art. LII. ex quo
 perperam colligunt, aegrotum plane nihil alicui
 donare potuisse. Verba ita se habent: *Wer in
 krankheit auch seine habe oder gut vergiebet, oder
 versetzt zu der zeit, als er es nicht thun mag, das
 weib vnd das ingesind soll niemand darum beschul-
 digen, sintemal sie des mannes gab doch nicht wie-
 dersprechen möchten, sie wäre recht, oder vnrecht.*
 Sensus enim non est, donare non posse maritum
 aegrotantem, sed si iniuste plus, quam per leg-
 es licet, donarit, non posse conueniri domesti-
 cos, qui ob reuerentiam erga patrem familias re-
 fragari eius voluntati religioni sibi duxerint. Id
 quod patet ex verbis proxime sequentibus: *Giebt
 man iemand ichts zu vnrecht, das fordert man von
 dem wieder, dem es gegeben was. Das weib ant-
 wortet für kein gut, denn für das, das zu der
 zeit ihres mannes tode vnter sie erstorben ist.*

§. CCCLVIII.

An res vtensiles a feminis donatione in Gerada
 alios transferri possint, multis hodie quæ- an dona-
 stio fere Domitiana videtur, quia de vsu hu- ri po-
 ius iuris hodierno in Saxonia dubitari non tuerit?
 potest. At non obscure huiusmodi dona-

tionem irritam iudicat SPECVLATOR SAXO
 Lib. I. Art. XXXII. verbis: *Darumb mag
 kein weib ihrem mann eine gabe geben an ih-
 rem eigen, oder an ihrer fahrender haab, da
 sie es ihrem rechten erben mit entfrembde
 nach ihrem tode.* Add. SCHILT. Exerc. XLII
 §. XIV.

§. CCCLIX.

An va-
 luerit
 donatio
 omnium
 bono-
 rum?

Sed et de donatione omnium bonorum
 quaedam supra praelibauimus, (§. CL. et
 CLVI.) eam nimirum iure Francorum et
 Saxonum ratam fuisse, si quis rebus suis su-
 peresse non amplius potuerit, ac proinde
 bona sua transtulerit in alium, alimenta sua,
 vel certam praestationem annuam, a donata-
 rio stipulatus. Quod et hodie multis locis
 obtinere, obseruauimus, quamuis senibus
 donatoribus male plerumque cedat illa libe-
 ralitas. *)

*) Inde enim quotidianae lites, donatoribus, malam
 sibi gratiam referri, conquerentibus, donatariis
 contra accusantibus morositatem donatorum, ali-
 mentorum onus intolerabile, vitam denique eorum
 nimis diuturnam. Vnde factum arbitramur, vt
 quum in Marchia hic mos donandi nimis frequens
 esset inter rusticos, moiores publice monendos pu-
 tarint homines, ne se perditum irent, suspensa in
 plurium vrbium portis claua, cum verficulis:

Wer den kindern giebt das brodt,

Vnd leidet selber noth,

Den soll man seblagen mit dieser keule tod.

§. CCCLX.

§. CCCLX.

Progredimur ad alteram, quam inter be-Com-
nificas retulimus, conuentionem, puta com-
MODATVM. *Commodare* Germanis est *leihen* et mu-
vel *leihen*: quemadmodum commodato ac-
cipere est *borgen* vel *entleihen*. Sed eorum cabula.
verborum tam laxa est notio, vt et ad mu-
tuum, et ad commodatum, et ad concessio-
nem dominiij vtilis, referantur. Vnde notae
phrales: *geld leihen vnd borgen: ein buch lei-
hen oder entleihen: ein gut leihen vnd zu lehn
nehmen*: neque adeo mirum est, veteres
haec raro confudisse *mutuum* et *commoda-
tum*, quum eae conuentiones communi
nomine designarentur. *) Saltim LEX WISI-
GOTHICA *Lib. V. tit. IV.* in rubrica *commoda-
ti* meminit, quum §. *IV.* agat de *mutuo*, vel
vti legislator d. §. loquitur, de *pecunia com-
modata*.

*) Itaque et hodie vocabula pleraque, quibus de
mutuo vtimur, variis communia sunt contracti-
bus, veluti *leihen*, *leihen*, *borgen*, *vorstrecken*,
quae aequae de commodato ac de mutuo acci-
piuntur, et *austhun*, quod et locationem exprimit.
Eandem aequiuocationem reperiri in lingua Da-
nica et Sueuica, ex LOCENII *synopsi iur. Suec. diff.*
XI. §. II. p. 333. sequ. et OSTERSSONII *glossar. iur.*
Dan. p. 86. sequ. et *p. 300. sequ.* iam ostendit il-
lustris a LVDEW. *differ. iur. Rom. et Germ. in mutuo*
diff. I. lit. e. sequ. qui et *litt. f. b. i. l.* obseruat
magis propria mutuo esse verba *fürsetzen*, *vor-
schiesseu*, *aufnehmen*, *aufenstehen haben*, quibus
addimus Saxonica *geld belegen*, vel *zinsbar*
belegen vel *bestäten*, quae ipsa quoque vix ali-

ter, quam de pecuniis creditis vel foenari locatis usurpare solent.

§. CCCLXI.

In com- At Germanos, quantumvis confuderint
modato vtriusque illius conventionis vocabula, re-
an trans- rum tamen ipsarum discrimen non plane
feratur ignorasse, istorum leges satis superque o-
domi- stendunt, quae et hic fere aequitatem natu-
nium? ralem sequuntur, et a iuris Romani princi-
piis parum discrepant, nisi quod nonnulli
dominium rei commodatae iure Germanico
in commodatarium transferri existimant,
WESENBECK. *paratitl. tit. commod. n. VII.*
SCHNEIDEW. *in §. 16. Inj. de oblig. quae ex
del. n. II.* quorum sententiam merito quidem,
at ex ratione non admodum probabili, *) re-
fellit SCHILTERVS *exerc. XXV. §. IV.*

*) Existimat enim, in loco iuris Saxonici, ex quo illam dominii translationem plerique colligunt, esse hoc ex pacto adiecto, quo diserte commodans in commodatarium transtulerit dominium. De re ipsa postea videbimus. Iam observamus, similem esse sententiam AND. ALCIATI. *paradox. Lib. II. Cap. XIX.* de ipso iure Romano. Si quis enim scyphos suos alicui dederit, ut hic eorum dominus fieret, at eos tamen restituere intra aliquod tempus teneretur, id non contractum innominatum esse, sed commodatum, collegit *ex l. ult. ff. de praescript. verb.* quum tamen ibi translati dominii non magis fiat mentio, quam adiectae huiusmodi pactionis. Vid. VIGL. ZVICHEM *in l. 2. ff. de reb. credit. n. XXII.*

§. CCCLXII.

§. CCCLXII.

LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit. V. §. I.* ca-
 uetur, vt, si quis quodcumque alterius ani-
 mal pro certa mercede custodiendum susce-
 perit, idque perierit, aliud eiusdem generis
 restituat; sin, qui gratis custodiuerit, ani-
 mal casu periisse, probare posset, is ad da-
 mnnum refarciendum non obligaretur, ea ta-
 men lege, vt *praeberet sacramentum ille, qui
 commendata susceperat, *) quod non DOMI-
 NO per suam culpam, neque per negligen-
 tiam, animal morte consumptum sit, siquidem
 tunc nihil cogendus sit exsoluere. Hinc
 statim additur: Similis et de COMMODATIS
 forma seruetur.* Quum ergo et dominus
 maneat commodans, et casum ferat: iure
 sane WISIGOTHICO in alterum non transiis-
 se oportet dominium.

Negatur
 ex lege
 Wisigo-
 thica.

- *) COMMENDARE medio aevo fuit rem alteri custodiendam credere, siue hic gratis, siue certam sibi stipulatus mercedem hanc custodiam susceperit. Hinc modo de *deposito* vsurpatur, veluti in LEGE LANGOB. *Lib. II. tit. XVII. §. I.* et LEG. ALAM. *tit. V. §. I.* quod et a Latinis fiebat, quibus *commendare nihil aliud erat, quam deponere: l. 186. ff. de verb. signif.*
 GLOSSA: *commendauit παρακατέθετο.* Modo de *locatione*, veluti LEG. WISIG. *Lib. V. tit. V. §. I.* LEG. BAIVVAR. *tit. XIV. §. I.* modo de *mandato* vti LEG. WISIG. *ibid.* modo denique de *dominio utili* vel *usufructu* ad dies vitae concessio. Vnde loquutiones: *commenda, dare in commendam*, et similes, quas cum cura interpretatur CAR. DV FRESNE *glossar. Lat. Tom. I. p. 1106. sequ.*

§. CCCLXIII.

Item-
que Ba-
iuuari-
ca et Sa-
lica.

Eadem lex totidem paene verbis repetitur in LEGE BAIUVAR. tit. XIV. adeoque dubitari non potest, quin et Boii translationem dominii rerum commodatarum ignorarint. In LEGE etiam SALICA titulo LV. ex instituto agitur de commodato, quod ibi vocatur *res praestita*, *) ostenditurque, quo ritu eam repetat commodans, si reddere noluerit commodatarius. Sed tantum abest, ut ibi aliquid occurrat, quod ad translationem dominii pertinere videatur, ut ex formula repetendi, quae ibi praescribitur: *Quia res MEAS noluisti reddere, quas tibi praestiti in hoc, eas tene nocte proxima*, potius colligi possit, dominium penes commodantem omnino mansisse.

*) *Praestare* quoque, uti Gallorum *prester*, aequè *mutuum dare*, ac *commodare* significat. Pro *mutuo* accipitur in CAPITVLAR. Lib. I. Cap. CXXX. *Iustum foenus est, qui amplius non requirit, quam PRAESTITIT.* Pro *commodato* a GVIL. BRIT. *Philippid. Lib. XI. v. 467.*

*Ostimarensis adest cursu rapiente, Girardus,
Descendensque suum domino, vectoris egenti,
PRAESTAT equum.*

Plura huius notionis exempla ex SALVIANO et VENANTIO FORTVNATO collegit CAR. DV FRESNE *glossar. Tom. III. p. 393.*

§. CCCLXIV.

§. CCCLXIV.

Omniū clarissime LEX FRIS. *in addit. Tit. Nec XI. §. I. qui et ipse de re praestita agit: Si non Fris. homo alii equum suum praestiterit, vel quamlibet aliam pecuniam, talem, qualis ei praestita est, reddat DOMINO EIUS, et si forte peioratam reddiderit, componat ei iuxta quantitatem, qua rem eius impeiorauit.* Vbi manifesto commodans vocatur dominus, eique damnum culpa sua factum praestare iubetur commodatarius. Quis vero culpam praestet in re propria?

§. CCCLXV.

Nec dubium est, quin et medio aevo eadem omnia fuerint. Quamuis enim in IVRE SVEVICO *Cap. CCXLIV. dicat SPECVLATOR: Welch man ainem ainpfärd oder ain gewant, oder ander varendes gut setzet, oder leicht mit seinem willen, so hat yener recht daran, in des gewalt es chumbt:* sequentia tamen verba satis superque ostendunt, illud ius non consistere in dominio, quia commodans casum ferre, commodatarius culpam praestare iubetur, quae vberius explicantur *Cap. CCXLVI.*

§. CCCLXVI.

Crucem itaque viris doctis figit locus vnicus IVRIS PROV. SAX. *Lib. III. Cap. XXII. Welcher mann einem andern leihet sein pferd, kleiner, oder ander sein fahrende haab, oder dass ers versetzt, oder zu welcher weis dis aus sein*

Locus iuris Saxonici ex quo id colligunt.

nen

nen gewehren mit seinem willen kommt, verkaufft es dann der, der solches in gewahren hat, einem andern, oder versetzt er das fürbas, oder verspielt es, oder aber wird ihm gestohlen, oder abgeraubet: jener der es diesem verliehen, oder versetzt hat, mag daran des lebens halben keine forderung haben, sondern allein wieder den, dem er es liehe, oder versetzt. Inde enim colligunt, non posse commodantem mansisse dominum, quum ius non habuerit, rem suam a tertio possessore vindicandi. Quum tamen ea conclusio vix iure Romano semper procedat. *)

*) Nam e. g. tigni iuncti idem, qui antea manet dominus: et tamen is illud non potest a tertio possessore vindicare. Diserte IUSTINIANVS §. 29. *Inst. de rer. diuis.* Quum in suo solo aliquis ex aliena materia aedificauerit: ipse intelligitur dominus aedificii, quia omne, quod solo inaedificatur, solo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiae dominus fuerat, desinit DOMINVS eius esse, sed tantisper neque vindicare eam potest, neque ad exhibendam agere propter legem XII. tabularum. Nimirum dominus soli est etiam dominus aedificii, at materiae vel tignorum is, qui antea fuit, manet dominus, ac proinde demta dicuntur in pristinam causam reuerti. l. 59. ff. de rei vind. vid. VINN ad §. 29. n. 1. Cessat tamen vindicatio, stante aedificio, ne vrbs ruinis deformatur. l. 2. §. 17. ff. ne quid in loco publ. vel itinere fiat.

§. CCCLXVII.

Schilte-
ri inter-
pretatio
contor-
ta.

Iam quidem non aliter se expedire potest SCHILTERVS, quamuis iuris Germanici alioquin callentissimus, quam vt existimet, iure etiam

etiam Germanico commodantem mansisse dominum, eam regulam tamen admisisse exceptionem, si commodans, adiecto huic contractui pacto, diserte cauerit, vt ad commodatarium dominium ac possessio transiret, idque colligit ex verbis: *zu welcher weis du aus seinen gewehren mit seinem willen kommt.* *) Enimuero haec verba non inuolunt pactum adiectum, sed id tantum inuolunt, huic iuris dispositioni locum non esse, si inuito domino aliquid fuerit surreptum.

*) Siue rem deponas, siue commodes, siue loces, siue precario des, possessio naturalis volente domino transit in alium. Quis vero ad id singulari pacto adiecto opus esse dixerit? Ipsorum sane, quos recensuimus, contractuum ea est natura atque indoles, vt alter possessionem illam naturalem nobis volentibus nascatur. Nec vocabulum *gewehr* semper significat possessionem ciuilem, sed idem est, ac recentius *gewahrsum*, adeoque et de nuda detentione recte usurpatur.

§. CCCLXVIII.

Res satis expedita esse videtur. Rem com- ^{Vera}modatam a tertio possessore vindicare iure ^{explicatio.} Germanico non poterat commodans, non, quod dominus esse desiisset, sed quod generatim eo iure obtineret regula: *Hand muss hand wahren.* Nam dominus, qui alteri rem vltro, (*mit seinem willen*) quocumque titulo dederat, eam, non amplius apud hunc existentem, non poterat a tertio possessore *) vindicare, sed actione personali conuenire debebat eum, cuius fidem fuerat sequutus.

HERT. *paroem. iur. Germ. Lib. I. par. XVIII. p. 425. sequ.*

*) COLERVS *Decif. VII. n. VII. sequ.* existimat, huic regulae tunc demum locum fuisse, si tertius ille possessor fuerit in bona fide. Nihil enim obstat, quo minus commodans vindicare rem suam possit ab eo, qui mala fide rem possideat, sciens, rem in se translata esse commodantis. Qua in re eum sequitur HERT. *de convention. dominii transl. §. XXIX.* Sed id saltim iure Saxonico verum non videtur, quia, illud dominum non patitur res suas etiam furto vel rapina subtractas commodatario, a tertio vindicare. Id enim volunt verba dicti *art. XXII. Libr. III. Wird es ihm gestohlen oder abgeraubet.* Aequam tamen esse COLERII sententiam, facile largimur. Et hinc eam in statuta sua receperunt HAMBVRGENSES, vti statim adparebit.

§. CCCLXIX.

Idem Nimirum et IVS LVBECENSIS *lib. III. tit. II. art. I. et II.* hoc principium sequitur, nec commodanti actionem dat aduersus tertium possessorem nisi refuso pretio, addita ratione: *dann hand muß hand wahren.* Nec aliter rationes ineunt HAMBVRGENSES *Lib. II. tit. II. Art. VII.* qui, seruatis paene verbis SPECULATORIS SAXONICI, commodanti denegant actionem aduersus tertium possessorem, modo is rem iusto titulo adquisierit: *wosern derjenige solches mit gutem titul an sich gebracht. *)*

*) Contradictioni hunc textum implicari existimat SCHLTERVS *Exerc. XXV. §. VIII.* Quum enim antecesserint verba: *Wird es ihm abgeraubet oder abgestohlen:* mox sequitur: *wosern derjenige solches mit*

mit gutem Titul an sich gebracht. Quae verba tollere priora, nec illa simul cum his subsistere posse, statuit vir doctissimus. Sed procul dubio id volunt Hamburgenses, commodantem etiam res furto commodatario subtractas vindicare non posse a tertio possessore, qui iusto titulo rem a fure adquisuerit, nihil autem impedire, quo minus eam ab ipso fure vindicet. Haec vero quam implicent contradictionem, ego quidem me non intelligere fateor.

§. CCCLXX.

Ceterum commune fuisse hoc Germanis Immo principium, vel inde patet, quod illud et ex- et Sueci tra Germaniam gentes cognatae a maioribus et alii traditum et hodie religiose seruant. exteri. (Lib. I. §. XIV.) De Suecis sane suis hoc testatur LOCCEN. *synops. iur. Suec. Dissert. XII. Quaest. V. et Diss. ult. in corollar.* Et in Belgio idem ius viget apud Antuerpienses. STATVT. ANTV. tit. LVIII. Art. V. De vniuersis quoque Belgis idem adfirmauerat GROENEWEG. *de leg. abrogat. ad §. 16. Inst. de obl. quae ex del.* sed acriter ideo reprehensus ab ipsis iureconsultis Belgicis, inprimis a SIM. VAN LEEVWEN *cenfur. Part. I. Lib. IV. Cap. VII. §. XV.*

§. CCCLXXI.

Sed quaeritur porro, quae obligatio iure Quae Germanico fuerit tum commodatarii, tum culpa commodantis, et quod sibi inuicem damnum praestanda in cum in aliis contractibus, tum et in hoc, hoc con- praestare debuerint contrahentes? Quamuis tractu? enim vix credibile sit, Germanos de culpa- rum differentia tam subtiliter fuisse philoso- phatos,

phatos, ac Romanos: THOMAS. *diss. de usu pract. doctr. iur. Rom. de culpar. praestat.* nemo tamen dubitauerit, quin saltem damnum dolo vel culpa datum praestari voluerint. Quare operae pretium facturi nobis videmur, si paucis et hic inquisuerimus in iuris Germanici principia.

§. CCCLXXII.

Culpa
apud
Germa-
nos vna.
De ea
reg. I.

Nimirum quamvis Germani damna, dolo, culpa et casu data, accurate satis discernent: culpam tamen non nisi vnius generis agnouisse, eamque, siue lata, siue leuis iure Romano dici posset, generali culpa vocabulo denominasse videntur. Quemadmodum vero dolum omnem praestari in quocumque contractu procul dubio voluerunt: ita de culpa in contractibus gratuitis obseruasse videntur certas regulas, veluti: I. *Quemuis teneri rem alienam maiore diligentia custodire, quam propriam, *) et, nisi id fecerit, ad praestandum damnum, culpa sua datum, obligari.* THOMAS. *not. ad pand. Lib. XIII. Tit. VI. pag. 170.*

*) Itaque ignorasse Germani culpam *in abstracto* quam vocant, eamque tantum *in concreto* considerasse videntur. Quod non iniquum dixeris. Quum enim ipsum ius Romanum inculcet, *eum, qui cum alio contrahit, vel esse, vel debere esse non ignarum conditionis eius: l. 19. pr. ff. de reg. iur.* quid aequius est, quam eum, qui alteri rem suam ex quocumque contractu concedit, contentum esse debere ea diligentia ac solertia, qua illum sua in re uti, satis sciuerit?

§. CCCLXXIII.

§. CCCLXXIII.

At II. *si alter non gratis, sed pro certa mer-* Item-
cede, rem alterius custodiendam suscepisset: que reg.
eum ipsum casum ferre debuisse, patet ex lo- II. et III.
 CO LEGIS WISIG. *Lib. V. Tit. V. §. I. Si quis ca-*
ballum, vel bouem, aut quodlibet animalium
genus, placita mercede, ad custodiendum sus-
ceperit, si id perierit, aliud eiusdem meriti il-
le, qui commendata suscepit, exsoluat, si
tamen mercedem fuerit pro custodia consequu-
tus, vel pro conducto. In contractibus vero
 gratuitis III. *is, qui rem custodiendam gratis susce-*
perat, non praestabat casum, sed, si iureiu-
rando confirmare posset, rem sua culpa non
*periisse, liberabatur *)* LEX WISIG. *ibid.* LEX
 BAIVVAR. *Tit. XIV. Cap. I. §. I. II. III.*

*) Id est, si ostendere posset, rem alienam se magis, quam suam, curasse. (CCCLXXII.) Hinc eadem LEX WISIG. *ibid.* §. V. cauet, vt si res ab altero commendata, incendio, ruina aut naufragio periisset, et is, qui eam custodiendam suscepit, sua omnia eripuisset, is, quod acceperit, iñe aliqua excusatione cogeretur exsoluere: sin partem rerum suarum in tutq. collocasset, partem etiam damni pro rata alteri restitueret: contra si quis aliena fatali damno erepturus, sua omnia perdidisset, iudex arbitraretur, quantam damni partem ferre debeat is, qui cum alieno damno res suas saluas habeat. Quae lex regulam primam egregie illustrat.

§. CCCLXXIV.

Et reg.
IV.

Quum ergo ex regula II. et IH. (§. CCCLXXIII.) pateat, Germanos quoque considerasse, solumne commodum, an incommodum quis ex contractu ferret: consequens est, ut non potuerint non verissimam existimare regulam IV: *in contractibus, ubi par utrimque commodum atque incommodum sit, parem quoque diligentiam sibi invicem præstare debere contrahentes, talem nimirum, qualem quisque in re sua adhibere soleret.* (§. CCCLXXII. *) Saltim a lucro ad damnum argumentum ducit LEX WISIG. *Lib. IV. Tit. II. §. XV. extr.*

§. CCCLXXV.

Quod
da-
mnum
in com-
modato
præste-
tur ex
legibus
vetsis.

Itaque iam satis patet, commodatarium ad refarciendum damnum obstrictum fuisse, si rem non maiore diligentia custodiuerit, quam suam: non tamen tulisse casum, quia rem gratis custodiuerit. (§. CCCLXXXIII, 3.) Diserte enim LEX WISIGOTHICA, *Lib. V. tit. V. §. I.* postquam has regulas de rebus commendatis inculcauerat, addit: *Similis et de COMMODATIS forma seruetur.* Add. LEX FRIS. *addit. Tit. XI. §. I. II.*

§. CCCLXXVI.

Ex iure
Sax. et.
Sueu.

Nec aliter de culpa, a commodatario præstanda, philosophantur SAXONES ET ALAMANNI. IVS ENIM PROV. SAX. *Lib. III. Art. V.* inculcat regulam: *Was man dem mann zu gebrauchen leibet oder zu pfand versetzt, das soll*

soll er vnuerderbt wiederbringen dem, der es ihm liebe oder versetzte, oder soll es ihm gelten nach seinen wüorden. Quod etiam obtinebat, si quis re aliena aliter, ac dominus voluerat, vsus esset, e. g. si equum diutius, quam dominus eius vsum indulserat, retinisset. *) IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art. XXII.* Similia fere habet IVS PROV. SVEV. *Cap. CCXLIII. CCXLIV. CCXLVI.* vbi et regula occurrit: *Wir sprechen das er dem man frömdes gutz pas sol hütten, dann sein selbes gutz.* (§. CCCLXXII. et CCCLXXIII. *)

*) Eo casu furtum. vsus committi ex principiis iuris Romani, eoque nomine actionem furti dari, tralatitium est, nec quisquam ignorat eius rei exemplum, quod est apud VALER. MAX. *Lib. VIII. Cap. II. Exempl. IV.* At Germani diserte negabant, eum, qui re commodata aliter ac dominus voluerit, vsus sit, furti teneri. IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. XXII.* *Dieberey noch raubes may er ihn aber daran nicht gezeiben, sentemal daß ers ihm selber geliebet hat.* Id tamen iure vetere Germanico non vbique obrinuisse, nec ignotum plane maioribus nostris fuisse furtum vsus, infra, vbi de furto ex instituto agetur, pluribus ostendemus.

§. CCCLXXVII.

Haec de *commodato*. Proximum est *Mutuum*, quod quamuis ignotum fuisse veteribus Germanis videri possit, ideo, quod pecuniae vsus satis diu nullum haberent, teste TACITO *de mor. Germ. Cap. V:* tamen et in alia quavis re fungibili illud consistere posse, satis notum est, adeoque et hic contractus

locum habere potuit, quando adhuc auro et argento caruerunt homines. Fatendum tamen est, rariorem inter Germanos fuisse hunc contractum: eiusque rei vel hoc argumentum esse satis luculentum, quod pleraeque veteres Germanorum leges, si a WISIGOTHICIS discesseris, huius contractus raro faciunt mentionem. *)

*) Adde quod aeris alieni et foenebris mali origo maxime luxuriae debetur. Ea gliscente, denum accidit, quod ait SALLVST. *Capilin. Chp. XX.* ut plerisque *fit domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior, nihil denique reliqui, praeter miseram animam.* At quid Germanos cogeret ad aes alienum contrahendum, quibus parabilis cibus, ferina recens, poma agrestia, lac caseusque, et si quid aliud natura prouida offerret, sufficebat: quibus corruptum vini in modum frumentum pro potu, humus pro lecto, pellis vrsi vel rhenonis pro stragulis, tuguriolum pro palatio erat? quibus denique nec commerciorum, nec arduificiorum ad luxum et splendorem comparatorum vlla cura erat? Non tales sane, sed prodigi, adulteri, ganeones, rapere, consumere, sua parui pendere, aliena cupere, bona patria lacerare, alienum aes grande conflare solent.

§. CCCLXXVIII.

Vsurae
admissae.

Ex his vero legibus, quae alioquin Romanas passim sequuntur, obseruo, I) iis permissas fuisse vsuras, quas ceteroquin canones iis temporibus passim damnabant: II. vsuras cessasse, si vsus pecuniae sine debitoris culpa cessasset. Nam *Lib. V. Tit. IV. §. IV.* eius legis cauetur, ut si pecunia sub vsuris credita

credita casu perierit, debitor sortem restituat, sine vsuris, praeterquam si alterum tantum ea sit lucratus: sin debitoris dolus vel culpa intercesserit, et sortem et vsuras reddere teneatur.

§. CCCLXXIX.

Quemadmodum vero nihil erat maioribus Debitor nostris fide sanctius: ita non modo stricte qui non reddi iubebant pecuniam creditam, sed et soluebat, creditores morosos addicebant creditoribus. Iam supra (*Lib. I. §. XXXVII.*) id probauimus ex *IVRE PROV. SAX. Lib. III. Cap. XXXIX. WEICHB. SAX. Art. XXVII.* itemque *EX IVRE LVBECC. Lib. I. tit. I. Art. III.* Iam addimus, similia occurrere in *IVRE PROV. SVEV. Cap. CXXX.* *Wer ainen man beclagt vor gericht umb gelt, vnd mag er nicht vergelten, der richter sol im den man für sein gelt antwurten, vnd den sol er behalten, gleich seinem hausgesind mit speys vnd auch mit arbeit. Wolt aber er in einfließen an ain eysen pant, daz mag er auch wol tun, vnd anders sol er in nicht pinden. Lät er in, oder entrint er im, damit ist er nicht ledig des geltes, alldieweyl er im nicht vergolten hat, so sol er im dienen, als sein hausgesind. Vnd will er sein nicht behalten, so sol der gelter sweren gen den heiligen, wenn er gewin vber sein notturfft dreyßig pfennig oder mer, daz er im gelt.*

§. CCCLXXX.

Precarium in **Germania non distinctum a commo- dato.** **PRECARIVM**, quae quarta est conuentio benefica, nescio an veteres Germani a commo- dato distinxerint. Tam subtilis enim est differentia inter ea, quae ad certum; et quae ad indefinitum vsum concessa sunt, vt eius rationem habuisse Germanos; simplicitatis in iure studiosissimos, vix verosimile videatur. Nec huc pertinet locus ex **IVR. VISIG. Lib. X. tit. I. §. XII.** sed ad precariam aequae, ac quae in **LEGE LANGOB. Lib. II. tit. VIII. §. IV. tit. X. §. II.** et in **CAPITVLARIB. Lib. V. tit. CXXVII.** et alibi passim, occurrunt. Quales vero olim fuerint precariae, iam supra, (§. XXXIX. et XLVII.) quantum satis est, diximus.

§. CCCLXXXI.

Depositum indoles. Progredimur itaque ad **DEPOSITVM**, cuius non minor Germanis visa est religio, quam vlli alii genti. Hinc non modo restitui iuebant depositum domino, simul ac hic illud repetierit, verum etiam illum, qui istud dolo malo non restituerat, vel abnegauerat, in certam mulctam condemnabant, veluti in tertiam et quintam partem pretii rei depositae, vti est in **CAPITVL. Lib. V. Cap. CCIV.** Quin **LEX LANGOB.** eum, qui depositum negat, ad singulare certamen vocat, si illud **XX.** saltim solidorum sit. **Lib. II. tit. LV. §. XXXV.** Quod vero ad damna attinet, hic eadem omnia esse videntur, ac in commo- dato,

dato, quia, quae LEGES WISIGOTHICAE et BAIUVARICAE locis paullo ante adlatis de *commendatis* praecipiant, ea non ad depositum minus, quam ad commodatum, pertinent. *)

(§.

- *) Similiter IVS PROV. SAX. *Lib. III. Art. V.* omne damnum culpa depositarii datum refarciendum esse, statuit, non autem quod casu accidit: *welcher man dem andern sein gut thut zubehalten, wird es ihm gestohlen, oder geraubet, oder verbrennt es ihm, oder stierbt es ihm, ob es viehe ist, er darff da keine notz vmb leiden, thar er sein recht dazu thun, dass der schade ohne seine schuld sey geschen.* At SPECVLATOR SVEVVS *Cap. CCLXVI.* depositarium ad rei depositae, etiam furto sibi ablatae, aestimationem praestandam esse obligatum, docet, additque regulam: *Also ist es vmb alle befehlnuß, weß sich der mann unterwindet zu pflegen, oder zubehalten, vnd wird es ihm gestohlen, er muß es gelten.* Quamuis vero totus ille §. III. *Cap. CCXLVI.* in BERGERIANA editione *pag. 266.* desideretur: exstat tamen cum lacinia, quae in reliquis editionibus deest, in SCHANNATIANA *Art. CCXXIII. p. 295.* Tanta est exemplarium huius iuris diuersitas, tanta dissimilitudo.

§. CCCLXXXII.

Denique ne de MANDATO quidem singulare quidquam occurrit in legibus Germanicis, nisi quod illud apud Germanos non semper fuerit gratuitum, nec honorarium solum admiserit, verum etiam *placitam mercedem*, uti est in LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit. V. §. I.* et in LEGE BAIUVAR. *tit. XIV. Cap. I.* Quamuis enim haec locatio conductio videri possit; culpa tamen praestatio alia est, uti

supra iam ostendimus. Ceterum et IVRE SVEVICO mandatarium resarcire debuisse damnum, si furto res ablata esset, paullo ante (§. CCCLXXXI, *) monuimus.

§. CCCLXXXIII.

Axiomata de re
his con-
tracti-
bus.

Et haec quidem sunt, quae ex vetere iuramento Germanico de conventionibus his, quas beneficis vocauimus, eruere licuit. Quum vero pleraque ita comparata sint, vt in iurisprudencia Romana multo accuratius pleniusque tradantur, quam in iure patrio: non mirum sane est, I. hodie controuersias de huiusmodi conventionibus plerasque ex principiis iuris Romani decidi, adeoque II) hic perpaucas in foro superesse iuris patrii reliquias.

§. CCCLXXXIV.

In ple-
risque
circa hos
contra-
ctus ho-
die ius
Roma-
num ob-
tinet.

Prius inde patet, quod 1) hodie vbique ferme donatio fit etiam ab infirmo et aegrotante, 2) etiam extra iudicium, modo, si quingentos solidos excedat, apud acta infirmuetur: 3) quod ne in Saxonia quidem heredum consensus requiritur, nisi in bonis auitis, ad excludendum ius retractus gentilitii: SCHVLZ. *synops. instit. Lib. II. Tit. VII. pag. 108. sequ.* 4) quod et contractus benefici reliqui per omnia fere ad iuris Romani normam, tum in Saxonia, tum in reliquis Germaniae prouinciis, redacti sunt, et

et hinc 5) commodanti etiam hodie in ipsa Saxonia datur rei vindicatio aduersus tertium possessorem. SCHVLZ. *Lib. III. tit. XV. pag. 322.*

§. CCCLXXXV.

Contra inter paucas iuris patrii reliquias sunt, quae sequuntur: 6) quod alicubi donatio rerum immobilium, sine discrimine quantitatis apud acta fieri debet: IUS LV-BEC. *Lib. I. tit. IX. Art. II.* id quod et in

Juris patrii reliquiae circa donationes.

Gallia in donationibus omnium rerum, quae non in continenti e manu in manum traduntur, obseruandum esse, monent GREG. THOLOS. *syntagm. Lib. XXVIII. Cap. XIII.*

§. XVII. AVTVMN. *ad l. 28. C. de donat.*

7) Quod apud Mindenses donationem aegroti vel expresse, vel tacite, probare debent heredes: STAT. MIND. *Lib. I. tit. XII. Art. I.* at 8) sani et vegeti donatio valet, simul ac res tradita est. *ibid. Art. II.*

9) Quod iure Lubecensium non quidem heredum consensus requiritur, attamen iis prius danda est portio legitima octo solidorum et quatuor numerorum. IUS LV-BEC. *ibid.* 10)

Quod donationem omnium bonorum in ipsa etiam Saxonia apud acta fieri oportet. MOLLER. *ad Part. III. const. Aug. I. n. 7. sequ. et ad Const. III. n. 38.*

§. CCCLXXXVI.

Circa
commo-
datum.

Sic et, quod ad commodatum attinet, ii) ius illud de commodante, rem suam a ter-
tio possessore non vindicante, obtinet non
modo Lubecae, Hamburgi, Antuerpiae,
ceu iam supra obseruauimus, sed et iis lo-
cis omnibus, vbi iure Lubecensi viui-
tur. 12) Ibidem commodans omnem cul-
pam, immo 13) et casum, praestare tenetur,
si re contra commodantis voluntatem v-
sus sit. *) IVS HAMB. *Part. II. Tit. II.*
§. I. sequ.

*) Quod ipsum tamen ne iuris quidem Romani prin-
cipiis aduersatur. Nam ex his qui re aliena ali-
ter, quam dominus velit, vtitur, furtum vsus
committit. *l. 40. t. 54. pr. l. 76. ff. de furt.* Quum-
que fur res alienas detinens semper in mora sit,
et mora periculum in morosos transferat: *l. 5. ff.*
de reb. cred. l. 23. sequ. l. 82. §. 1. ff. de verb. obl.
non potest non consequi, vt commodans et casum
ferre teneatur, si re contra domini commodantis
voluntatem vsus sit. *VLPIAN. l. 8. §. 1. ff. de cond.*
furt. Si ex causa furtina res condicatur, cuius
temporis aestimatio fiat, quaeritur? Placet tamen,
id tempus spectandum, quo res vniquam plurimi
fuit, maxime quum deteriore rem factam fur
dando non liberetur. Semper enim moram fur fa-
cere videtur.

§. CCCLXXXVII.

Circa
mutu-
um.

Circa mutuum, 14) inter has iuris patrii
reliquias merito referes, quod in Germania
etiam ob moram, in expungendo nomine
admis-

admissam, vsurae debentur, quantumuis non promissae. RECESS. IMP. MDC. §. So viel nun. 15) Quod in Saxonia hodie debitores, quos soluendo non esse, facta excusatione, adparuit, non quidem creditori adducuntur, attamen in carcere, (*im schuldthurn,* *) illis non concessio flebili cessionis bonorum beneficio. CONSTIT. ELECT. XXII. Part. II. 16) Quod in Holsatia etiamnum debitores equestribus nobilitatis obligant se ipsos ad obstaculum, et hinc interpellati intrare tenentur certum diuersorium, neque inde exire, donec nomen expunxerint. SCHILTER. *de iure obsid. sub fin.* STRYK. *vsq. modern. Lib. XLVI. tit. I. §. XV.*

- *) Et quidem non tam custodiae, quam poenae causa. Vnde quum alioquin ad cautionem obstricti sint ii, qui alium in vincula conici petunt, et cum de iudice, tum de ipso, quem in carcerem duci petunt, indemni praestando satisfacere iubeantur: hac cautione non onerari solent creditores, eiusque rei hanc rationem reddunt doctores Saxonici, *quod non tam custodiam carcerem hunc publicum, quam poenam esse voluerit Elector, eaque neminem adfici, nisi qui dolo malo non soluendo factus fuisset, ideoque iustissimam causam hunc in carcerem coniciendi creditores habeant.* MOLLER. *ad Part. II. Const. Sax. XXII. n. X.*

§. CCCLXXXVIII.

Circa
preca-
rium.

In deposito, mandato, precario, vix quidquam singulare obtinet in foris nostris, quod non aequè facile ex iure Romano, quam ex patrio, possit deriuari, nisi quod 17) in Germania satis frequens est mutuum precarium, veluti ius compascui, ius conuenationis, ius conlignandi, (*koppel-weyde, koppel-iagd, koppel-holtzung,*) qualia iura 18) ex natura precarii semper esse reuocabilia, palam est, nisi sint mutuae seruitutes. CARPZ. *Part. II. Const. XLI. def. IX.* KOEPPEN. *Part. I. Dec. XII. n. XVII.* AHASV. FRITSCH. *de conuenat.*



TIT. XIV.

DE CONVENTIONIBVS ONEROSIS, CERTAM PRAESTATIONEM CONTINENTIBVS.

§. CCCLXXXIX.

Progredimur ad conuentiones, quae ad ^{Transi-} mutuum contrahentium praestationem ^{tio ad} sunt comparatae, ac proinde satis ^{contra-} commode ONEROSAE a doctoribus adpellan- ^{ctus o-} tur. Eae vel certas habent praestationes, ^{nerosos.} vel aeam continent. Nos iam de prioribus agimus, quales sunt PERMVTATIO, EMTIO VENDITIO, LOCATIO CONDVCTIO, contractus EMPHYTEVTICVS, SOCIETAS, et quicumque a Romanis INNOMINATI adpellantur.

§. CCCXC.

PERMVTATIO, antiquissimum commercii ^{Permu-} inter mortales genus, priscis Germanis eo ^{tatio o-} familiarior fuit, quo minus illi initio pecuniae ^{lim.Ger-} usum nouerant. TACITVS *de mor. Germ. Cap.* ^{manis} *V. Proximi, inquit, ob usum commerciorum* ^{fere sola} *aurum et argentum in pretio habent, formas-* ^{in vsu.} *que quasdam nostrae pecuniae agnoscunt, at-* *que eligunt: interiores simplicius et antiquius* PERMVTATIONE *mercium vtuntur.* Et sane hoc commerciorum genus priscis gentibus omnibus, antequam pretium aliquod eminentis nosse coeperant, commune fuisse, recte obseruauerunt PLIN. *hist. nat. Lib. XXXIII. Cap. I.*
et

et PAVLLVS noster *l. 1. pr. ff. de contr. emt.*

§. CCCXCI.

Postea etiam in Germania frequentissima.

Quamuis vero postea pecuniosi esse coeperint Germani, saltim ii, qui vel per pro-uincias Romanorum diuagati, regna ibi potentissima constituerant, vel piratica et perpetuis excursionibus locupletati domum redierant: non eo minus tamen illis placuit antiquus ille contrahendi modus, ac proinde permutatione, seu, vt medio aeuo vocabatur, *concambio*, *) non minus frequenter utebantur, quam emtione venditione.

- *) Hinc permutatio modo dicitur *cambium*, in LEGE LANGOB. *Lib. III. tit. VIII. §. IV.* modo *concambium*, in FORM: LINDENBR. CXXXIX. et LEG. ALAM. *tit. XX.* modo *concambiatura*, *ibid. form. CXLI.* et in *charta Alam. XVI.* apud GOLDAST. *script. rer. Alam. Tom. II.* a verbo antiquo *cambire* *αποκατα*, de quo PRISCIANVS et alii veteres. Id vero medio aeuo varie detortum: veluti in *cambiare*, LEG. SAL. *tit. XXXIX. §. I.* *concambire*, FORM. LINDENBR. CLXX. *concambiare*, LEG. SAL. *tit. XXXIX.* et FORM. LIND. XIX. Vid. LINDENBR. et CAR. DV FRESNE in *glossar. bis vocibus.*

§. CCCXCII.

Eam leges veteres aequiparant emtioni venditioni.

Hinc LEGE WISIGOTH. *Lib. V. tit. IV. §. I.* cauetur, *vt commutatio, si non fuerit per vim et metum extorta, talem, qualem et emtio, habeat firmitatem.* Quod ideo procul dubio prouisum, ne quis existimaret, locum in hoc similibusque contractibus esse poenitentiae.

tentiae. Ac proinde ea lex aliquoties repetitur in aliarum gentium legibus, veluti in LEGE BAIUVAR. tit. XV. Cap. VIII. et in CAPITVLAR. Lib. VI. §. CL. Quin in legibus vetustis coniunguntur aliquando res *comparatæ* et *cambiatæ*, veluti in LEGE SAL. tit. XXXIX. vt facile pateat, apud maiores pari veluti passu ambulasse emtionem ac permutationem, eandemque fuisse vtriusque contractus indolem. *)

- *) Et tamen aliquando permutare quibusdam licebat res suas, quum non liceret vendere, puta ecclesiis, earumque praelatis, LEX ALAM. Tit. XX. *Nullus presbyter, nec aliquis pastor ecclesiae, potestatem habeat vendendi ecclesiasticam terram, nisi contra aliam terram, nec mancipium, nisi contra aliud mancipium receperit.* Vbi notandum, vnderedici hoc loco, qui rem re permutat, non secus, ac apud HOMERVM *Iliad. Lib. VII. οὐνίς & δας* dicuntur Graeci, qui aes, ferrum, terga bubula, iuencos et mancipia pro vino dabant. §. 2. *Inst. de emt. vend.*

§. CCCXCIII.

In hoc quoque eadem erat vtriusque contractus indoles, quod vterque in scripturam redigi, vel adhibitis testibus perfici soleret, quoties res immobiles, aliaeue alicuius momenti, vel venirent, vel permutarentur. Alterutrum enim requirit LEX WISIGOTHICA Lib. V. tit. IV. §. III. At LEX ALAM. tit. XXXIX. de permutationibus rerum ecclesiasticarum praecipit: *Et si concambium fecerit, presbyter vel alius pastor ecclesiae, aut*
Eius re-
quisita.
de

de mancipio, aut de terra, semper epistolam firmitatis faciat, ut contentio non fiat, nec ecclesia perdat, quod legitime possidere debeat. Hinc tot formulæ et chartæ, super permutationibus conscriptæ, passim existant, veluti apud MARCVLF, *Lib. II. form. XXIII. et XXIV. adpend. Cap. XVII. FORM. BIGNON. Cap. XIV. FORM. BALVZ. Cap. XLVIII. GOLDAST. in chart. Alam. XVI. Tomo II. Script. rer. Alam.*

§. CCCXCIV.

Emtio venditio etiam apud Germanos vix quidquam singulare habuit; nisi quod, uti iam monuimus, vel litterarum testimonium, vel testium accedere soleret auctoritas. Add. LEX BAIVVAR. *tit. XV. Cap. II. §. I.* Immo de rebus immobilibus vix valebat venditio, nisi apud acta, et sollemniter facta. Vid. LEX RIPVAR. *tit. LIX. §. I. et tit. LX.* Solebant et ARRHAË dari, non in signum contractus perficiendi, sed iam perfecti, easque amittebat emtor, si iusto tempore non satisfecisset contractui, ita tamen, ut pretium nihilominus soluere teneretur. *) LEX BAIVVAR. *tit. XV. Cap. X.*

*) At ex LEGE WISIG. *Lib. V. tit. IV. §. IV.* emtor, qui pretium non solueret tempore constituto, arrham recipiebat, et contractus pro nullo habebatur, vel uti loquitur eius legis auctor, *res definita non valebat.* Quae sane mira est iuris dispositio, qualem nescio an alibi sis reperturus. Alias enim arrha datur in signum vel perfecti contractus, vel certo perficiendi, et hinc vocatur: *hassr-geld* SCHULT.

SCHILT. *Exerc. XXX. 34.* Sed iam textum emendandum putauit SCHILT. *ibid. §. XLII.* legendumque: *arrhas tantummodo non recipiat, quas dedit, et res definita valeat.*

§. CCCXCV.

Quae ipsa recta ratio inculcat, veluti quod vendi-
 non possint vendi res alienae, litigiosae, et tionis
 extra commercium positae, quod emtionem effectus
 venditionem non oporteat vi et metu esse ex-
 tortam, quod ad euictionem praestandam ob-
 ligatus sit auctor, et quae sunt huius generis
 alia, ea iam non confectabimur, quamuis
 de iis multa sint in legibus istis vetustissimis.
 Id tantum monemus, emtionem, semel per-
 fectam, ratam et firmam fuisse, LEX SAX. *tit.*
XV. §. I. nec rescindi potuisse, vel ob qua-
 lemcumque laesionem, LEG. WISIG. *Lib. V.*
tit. IV. §. VII. LEG. BAIVVAR. *tit. XV. Cap. IX.*
§. I. vel ob rei venditae vitium, nisi vendi-
 tor illud dolo malo celasset, LEG. BAIVVAR.
tit. XV. §. II. III. quamuis et hoc casu intra
 triduum redhiberi oporteret rem vitiosam
 venditam, nisi quis venditorem inuenire
 non potuisset, *ibid. §. VII.* CAPITVLAR. *Lib. V.*
§. CCX. vel inuentus venditor iurasset, se
 tempore contractus vitium hoc ignorasse.
ibid. §. VIII.

§. CCCXCVI.

Germani res immobiles vendi non patiebantur, nisi in iudicio.

Pleraque haec et iure SAXONICO et SVEVICO obtinuerunt. Nam et ex horum praescripto venditio rerum immobilium non erat rata, nisi facta esset in iudicio, et accedente resignatione. IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. LI. et Art. IX. Lib. III. Art. IV.* Similia sunt, quae ex IVRE PROV. SVEVICO adfert SCHILTER. *Exerc. XXX. §. XLI. Andes voigts ding mag niemand sein eigenes hingeben, dass es krafft mög haben. *)*

*) Haec enim non de donatione tantum, sed vel maxime de emtione venditione et permutatione sunt intelligenda. Neque enim alienatarum rerum immobilium dominium transibat ad vllum sine inuestitura, de qua supra, vbi de modis adquirendi iuris ciuilis actum, iam plura diximus.

§. CCCXCVII.

Periculum et commodum rei venditae.

Periculum apud SVEVOS transibat ad emtorem, simul ac perfecta erat emtio venditio, cuius perfectionis signum erat arrha, (*der leyhkauff.*) Ita saltem IVS PROV. SVEVICVM *Cap. CCXLVII. §. II.* in Meichsneriana: *Vnd gib ich einem mann ein gut zu kauff, vnd giebt er mir sein leyhkauff daran, vnd das gut bleibet in meiner gewalt, vnd wird es mir gestohlen, der schad ist sein, vnd mein nicht, hab ich sein gehütet, als ich von recht solt. *)*

*) Ita in Meichsneriana. In Bergeriana enim *p. 271.* legitur: *vnd giebt er mir seinen wert daran.* At faniolem hic esse priorem, ex duobus codicibus Vinde-

Vindebonensibus probat SCHILTER. *Exerc. XXX.*
 §. CVII. quorum alter membranaceus habet: *sin*
arre; alter chartaceus: *sinheffunge.* (§. CCCXIV. *)

§. CCCXCVII.

Rem vitiosam redhiberi potuisse, non magis est dubium, quam venditorem obligatum fuisse ad praestandam euictionem, si res vendita euicta esset. Duo tamen sunt, quae notatu non videntur indigna. Primum quod IVRE WEICHB. *Art. XCVII.* venditorum equorum quatuor vitia pro capitalibus habentur: *wann es stetig ist, oder star-blind, oder vnrechter ankunfft, oder hartschlegig.* Alterum, quod Iudaeus emtori suo ad euictionem non est obligatus. *) IVS PROV. SAX. *Lib. III. art. VII.* et WEICHB. *Art. CXXXVI.*

*) Idem IVS PROV. SAX. *ibid.* et hoc sub finem addit: *Was aber der Jude anders dings kauft, oder zu pfande nimmet, vnuerholen vnd verstothen, bey tageslicht, vnd nicht in beschlossenen häußern, vnd mag er des zeugen selb dritte, er behält seine pfennige daran, die er darum gab, oder darauf that, mit seinem eyde, ob es wol gestohlen ist, gebriecht es ihm aber an den gezeugen, er verleast seine pfennige.* Quae quidem iuris Saxonici dispositio originem dedisse videtur famosissimo priuilegio Halberstadiensi, de quo pluribus actum in STRYKII *vsu moderno tit. D. de fart. §. XXVII.*

§. CCCXCIX.

Iuris re-
tractus
origo.

Ceterum quum hodie nullus fit rescinden-
di venditiones modus magis quotidianus,
quam qui fit, vbi exercetur ius RETRACTVS:
eius quoque origo vere Germanica paucis
ostendenda est. Nimirum iam supra vidi-
mus, (§. CLXII.) alienationes rerum im-
mobiliū fieri non potuisse, nisi consen-
tientibus cognatis, maxime si essent bona
a maioribus ad possessorem profecta. (§.
CLXIII.) Itaque facile patet, bona hu-
iusmodi sine propinquorum consensu extra
familiam vendita, retrahi potuisse a cognat-
is; perinde ac si non fuissent vendita. Il-
lustris a LVDEWIG *diff. iur. ciu. et Germ. de
donat. Diff. V.*

§. CCCC.

Eius ve-
stigia in
lege ve-
tere Sa-
xonica.

Ex hoc itaque principio LEX SAXONICA
*tit. XVI. libero homini, qui hereditatem suam,
(sein erbe, seine stammgüter,) necessitate coa-
ctus, vendere vellet, iniungit, vt offerat eam
primum proximo suo; si ille eam emere nolue-
rit, tutori suo, vel ei, qui tum a rege super
ipsas res constitutus est, (loquitur enim textus
de libero homine, in tutela nobilis, exilio
muletati, constituto,) si nec ille voluerit, ven-
dat eam cuicumque voluerit. Quin eodem
pertinet locus eiusdem legis tit. XIV. §. II.
Nulli liceat traditionem hereditatis suae facere,
vt heredem suum exheredem faciat. Ex qui-
bus sane pronò alieo fluit, iure hoc anti-
quissimo*

quissimo Saxonico retrahere heredes proximos potuisse fundos auitos, venditos extraneis. *)

*) Quamuis vero aliae leges Germanicae id tam sollicitè non inculcent: dubitari tamen nequit, quin iidem fuerint et reliquorum Germanorum mores. Idque vel inde rectè colligit illustris a LVDEWIG: *praefat. Tomi. IV. reliquiar. §. V. p. 8. sequ.* quod et in superiore Germania fere semper in alienationibus bonorum auitorum adhibitus sit consensus liberorum, propinquorumque, etiam fororum, et quorumcumque heredum, ceu patet exemplis, quae ipse ille *Tomus IV. p. 31. 36. 43. 52. 53. 68. 74. 119. 123.* suggerit, vt iam alia eiusdem generis omittamus.

§. CCCCI.

Paullo post, quum IVS SAXONICVM, a Itemque Repkoui collectum, in magna inferioris in iure Germaniae parte auctoritatem iuris commu- Saxoni- nis consequeretur, multo minus dubium co re- centio- erat, quin bona auita, tamquam vniuersae re. familiae communia, *) retrahi possent a proximis cognatis, si illa sine eorum consensu venissent. Vbi enim monet IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. LII.* res immobiles auitas sine heredum consensu alienari non posse: statim addit: *Vergiebt er es aber wieder recht, ohn der erben vrlaub, die erben mögen sich ihres gutes wol vnterwinden mit recht, als ob der todt wäre, der es gab, darum daß es nicht vergeben mochte.*

*) De his sane bonis auitis accipiendum esse hunc locum diserte monet GLOSSA, ad Art. XXXIV. quamuis ea ad Art. LII. distinguat inter ius muni-

cipale et pagannum, addarque: *Solche veräußerung an angehörbenen eigen, nach weichbild recht, aber nach dorff-recht verstehet man es, von allerley eigen er sey gegeben, ererbet, oder erkaufft.*

§. CCCCII.

Nec non
in iure
Alaman-
nico.

Similis est locus IVRIS ALAMANNICI, qui in Meichsneriana fol. 66. in Goldastina Capite CCCVIII. occurrit, in Bergeriana vero et Schannatiâna a me quidem reperiri non potuit, quique apud GOLDASTVM ita se habet: *Geit einer sein eigen wieder seiner erben willen hin, vnd on des vogts ding, so sollen vor den richter faren, vnd sollend es versprechen, vnd der richter solle es da antwurten den erben.*

§. CCCCIII.

Et in iure
Lu-
becen-
sium,

Quum vero et IVS LVRECENSE inter iura Germanorum communia quodammodo referendum sit, quippe quod et ipsum a multis vrbibus ad mare Balthicum ciuitate donatum est: etiam eo quid de hoc relictus iure cautum sit, operæ pretium fuerit, inquirere. Eo vero pertinet locus *Lib. III. tit. VII. art. I.* *Wer frey erbgut, oder kurgende gründe verkauffen wil, der soll sie mit allen dingen anbieten den nächsten erben durch zweene hefessene burger, ob sie das annehmen wollen vor den preiß, was andere darumb geben. Wollen sie das nicht thun, so mag er das gut so theuer, als er kan, verkauffen, wenne er will, ohne alle gefahr. Dem rentener vorbehalten.*

*behalten seine gerechtigkeit, wo rente in dem
erbegut seyn, deme es für allen andern mus
angebothen werden,*

§. CCCCIV.

Quum itaque ex iis, quae hactenus dixi-
mus, consequatur, vt commune hoc ius o-
mnium Germanorum dicendum sit: facile
patet, quid statuendum sit de auctoritate
constitutionis Friderici II. Imp. V. *Feud.* 13. Confiti-
tutio
Fridrici
V. Feud.
13. qua-
lis?

Quamuis enim de eius vel *audivit* vel au-
doritatem forensi dubitent FACHIN. *controu.*
Lib. VI. Cap. XVII. et BERLICH. *Part. II. Concl.*
XXXIX. n. XV: negari tamen non potest,
eam constitutionem purum putum complecti
ius Germanicum, et licet ipsa fortassis au-
doritatem in foro non habeat, iura tamen
ipsa, in illa descripta, tantum non vbique
usu recepta esse.

§. CCCCIV.

Progredimur ad LOCATIONEM CONDUC-
TIONEM, in qua itidem non adeo multa
singularia habuerunt veteres Germani, nisi
quod aliquando ipsum dominium utile pro
certa mercede in alium videntur transtulisse
et conductorem obstrinxisse ad ferendum ca-
sum, vel rem in eodem genere restituenda-
dam. Talis sane est contractus SOCIDAE,
de quo ex instituto egerunt OTTO TABOR
STRYK. *vs. modern. Lib. XIX. tit. II. §. VII.*
et BEYER. *spec. iur. Germ. Lib. II. Cap. XXII.*
nec alia est multorum colonorum Germa-
norum

norum ratio, veluti *der curmeder, landesdeler, meyer*, et similia, in quibus nichil otium fecit illustr. cancellarius a LYNNE WIG. Sed quum prioris contractus in antiquo iure Germ. vix occurrat vestigium; *) de iuribus praediorum vero iam supra quaedam delibata sint: his iam immorari nolumus.

*) Sunt, qui hunc contractum ex ipso Romano deriuant, puta ex l. 8. C. de pact. immemorantur pecora partiaria. OTTO sane tractationis legis *αναλυσις* tractationi suae de iure tamquam fundamentum, subtrahit, ipse et alii faciunt Icti non imi subfellii. Ego vniuersales conventiones ne Romanis quidem ignotis esse facile fatior: ita ab iis haec pacta accepta veteres Germanicas, vix opinabile est, quum et viguerint in Germania, quam in eam ius Romanum penetrauit.

§. CCCCVI.

In ea eadem damni praestatio, ac in commodato.

At id notabile est, veteres paene pro eadem habuisse locationem rerum et commodatum, adeo, vt eodem vocabulo, *commodare vel leihen*, in vtroque contractu vsus sint. Sic SPECVLATOR SVEVVS Cap. CCXLVI. *Leihen* *bet ein mann dem andern ein pferd vmb leihen*. Et quis ignorat, hodiernum frequentissime dici, aliquem commodare equos, *er verleiht pferde*, qui illos pro certa mercede aliis locat? Itaque facile intelligitur, recte obseruasse SCHILT. *exerc. XXXI, §. 32.* et THOMASIVM *not. ad pand. Lib. XIX. tit. II.* conductorem eandem praestare culpam, quam praestet commodatarius. Quod etiam ex SPEC.

SVEV.

SVEV. *Cap. CCXLIV. sequ.* non obscure colligitur.

§. CCCCVII.

SOCIETATIS ne mentionem quidem faciunt leges veteres, praeterquam eius, quae fuit inter coniuges, et de qua supra ex instituto egimus. Neque enim eatum erat commerciorum ratio, vt ideo in societatem coire vellent mercatores. Neque HANSA, foedus, a pluribus vrbibus contractum, proprie ad commune lucrum comparatum fuit, sed ad libertatem commerciorum in regnis exteris, communi studio et iunctis viribus tuendam. CONRING. *de vrb. Germ. §. XCV.* Quum tamen vetus, et paene obsoletum, sit vocabulum *mascopey*, *) quod societatem apud nos significat: vix dubitandum videtur, quin, gliscentibus commerciis, huiusmodi societates particulares inter mercatores coalescere satis mature coeperint in emporiis Germaniae. **)

*) At vnde id vocabulum? Procul dubio a vetere *mage*, quod cognatum significat. Vnde *sbwerdmagen* agnati, *spillmagen*, cognati. Inde *magschafft* cognatio: *magschaffrey* ius quasi cognationis, et contracte *mascopey*. Inter socios enim veluti ius quoddam cognationis erat, vti apud Romanos ius fraternitatis, l. 63. *pr. ff. pro socio.*

**) Edidit vir consultissimus, HERM. LANGENBECK, iureconsultus, et reipubl. Hamburgensis senator anno MDCCXXVII. *anmerckungen über das Hamburgische schiff- und see-recht*, cuius prolegomenis inseruit veteres patriae reip. leges nauticas, anno MCCLXXVI. scriptas, inscriptasque: *De meine*

Rabe und de bürger van der Stadt Hamborg hebben dit schip-recht gewillkobet un vbtgegeven. In iis statim articulo I. mentio fit societatis, (*der hanse*) non quidem magnae istius, in quam tot civitates maritimae ac mediterraneae paullo post coaeruerunt, et quae *κατ' ἑξοχην* nomen hantiae Teutonicae tulit, sed a privatis Hamburgensibus contractae. Alii enim in Flandria, alii in Anglia, alii alibi negotrabantur, et hi fere singuli societates vel hantias contrahebant, de quarum institutis multa in vetustis istis legibus occurrunt, plura in libro isto bonae frugis plenissimo monuit laudatus LANGENBECK, qui inter alia, ad rem pertinentia, laudat diploma Henrici III. Angliae regis, Hamburgensibus anno MOCCLXXV. concessum, in quo et haec legas: *Concedimus mercatoribus de Hamborg pro nobis et heredibus nostris, quod ipsi habeant hantiam suam per se ipsos per totum regnum in perpetuum.*

§. CCCCVIII.

Itemque de contractibus innominatis?

Multo minus itaque est, quod veterum Germanorum doctrinam de contractibus innominatis hic expectes. Quae enim de permutationibus statuerint, iam suo loco vidimus. Reliquorum non fit mentio. Quum vero omni conventioni, animo deliberato initae, plenum effectum tribuerint Germani: non videtur dubitandum, quin et ex his perfecta nata sit obligatio, neque in illis ullus locus fuerit poenitentiae.

§. CCCCIX.

Axiomata de his contractibus.

Hic ergo repetenda sunt, quae supra de contractibus beneficis (§. CCCLXXXIII) monuimus, nimirum I) omnia fere haec hodie magis ex iure Romano, quam patrio, aesti-

actuari, adeoque II) fieri non posse, quin et, quod ad has conuentiones attinet, paucissimae supersint iuris Germanici reliquiae. Eas tamen confectari, quoad licuerit, non pigebit.

§. CCCCX.

Inter has reliquias merito retuleris, 1) Conclufiones de permutacione. quod et ex pacto de permutandis rebus hodie datur actio, STRYK. *vs. mod. Lib. XIX. tit. IV. §. I.* adeoque 2) in foris nostris locus non est poenitentiae, si alter ex sua parte nondum adimpleuit contractum. SCHILTER. *Exerc. XXXII. §. XI.* neque 3) ob hunc contractum aduersus illum, qui ex sua parte contractui non satisfecit; datur condictio caussa data, caussa non sequuta. SCHILT. *Exerc. XXIV. §. VIII.* STRYK. *vs. mod. Lib. XII. tit. IV. §. I. et III.* BEYER. *posit. pandect. ibid. §. XI.*

§. CCCCXI.

Sic et, quod ad EMTIONEM VENDITIONEM attinet, inter iuris Germanici reliquias merito retuleris, 4) quod et hodie res soli multis locis vendi non possunt nisi apud acta, subsequente resignatione iudiciali, idque non modo in Saxonia, et vbicumque ius Saxonicum et Lubecense viget, verum etiam 5) in Belgio obseruatur, siue ex statutis antiquis, vti Lugduni Batauorum, siue ex nouella Caroli V. constitutione die X Maii MDXXIX. edita, vti in vniuerso paene Belgio.

gio. SIM. VAN LEEVWEN *cons. Part. I. Lib. IV. Cap. XIX. §. III. et VI.*

§. CCCCXII.

De iure retractus gentilitii.

Maxime tamen huc pertinent, quae hominum obtinent circa IVS RETRACTVS GENTILITII. Quamvis enim 6) eo devenimus, ut raro in venditionibus requiratur cognatorum consensus: 7) his tamen competit ius retrahendi, sed ita 8) eorum personis inhaerens, ut cedi non possit. RICHT. *decis. CLXXVI. n. CLXXIV. GAIL. obs. Lib. II. Cap. XIX. n. VIII.* Quo casu 9) idem per omnia praestare tenetur retrahens, non modo quod ad pretium attinet, sed et quod ad impensas necessarias ab emtore factas. BEYER. *specim. iur. Germ. Lib. II. Cap. XXI. §. X. et XVII.* Ex quo facile patet, 10) retractui locum esse tantum in venditionibus, non in permutationibus, ubi non potest idem a retrahente praestari. CARPZ. *Part. II. Const. XXXII. Def. XV.*

§. CCCCXIII.

Et iure vicinitatis et congrui.

Addimus, 11) ex iure Germanico esse videri etiam IVS VICINITATIS, *das nachbar-recht* et IVS CONGRVI, quod vocant *das gespilde*, quod utrumque vulgo ex iure Romano, *l. vn. C. ne lic. habit. metrocom. vel l. 4. C. de locat. praedior. civ.* deriuare malunt. Nam et in antiquissimis statutis, quorum plura edidit SIM. VAN LEEVW. *cons. for. Part. I. Lib. IV. Cap. XX.* eius occurrunt vestigia, et ipsa sollemni-

lemnitas, a retrahentibus in Belgio adhibenda, mores Germanicos sapit, *) Attamen 12) alibi sufficit, retrahentem proximum vicinum esse, alibi 13) huic retractui non est locus, nisi quis iam partem praedii possideat. COTHM. *Vol. IV. Consil. XLII. n. V.* Quin 14) qui alterutro iure vult uti, eum, receptam esse eo loco consuetudinem, probare debere, facile largior, nisi de eo ex statutis manifesto constet. STRYK. *vs. hodiern. Lib. XVIII. tit. I. §. XVIII.*

*) Sollemnitatem hanc ex GROT. *introd. Lib. III. Cap. XVI.* ita describit VAN LEEVW. *ibid. §. I.* *Retrahens coram magistratu loci rei sitae, vel alioqui septem vicinis, compareat, sub quorum praesentia, se retractus iure uti velle, debeat, simulque in ipsius actus confirmationem terrae et graminis rei venditae fasciculum manu sua attingat, radicatusque exsecet: vulgo aard ende gras-roeringe, quo facto emptori diem iudicii praefigere debet.*

§. CCCCXIV.

Vt tamen aliquando finis adesset litium et sollicitudinis: 15) plerisque locis brevis fati-^{usque durarie-} tempus anni, a die notitiae numerandi, ei rei praefixum est, quumque alias in huiusmodi breviori praescriptione plerumque anno superaddatur dies Germanicus, id est, tempus sex hebdomadum et trium dierum: hic 16) naturalem annum sufficere, contendunt: CARPZ. *Part. II. Const. XXXII. def. IV.* quamvis 17) in hoc ducatu superaddi diem Saxonicum iusserit rescriptum regium apud STRYK. *vs. modern. ibid. §. XVII.*

§. CCCCXV.

§ CCCCXV.

De iure
socidae
ex con-
tractu.

Quod ad LOCATIONES CONDVCTIONES atti-
net, 18) ne hodie quidem ignotus est, CON-
TRACTVS SOCIDAE, eoque inito, 19) condu-
ctor sustinet periculum, omnemque fert ca-
sum, etiam insolentissimum, veluti pestilen-
tiam, nisi quosdam diserte exceperit: et con-
tra 20) omne commodum atque incremen-
tum lucratur. BEYER. *specim. iur. Germ. Lib.
II. Cap. XXII. §. IV. sequ.* Ex quo facile pa-
tet, 21) cur haec pecora rebus immobilibus
accenseantur. CHASSAN. *consu. Burg. rubr. IV.
§. II. n. XXVIII.* et 22) cur aliquando certus
pecorum numerus ita in feudum detur, vt,
feudo finito, totidem eiusdem generis re-
stituatur. ANTON. *disp. feud. XIII. §. IV.
D. 6.*

§. CCCCXVI.

Et iure
dominii
compe-
tente.

Quin 23) et ius socidae quibusdam locis
animaduertimus esse legitimum, competen-
s dominis in praediis colonorum, eatenus, vt
si hi emigrare velint, in praediis relinquere
teneantur certum pecorum numerum, qui
vocatur *die wehrung*, quia pertinet ad instru-
mentum fundi. (*zum hoff-gewebr.*) Viget
sane hoc ius in Hassia et Thuringia, de eo-
que pluribus agunt HVSAN. *de homin. propr.
Cap. VIII. n. X.* BEYER. *ibid. §. XXXIV. sequ.*
qui etiam obseruant, 24) in agnitionem hu-
ius iuris domino, maxime qui et pascua si-
mul locauit colonis, quotannis certos agnos,
et

et pelles, vel certam quantitatem feui praestari.

§, CCCCXVII

Quum denique de SOCIETATE et CONTRA-De fo-
 CTIBVS INNOMINATIS nihil omnino singulare cietate
 in vetere iure Germanico occurat: per se et con-
 patet, 25) has conuentiones secundum axio- tractibus
 ma I. (§. CCCCIX.) ex iure Romano, tam innomi-
 quam communi, esse aestimandas, praeter-
 quam quod 26) in posterioribus non esse lo-
 cum poenitentiae, saepe monuimus, quam
 doctrinam veram esse, agnoscunt omnes, et-
 iam qui alioquin, vniuersum ius Romanum
 in Germania vsu receptum esse, magnopere
 contendunt.



TIT. XV.

DE CONVENTIONIBVS ONE-
ROSIS, ALEAM CONTINEN-
TIBVS.

§. CCCCXVIII.

Transi-
tio ad
conuen-
tiones
aleam
conti-
nentes.

Conventiones, quas superiore titulo ex-
pendimus, certam ac conuentam ha-
bent praestationem: iam pro insti-
tuti ratione et de iis, quae ALEAM CONTI-
NENT, pauca subiicere animus est, quum
eas maximi semper fecisse maiores nostros,
argumento non vno compertum habere vi-
deamur.

§. CCCCXIX.

Germa-
ni aleae
studio-
sissimi.

Studiosissimos enim aleae fuisse Germa-
nos, aequae ac alias gentes, tum septentrio-
nales, tum orientales, iam supra (§.
CCCXXXI. *) obseruauimus ex TACITO *de*
morib. Germ. Cap. XXIV. ex quo loco et-
iam discimus, tanta religione ac fide collu-
sisse inter se maiores nostros, vt quamcum-
que conditionem, etiamsi durissimam, ex-
pacto subire non dubitarint, vt merito inde
colligamus, I. aleam, omnesque conuentio-
nes aleam continentes, Germanis fuisse lici-
tas: II. in iis fidem religiose seruandam, et
legibus conuentis accurate satisfaciendum
fuisse.

§. CCCCXX.

§. CCCCXX.

Equidem postea, quum Christo nomen ^{Quam-} darent Germani, odiosa esse coepit alea, sed ^{uis eam} maxime, si illi indulgerent episcopi et cleri- ^{leges pa-} ci, quos Carolus M. excommunicari; ^{rum pro-} ^{barent.} CAPITVL. Lib. VI. §. CCIII. Ludouicus vero Pius per tres annos sacro ministerio priuari volebat. CAPITVL. *addit.* III. §. LIII. quamuis priore loco et in laicos vibretur hoc fulmen, *qui in alea permanserint.*

§. CCCCXXI.

At non obsoleuisse ideo consuetudinem ^{Exem-} alea ludendi, nec minorem fuisse postero- ^{plum e} rum in legibus ludorum seruandis siue fidem, ^{faeculo} siue peruicaciam, quam Germanorum tem- ^{X.} pore TACITI, lepido exemplo Ezonis Palatini ostendi potest, quod fufius retulit MONACHVS BRAVWIL. *de Ezone et Mathilda Cap. I. apud LEIBNIT. script. rer. Brunsv. T. I. p. 315.* Hoc enim alea ludente cum Ottone III. Imp. placet conditio, *vt cui per tres continuas vices victoria proueniret, alterius potiretur rebus optimis, etiam quibus vellet.* Ter victor Ezo, Mathildam, Ottonis sororem, praemium victoriae, postulat, eamque impetrat ab imperatore, existimante, *non esse regii honoris, si mendax fieret suae sponfionis.* *)

*) Ibidem obseruat MONACHVS, *inter reliqua admirandae sagacitatis indicia* Ottonem III. adhuc puerum *satis effuluisse peritum in construendo siue dissoluendo flexuoso alearum schemate, vt neminem crederet fore, qui in hac arte praeualeret aduersum*

se. Ex quo loco sane discimus, tum inter prae-
cipuas aulae voluptates fuisse lusum aleae, vel uti
ex descriptione recte colligit LEIBNITIVS, *scaccho-*
rum vel latrunculorum.

§. CCCCXXII.

Quid iu-
ris in Sax.
circa
aleam?

Fatendum tamen est, insequentis aevi le-
ges non aequae fauere aleae, omnibusque
ludis, in quibus fortuna dominatur. Hinc
IVS PROV. SAX. *Lib. I. Art. VI.* heredem non
obstringit ad soluendum, quod defunctus
lusu perdidit: *Dieberey, raub oder spiel-
geld ist der erbe nicht pflichtig zu gelten.* Quin
ne ipsum quidem collusorem teneri statuit
IVS WEICHB. *Art. CI.* *Beklagt jemand den
andern umb ein geld, er soll benennen vor
dem richter, warumb man ihm das schuldig
sey. Wenn es ist umb spiel, da darff er ihm
nicht umb antworten, noch der richter auch
nicht richten.* Conf. IVS PROV. SAX. *Lib.
III. Art. XLI.*

§. CCCCXXIII.

Quid iu-
re Sue-
uico?

Similis est SPECVLATORIS SVEVI seue-
ritas. Nam et is *Cap. CCLV.* negat, heredem
teneri ad soluendam pecuniam lusu perdi-
tam. Idem *Cap. XXXIV.* pecuniam, a filio
minorene alea perditam, a patre condici pa-
titur, non quam perdidit maiorenis, nisi
mente captus fuerit vel fatuus. Denique
idem *Cap. CCL.* dat domino vindicationem
rerum suarum, quas seruus lusu perdidit,
non earum, quae ipsius serui fuerunt. Qua-
lia

lia etiam legimus in IVRE PROV. SAX. *Lib. III. Art. VI. *)*

*) Non praetermittenda hic videntur, quae de aleatoribus ad hunc articulum addit GLOSSA, quum et ista ad ius non scriptum medii aevi pertineant. Primo de collusore, qui tesseras talosue adulterinos circumfert, obseruat sequentia: *Bey welchem spieler man falsche würffel findet, über den soll man richten als über einen dieb. Auch sind alle dieselben recht- und ehrloß, und mögen in keinen rechten eines biedermans statt haben, noch vortreten. Auch ist all ihr gut ein verwürckte gut.* Deinde de illo, qui talis huiusmodi vsus est, additur: *Wer mit falschen würffeln spielet, der verlust die hand, ob er des überwunden wird.* Denique de illo, qui talario ludo facultates suas perdidit, obseruat GLOSSAE auctor: *Hätte einer auch sein gut verspielet, und hätte ferner nicht zu geben, was er verspielet hat, man darff ihn darumb vor keinen richter beklagen. Man mag ihn auch höher nicht pfänden, dann umb das, so er umb und an hat. Entlaufft er aber: so ist er gar loß.* Haec priscae feueritatis ac disciplinae exempla eo minus omittenda putauimus, quo magis credibile est, haec scripturos non fuisse viros bonos, quos in concinnanda glossa elaborasse nouimus, nisi satis illis compertum fuisset, haec omnia vsu in patria sua seruari.

§. CCCCXXIV.

Talia sunt, quae de ipsa alea ac ceteris ludis cauent leges Germanicae. Ad huiusmodi vero conuentiones recte etiam referas Sponsio-
nis ex-
emplum. SPONSIONES, quibus aliquando, posito aliquo, vel promisso, de rei incerto euentu inter se Germani quoque contendebant. Illustrissimum est exemplum Ottonis IV. Regis

gis Rom. et Philippi, Regis Francorum, quorum hinc sibi stipulabatur vnum ex illius equis, promittens contra tres ciuitates optimas, si vel folius Saxoniae proceres electionem illius ratam essent habituri. Rem fusius narrant ARNOLDVS LVBEC. *chron. Slav. Lib. VII. Cap. XVII.* et MONACH. PADVAN. *ad ann. MCCX. CHRON. BRVNSV. RHYTHM. Cap. XLVIII. v. 35.*

§. CCCCXXV.

Quid iuris circa sponsiones? Sed haec quidem sponsio magis ad irridendum Ottonem comparata, quam ex animo promissum praestandi profecta, videtur. Alioquin non est dubium, quin et sponsio de re honesta ex Germanici iuris principiis eo magis valuerit, quo certius constat, pacta quaelibet, bonis moribus haud aduersa, religiose seruanda existimasse maiores nostros, fidei, vt par est, studiosissimos. *)

- *) Ceterum Germani sponsiones huiusmodi pro poena conuentionali habuisse videntur, quasi quis sibi ipsa voluntate sua certam poenam decreuisset, qui parum felice ingenio ac *ευσοχία* fuisset in diuinando. Id sane sibi vult verbum *wetten*, quod poenam significasse maioribus nostris, lippis ac tonsoribus notum est, Est hoc verbum a Germanico *wette*, quod legem etiamnum significat apud Belgas, adeoque *wetten* est poenam legitimam praestare, vt ineptire videatur glossator ad IVR. PROV. SAX. *Lib. III. Cap. LXII.* dum scribit: *Wetten beist so viel, als wehe thun.* Quae etymologia per omnia similis est illis veterum iureconsultorum, veluti, quod *mutuum* dica-

dicatur, quod *ex mea fiat tuum*, testamentum quasi *testatio mentis*.

§. CCCCXXVI.

Eiusdem indolis quodammodo est con-
uentio, quae BODMERIAE nomine venit, Bodme-
riae an-
qua navis patrono spe maiorum vsurarum tiquitas.
certa pecuniae summa credebatur, ea lege
ac omine, vt, salua redeunte carina, tan-
tumdem cum foenore redderetur. MAR-
QUARD. *de iure mercat. Lib. II. Cap. VIII.*
Certe satis antiquum hoc esse conuentionis
genus, et natum in Germania, simulac illa
negotiationibus maritimis operam dare coe-
pit, patet ex IVRE WISBYENSI *Art. XL.*
Hoc enim ius iam saeculo XII. condi coepif-
se, satis constat ex praefatione, quam ex co-
dice antiquo extulit LEIBNITIVS *script. rer.*
Brunsv. Tom. III. pag. 750.

§. CCCCXXVII.

Et quamuis aliarum eius generis conuen-
tionum vix mentio fiat in legibus Germani-
cis: eadem tamen omnium videtur fuisse rati-
o, nempe vt omnes contractus, aleam con-
tinentes, vel in quibus fortuna dominatur,
feruandi viderentur, nec quisquam con-
queri posset de laesione, modo alter a dolo
esset alienus. Attamen semper Germani ab-
horruerunt ab emtione futurorum fructuum,
non quod, spem emi pretio non posse, ex-
istimarent, sed quod illa emtio plerumque
cum insigni dardanariorum nequitia esset

Emtio
fructu-
um fu-
turatorum
prohibi-
ta.

coniuncta. LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXXL §. vn.* *Nemo propter cupiditatem pecuniae aut avaritiam det pretium, ut futuram emtionem sibi praeparat, ut duplum vel triplum recipiat, sed tunc tantum, quando praesentes sunt FRUCTVS, sibi illos comparet.*

§. CCCCXXVIII.

Axiomata de contractibus aleam continentibus.

Itaque vel ex his exemplis satis patet, I) Germanos et in conventionibus aleam continentibus fidei fuisse studiosissimos, adeoque II) omnes huiusmodi pactiones ratas esse voluisse, quae nec de rebus turpibus, nec dolo malo, nec contra bonos mores, essent initae.

§. CCCCXXIX.

Si iure Germ. et hodie sunt liciti.

Itaque facile reddideris rationem, 1) cur et hodie omnes, quibus est libera res suas administrandi facultas, et ludendo fortunam experiri, et 2) spem emere, et 3) bodmeris, adsecurationibus, lotariis, olla fortunae, similibusque conventionibus, sese obstringere, et 4) sponsonibus alios prouocare possint, et cur 5) in his omnibus, ea, quae ab initio sunt voluntatis, ex post facto necessitatis effluenteantur, 6) eatenus saltem, ut et, quae alea, alijoue lusu, perdita sunt, ne ex legibus quidem Germanicis tamquam indebita repeti possint. *) FVS-KNECHTS-BESTALLVNG *Spirae MDLXX. Cap. CXI. ORD. POLIT. MAGDEB. Cap. LV. §. V. STRYK. vs. modern. Lib. XI. tit. V. §. IV. sequ.*

*) Id

*) Id et alibi vsu seruari docet SIM. VAN LEVWEN *cons. Part. I. Lib. IV. Cap. XIV. §. X.* eiusque rei hanc reddit rationem, quod quum vterque collusor in pari turpitudine versetur, melior merito caussa esse debeat possidentis. *l. 12. C. de cond. ob turp. caus.* Enimuero vti hoc verum esse facile largimur eo casu, si quis lusu, publica lege prohibito, pecuniam perdiderit, quamvis tunc fisco ius sit, lucrum illud, tamquam scelere quaesitum, victori exorquendi: ita haec ratio reddi nequit, si ludus in se non prohibitus est. Est enim tunc ex pacto solutum id, quod naturaliter saltim debetur. Id vero condici non posse, tamquam indubitum, ex ipso etiam iure Romano satis notum est. *l. 66. ff. de condict. indeb.*

§. CCCCXXX.

Hinc; quod ad BODMERIAM attinet, ob Specia-
 axioma I. eiusque conventionis finem, recte tim bod-
 cauent leges nauticae, 7) vt magistri nauium meria.
 pecuniam quidem hac lege mutuam accipe- Quis
 re possint, sed non nisi exercitorum, si hunc
 sentes sint, consensu, vel, 8) iis absentibus, contra-
 urgente necessitate: *) *Wann ein schiffer be- eat?*
weißlichen schaden an dem schiff oder schiffs-
reitschafft genommen, vnd der oerter kein geld
auf wechsel an seine reder vberzuschreiben,
bekommen könnte, oder er hätte auch im schiff
keine güter, die er zu bessern vorthail der re-
der verkauffen könnte. IVS NAVT. HANSEAT.
Art. VI. §. II. 9) Vt, si dolo malo magister
 nauis pecuniam mutuam sumat sub lege bod-
 meriae, non exercitores, sed ipse, eo no-
 mine teneatur. *ibid. §. III.* quin infamia no-
 tetur, si plus sumserit mutuum dolo malo,

et sine necessitate, quam naus, merces illi debita, et armamenta naus, *die schiffs-gerechtschafft*, valeat. STATVT. HAMB. *part. II. tit. XVIII. art. III. IV.* immo hoc casu aliquando plañe poena corporis afflictiua vel capitali afficiatur. IVS NAVT. HANS. *Tu. VI. §. III.*

*) Casus hos necessitatis, quibus fas sit magistro fa-
lem conuentionem inire, accuratius recenset
STYPMANN. *in iur. marit. Part. III. Cap. V. n. LXX.* sequi quamuis non adeo accurate eo referat
casum, si quis ad nauim fabricandam pecuniam
crediderit. (§. CCCCXXXIII. *)

§. CCCCXXXI.

Pericu- Eadem natura huius contractus exigere vi-
lum su- deatur, 10) vt periculum in se susciperet
stinet creditor, adeoque, 11) pereunte vel inter-
creditor. cepta naue, nec magister, nec exercitores
tenerentur, nisi quod 12) posteriore casu ae-
quum videretur, vt debitor iura sua in naue
cederet creditori. STATVT. HAMB. *ibid. §. VI.*
13) Vt nauta, naue bodmeriae onere obtri-
cta, breuiore quidem, at non longiore via,
sine creditorum consensu iter facere posset.
Ibid. §. VII. ac 14) iactu facto, et iis, quo-
rum res seruatae sunt, in partem damni ve-
nientibus, non simul aestimaretur pecunia sub
lege bodmeriae credita. Id quod voluit ver-
ba STATVTI HAMB. *ibid. §. VI. Von boddemerey-
geld ist man nicht schuldig, einige hauerey zu
bezahlen.*

§. CCCCXXXII.

§. CCCCXXXII.

Ceterum quum aequissimum sit, pro ma- ^{Vfus}gnitudine periculi etiam ^{maiores}vfuras intendi: con- ^{capit sal-}sequens est, 15) vt et hic creditor sibi maio- ^{ua cari-}res, quam vulgo permittitur, vfuras stipula- ^{na.}ri possit, e. g. centesimas. MARQY. *de iure ma-*
rit. Lib. II. Cap. VIII. n. V. Et ex eadem ra-
tione collegerunt doctores, 16) adpellente in-
portum carina, adeoque cessante periculo,
vfurarum cursum sisti, sed tunc debitorem
statim obstrictum esse ad expungendum no-
men, nisi quod ei dantur viginti dierum in-
duciae ad merces distrahendas. SCHOTTEL. *von*
unterschiedlichen rechten in Teutschland Cap.
XXII. §. VIII. p. 424.

§. CCCCXXXIII.

An 17) pignori sit creditori carina, non- ^{Credito-}dum inter doctores conuenit, pluribus id ne- ^{ris quae}gantibus, nisi carina expresse sit oppignora- ^{iura sint}ta: STYPMANN. *iur. marit. Part. III. Cap. V. in cari-*
n. LV. sequ. STRYK. *ad Lauterb. p. 407. et 631. na?*
et de action. inuestig. I, 7, 28. at certissimum
tamen est, 18) concurrentibus pluribus cre-
ditoribus, eos, qui sub lege bodmeriae cre-
diderunt, priuilegio aliquo gaudere prae chi-
rographariis: STYPMANN. *ibid. n. LIX.* nec ire
in tributum, sed, qui priores tempore sunt,
potiores iure haberi, saltim ex STATVT. HAMB.
Part. II. tit. XVIII. §. II. quum 19) iure Hol-
landico praeferatur tempore postremus, VINN.
ad PECK. in l. 1. §. 8. ff. de naut. foen. lit. a.

quod merito miratur SCHOTTTEL. *ibid.* §. IX. Nec minus in confesso est, 20) creditoribus huiusmodi praeferendos esse eos, qui in construendam navem pecuniam crediderunt. Hinc Belgae, *Een byl-brief gaet vor bodemerie-brief.* VINN. ad PECK. ad l. non autem D. de exerc. act. lit. a. p. 95.

*) Differunt ergo quam maxime instrumenta, quae vocantur *bylbrieffe*, et quae dicuntur *bodemeriebrieffe*. Illa enim pertinent ad pecuniam fabricandae navis causa creditam; haec ad pecuniam creditam in carinam navis. Praefertur autem semper illa pecunia, adeo ut inter causas, ob quas periclitantur creditores, qui in carinam navis aliquid crediderunt, praecipua sit, si adsint, qui ad fabricandam navem crediderint. *vide ibid.*

§. CCCCXXXIV.

Ex eodem principio (§. CCCCXXVIII,) Spon-
 siones iure patet, 21) ne SPONSIONES quidem iure Germani-
 Germ. co in se illicitas esse, ac proinde 22) vel ma-
 licitae. xime probari eas, quae inter mercatores
 sunt frequentissimae, quas defendunt SAN-
 TERNA de adsecur. et spons. Part. II. STRAC-
 CHA de spons. Part. III. n. II. WEHN. observat.
 pract. voce wetten. STYPMANN. iur. marit. Part.
 III. Cap. VI. §. LX. sequ. quamvis 23) meri-
 to deneganda sit actio ei, cuius vel dolus
 malus pellucet, vel 24) qui de re inhonesta
 huiusmodi sponsonem fecit. STYPM. *ibid.*
 §. LXXXVII.

§. CCCCXXXV.

§. CCCCXXXV.

Si ergo sponſiones inter mercatores va- Et maxi-
lent: (§. CCCCXXXIV, 22.) ne dubitare me ad-
quidem fas eſt, 25) quin iuſtiſſimam omni- ſecura-
no cauſſam habeant ADSECVRATIONES, tionēs.
per quas intelligimus conuentiones de peri- Earum
culi mercium, alio tranſuehendarum, auer- natura.
ſione pro certo præmio ſuſcipienda. *) STYPM.
iur. marit. Part. III. Cap. VII. n. CCLXII. Ex qua
definitione illico patet, 25) tria huius con-
tractus ſubſtantiam ingredi, conſenſum, pe-
riculi auerſionem, et præmium: *ibid. n.*
CCLXIII. 26) ipſasque prudentiæ regulas
exigere, vt leges huius contractus referan-
tur in litteras, quæ a mercatoribus POLIZZA
vocantur, quasque accurate deſcribit WERLH.
difſertatione de polizza.

*) Veteres etiam Romanos ſimile quid habuiſſe huic
contractui oſtendunt *CVLPIſ. colleg. Grot. diſp. VI.*
ad lib. II. cap. XII. §. VI. IO. LOCCEN. *iur. marit.*
Lib. II. Cap. V. §. II. immo et *GROT. ibid. §. III. n. V.*
Attamen ipſius adſecurationis originem alii ad
ſæculum XIV. referunt, vti *HERT. parœm. iur.*
XLIII. §. VII. alii ad Iudæos, qui iam ſub Da-
goberto, Philippo Auguſto et Philippo Longo,
regibus Franciæ, uſi ſint litteris adſecurationis
(*polices d'assurance*) ad Gallos aere emungendos,
maxime poſtquam, Gallia extorres facti, in Italiam
aliasque prouincias ſeceſſerint. Pluribus hæc
exſequitur *AVCTOR VSVVM CONSVETVDINVMQUE*
MARIS, Part. II. art. I. in addit. p. 218. ex quo
luculentiffima excerpta dedit IO. WERLHOFF. *diſſ.*
de polizza. ſect. II. §. VIII. p. 28. ſequ.

§. CCCCXXXVI.

§. CCCCXXXVI.

Quis ad-
securare
possit, et
quid?

Quum itaque haec conuentio consensu auerfione periculi, et praemio constet: (§. CCCCXXXV, 25.) consequens est, 27) vt adsecurationem inire possint, quorumque possunt consentire et negotiari. STYPM. *ibid.* §. CCLXXIV. 28) Vt recte suscipiatur periculum rerum, quarum certa est aestimatio, immo et personarum, non modo seruilis conditionis, e. g. aethiopum Afrorum in Americam transuehendorum, sed et liberarum, multoque 29) magis nauis, et 30) mercium illi impositarum, tum paruarum, tum magnarum, ORDIN. ADSEC. *Philippicae Art. IV.* modo, 31) praeuia aestimatione, et peritis facienda, eae in indicem referantur, nec 32) sint legibus publicis inuehi euehiue prohibitae. STYPM. *ibid.* §. CCLXXXVI. *sequ. et CCCXLIII.* GROENEW. *ad introduct. Grot. Lib. III. p. 24. **)*

*) Quamuis enim liberi hominis nulla sit aestimatio: potest tamen conueniri, vt e. g. persona a Turcis, vel piratis capta, certa pecuniae summa, vel litrum ab adsecuratoribus praestetur pro certo praemio. Formulam reperies apud WERLHOFF *de policeza p. 72.* vbi quidam suscipiunt *alle den rijk ende prykel van de persoon, die van den Turcksof hantse- rife see-rovers overkomen mochte.* Totam formulam paullo post dabimus §. CCCCXXXVII.

**) Legibus et moribus exclusae sunt et aliae quaedam res, veluti cibaria, quae et facile corrumpuntur, COCCEL. *de adsecur.* §. XXXVII. et inter nauigandum absumi solent, adeoque raro eum in finem imponuntur nauis, vt salua in portum veniant. Eiusdem generis sunt stipendia nauarum,

tarum, militumque, quae excipit ORD. AM-
STELOD. art. X. XI. et XX. In rationes inquirat
STYPM. Part. IV. n. 279. sequ. p. 126.

§. CCCCXXXVII.

Ex eodem colligunt, 33) vnus periculi ex-
presso genere, e. g. naufragio, adsecurantes Quod pericu-
lum sus-
cipiatur?
de reliquis non teneri: alias 34) periculi vo-
cabulo omnes casus fortuitos comprehen-
di, damnaque, quae extrinsecus, per vim
maïorem obueniunt, non, quae ex vitio rei
oriuntur, e. g. si vinum acefcatur, aut ligna a
teredine corrodantur. Adeoque 35) optime
sibi consulere contrahentes, qui casus in po-
lizza exprimant, quos adsecutores prae-
stare velint, e. g. *aan der zee, vur, winde,
vrienden, vianden, brieven van marque vnd
contremarque, van arreste, ende detentie
van königen, prinzen ende heren, ende van
alle pericul, ende fortuinen, die dar souden
mogen overkomen*, etc. ORD. PHIL. Art. I. STYPM.
ibid. §. CCCXXXV. WERLH. *ibid.*

§. CCCCXXXVIII.

Quin ex ipsa huius conuentionis indole Quibus
legibus?
colligi potest, 36) adsecutores et certas le-
ges addere posse contractui, e. g. vt naus
certam viam teneat, certos portus euitet,
locis periculosis viae peritos, (*piloten*) ad-
hibeat. 37) Perinde esse, siue praemium sta-
tim soluatur, siue promittatur in certum
diem: idque 38) pro magnitudine periculi
intendi posse, ac in ciuitatibus maritimis
et

et emporiis plerumque iam tum notum, et veluti legitimum esse. 39) Id quoque exprimendum esse in polizza, cuius hic formulam subiicere, operae fuerit pretium. *)

*) Et quidem quum rariores sint adsecurationes personarum liberarum: formulam huc transferemus, cuius supra meminimus, ex WERLHOFFIO p. 72. et quidem lingua Belgica, qua plerumque uti solent mercatores in hoc contractu: *Wy ondergeschrevene assureurs beloven ende bekennen hiermede, te versikeren, ende versikern ock mits desen aen u N. de somme van elk een by ons hier ondergespecificeert, tegens 5. procento praemie. Dienvolgonde nemen wy assureurs alle den risico ende perykel van de person von N. so demselven van de Turckse of barbarise seerovers overkomen mochte, tot onsen laste, in diervoegen, dat ingevall' voornoemden N. op voorseide reise van gemelde see-rovers (dat Godt verhoede) genomen werden soude, so willen wy assureurs, hier onder geschreven, dan schuldig zyn, elk een onse geteekende somme sonder eenige kortinge en tydverlopinge, exceptie, of tegenspraeck, so haest dat tyding sal gekommen, en ons geintimeert zyn, aen den bringer deser police promptelyk te betalen, en of dit tot N. met minder geld geranzioneert wierde, als dese assureantie bedraegt, so sal sulcks ons niet tot voordeel gereckent worden, beginnende den risico van de wyre aen, dat voorseide N. gemeldte schip van N. te seyl gegaen, en sal duyren, tot dat deselve tot N. gearriveert sal wesen. Waer von wy alle den risico dragen, ende tot onsen lasten nemen; ende verobligeeren ons, in cas van verlies of schade, (dat Godt wil verhoeden,) dese assureantie van al sulken krachten waerde houden, als wanneer dar een police in de beste een behoorlykste form over gemaect, en by ons onderteekent ware, sulks dat ons't selue toekomende beydertyeds in 't ministe niet en sal praediceren. Alles, ter goeder trowen, sonder enige arg ofte list. Gedaen tot H. den -- Anno. formulae huiusmodi subscribere solent adsecutores,*

tores, expressa summa, et praemio, et quidem si illud praenumeratum sit: *Ek Ian Ianssen ben tho freden in deese assureantie, (de Godt beware,) de somme van 3000. M. Lub. van Cadix p. Hamborg tegens 12. pro cento, ende bekenne, betaelt te zyn van den pryß van deese assureantie dor de banden van Cornelis Martens. Dat.* Sin nondum solutum sit praemium: *Eck Dicrick Poppe bin tho freden in dese assureantie, (die Godt beware,) für 500. M. Lub. die praemie a 3 pro cento gereknet, over dryy maenden tho entsfangen. Datum.* Et sic reliqui quoque ordine subscribere solent, vt adpareat. quantae quisque partis, et cuius spe praemii, periculum in se susceperit.

§. CCCCXXXIX.

Vbi ergo de damno certiores facti sunt ad-^{Effectus}securatores: 40) omnes tenentur soluere^{adsecu-} summam, quam se eum in casum soluturos,^{rationis.} receperunt, modo 41) damnum extra portum, et sine culpa nautarum, obuenerit, et 42) contractui per omnia satisfactum sit. Vnde nemo dubitauerit, 43) quin si in dolo fuerit adsecuratus, veluti, si sciuerit, iam tum illo tempore, quo contraxit, nauem periisse, ei nihil debeatur, at 44) nec adsecuratores acceptum praemium lucrari possint, si nauis impedita sit, quo minus portu solueret, quamuis 45) eo casu dimidium pro centenis lucrari soleant. *) ORDIN. AMST. Art. XXII.

*) Vocatur ea praemii restitutio *restorno*, eaque peti potest intra menses quatuor, quando adsecurator non fert periculum, siue adsecurato merces, quas naui imponere decreuerat, non missae sint, siue eae iusto ferius nauclero traditae sint, siue hiems aliaque iusta causa inciderit, quae moram iniecerit nauclero, vt portu soluere non potue-

potuerit. Vid. ORDIN. ADSEC. PHILIPPI II. *Reg. Hisp. eiusdemque ius parit. Part. III. tit. I. Art. XVI.*

§. CCCCXL.

Actiones inde natus. Quare 46) ex hac conventionione plures nascuntur actiones. Nam 47) certior de nauis interitu vel alio casu aduerso factus adsecuratus agit aduersus adsecutores, eorumque heredes; ad damnum pro ea parte, quam quisque se praestitutum recepit, refarciendum. 48) Si quis adsecutorum suspectus sit de non soluendo, eidem datur actio ad praestandam cautionem. *LOCEN. iur. marit. II. §. 8.* 49) Naue impedita, iure repetit praemium, salvo lucro; quod *ristorno* vocant (§. CCCCXXXVIII, 45). Denique 50) naue rebusue saluis, nec praemio soluto, adsecutoribus competit actio ad praemium, idque, quod interest, si moras nectat adsecuratus, consequendum. *WERLHOFF. de polizza Cap. I. §. XVII.*

7) Quum vero bis dare videatur, qui cito dat, et plerumque maxime interit adsecurati, vt quamprimum in certanis praestetur: moribus receptum est, vt adsecutores, qui, facta denunciatione, illico repraesentant pecuniam, detrahere possint singulis centenis imperialem vnum, Hamburgi duo, alibi tres. *WERLHOFF. de polizza Sect. II. §. XVI. p. 20.* vbi verba conventionionis adsecur. *Hamb. anni MDCLXXVII. §. III.* adducit: *Wann schade fällt, so sollen die Assureurs denselben von der zeit ab, da behörlicher beweiß davon eingebracht, in zwey monatß völlig, oder mit kürzung 2 pro cento alsbald zu bezahlen schuldig seyn.* His geminant illa in conventionione anni *MDCXCVII. §. II.* *Vnd so innerhalb 2 monatße von dem dato an, daß die*

die anforderung geschehen ist, die zahlung nicht erfolgt: sollen die zwey pro cento nicht gekürzet werden.

§. CCCCXLI.

Sed, ne his conuentionibus nimis diu im- De fru-
moremur, paucis adhuc obseruamus, 51) em-
tionem fructuum futurorum, quam iam futuro-
Langobardos pro illicita habuisse obseruau- rum em-
imus, (§. CCCCXXVII.) etiam iure Ger- tione.
manico recentiore esse prohibitam, ORDIN.
POLIT. anni MDXLVIII. tit. von verkauf-
fung der fruchte auf dem felde, et REFORM.
POLIT. anni MDLXXVII. tit. XIX. §. I.
Quod quum ob infames dardanariorum ar-
tes constitutum sit: facile patet, 52) nihil
impedire, quo minus futuri fructus emi pos-
sint pretio, quod tempore messis iustum esset
futurum. STRYK. *vs. modern. dig. Lib. XVIII.*
tit. I. §. IX.



TIT. XVI.
DE CONVENTIONIBVS
ACCESSORIIS.

§. CCCCXLII.

Conventiones accessoriae variae.

SVpersunt eae conventiones, quae reliquarum firmandarum causa repertae sunt; quarum quasdam Germani communes cum Romanis habuerunt, veluti PIGNORA et FIDEISSIONES, quasdam sibi proprias, veluti obligationem ad OBSTAGIVM, et ad patiendam DEPRAEDATIONEM, *) de quibus hoc titulo erit agendum.

*) Vtimur eo vocabulo, quod et in IVRE FEVDALI LANGOBARDICO occurrere, adeoque gentibus originis Germanicae hoc sensu proprium fuisse nouimus. Ait enim FEVDISTA II. *Feud. 22. fin. Et si dominus ei iustitiam facere noluerit: poterit eum DEPRAEDARE.* Vbi rectissime CUIACIVS: *Ad extremum in eadem contumacia persecrantem dominum vasallus poterit DEPRAEDARE, id est, grassari in eum impune, quasi omni fide solutus, ut contra, si vasallus rebellis et contumax esse perseveret, ex iurisconsultorum sententia apud RADEVICVM et GVNTHERVM, res vasalli direptioni adiudicatur.* Et CUIACIVS quidem in animo habuit locum RADEVICI, *de gest. Fridr. I. Imp. Lib. II. Cap. VII.* qui Fridricum de consilio ac sententia iureconsultorum sanxisse refert, *ut bona eius publicentur, et domus destruat, qui pacem iurare et tenere noluerit, et leges pacis non seruet.* Id enim ita expressit GVNTHERVS in *Ligurino Lib. VIII. v. 698.*

Qui pacis iurare modum, formamque tenere Improbus abnuerit, quae possidet, omnia vulgo DIRIPIENDA patent, evertendique penates.

Quera-

Quemadmodum vero hanc depraedationem inuitus patiebatur dominus contumax. Ita non defunt exempla, quod quis in eum casum, si in mora soluendi futurus sit, creditori per modum pacti concesserit facultatem se depraedandi, resque suas impune diripiendi: de qua conuentione, Germanorum moribus maxime concinna, hic loquimur.

§. CCCCXLIII.

PIGNORIS IUS, quale iure Germanico fuerit, iam supra suo loco vidimus. Pignora rerum Iam de conuentione, qua pignus constituebatur, dicendum: ubi id tantum monemus, immobili-
lium a-
pud acta iure Germanico non valuisse oppignorationem rerum immobilium, nisi ea apud acta, vel coram iudice, esset facta. Quum enim rei oppignorate dominium moribus plerarumque gentium ad creditorem transiret, adeoque oppignoratio a venditione cum pacto de retrouendendo parum discreparet, (§. CCCXIII. sequ.) venditiones autem rerum immobilium semper fere apud acta et sollempniter fierent: (§. CCCXCIV.) fieri non potuit, quin et oppignorationes, non nisi a iudice firmate, rite factae viderentur.

§. CCCCXLIV.

Id tamen ex legibus antiquis, quae de Moris pignoribus pauca fanciunt, tam luculenter huius probari nequeat, nisi quod LEX LANEOB. Lib. proba-
tio. II. tit. XXI. §. XVIII. meminit WADIAE, *) *in praesentia regis, vel iudicis, seu liberorum hominum, quaticumque modo datae*: tamen

saltem iure Francorum pignora non aliter constituta esse, inde non absurde colligit SCHILTERVS *Exerc. XXXIII. §. VII.* quod et hodie iste mos obseruetur in Gallia, testante CHOPPINO *de morib. Paris. Lib. III. tit. II. §. XX.*

*) WADIA, WADII vel WADIAE, modo fideiuffores erant, modo pignora, et quidem non modo, quae statim dabantur, veluti arrhae, in securitatem eius, qui fieri quid stipularis erat, verum etiam quae tamque in securitatem crediti vel tradebantur, vel obligabantur. Priore sensu *charta vetus Alamannica XC.* apud GOLDAST. *Tomo II. p. 57.* *Post hoc testimonium dedit Odelbartus WADIVM Folcrobo missis, ut esset paratus in praesentia domini imperatoris in placito generali iustitiam faciendi.* Posteriore *capit. LAVRISH. apud FREHER. script. rer. Germ. T. I. p. 124.* *Ornatam ecclesiasticum VADIO exposuerat. Et paulo post p. 143. Crucem quoque auream in VADIE exponendam concessit.* Est autem *wadium* vel *wadion* a vadibus dictum, quasi vadimonium. Vid. *GAR. DV FRESNE glossar. Lat. Tom. III. p. 1235.* et *GONZALEZ TELLEZ ad Cap. i. X. de pign.*

§. CCCCXLV.

Pignora
sollem-
niter
tradita.

Quin uti aliae conventiones, quae traditione absoluuntur, cum sollemnitate aliqua erant coniunctae: ita idem etiam in pignoris traditione videbatur necessarium. Hinc saepe iunguntur pignus vel *wadium* et *andelangus*. FORM. LINDENBR. *CLXXXIII.* *Per meos wadros (leg. wadios) et andelangos.* Et in charta Heccardi, Comitis Augustodunensis, apud GAR. DV FRESNE, *ibid.* *Sicut per instrumenta chartarum vobis tradidi et per wadium*

dium et andalugum (lege andalungum.) Ex quo loco simul discimus, non temere quidquam alicuius momenti oppignorasse maiores nostros, quin litterarum monumentis id, quod gestum esset, consignarint, quod eos et in aliis contractibus fecisse, iam supra obseruauimus.

§. CCCCXLVI.

Frequentes quoque inter Germanicas Fideiufgentes erant FIDEIUVSSIONES, i. e. con-fores uentiones, quibus quis alterius accedebat quem in obligationi, seque, quod a debitore principali non praestaretur, praestitutum pollicebatur. Hanc qui in se suscipiebant obligationem, et ipsi *wadii*, nec non si a rep. darentur, *gisiles (Geisil)* vocabantur. Et quidem non solum in creditorum securitatem dabantur fideiussores, verum etiam de iudicio fisci. Quoties enim quis in ius esset vocatus, aut criminis accusatus: vadibus vel fideiussoribus datis cogebatur cauere, se ante certum diem adfuturum, *) ceu multis testimoniis demonstrauit CAR. DV FRESNE *gloss. Lat. voce fideiussores pag. 426.* Si fideiussores deessent: in carcere habitare reum oportebat. CAPITVL. PIPINI *reg. Ital. Cap. XXXVI.* apud DV FRESNE *ibid. pag. 427.*

*) Hoc quoties faciebant iudices, dicebantur FIDEIUVSORES TOLLERE. Hinc frequenter sibi de priuilegio prospiciebant ecclesiae, *ne quis iudex earum fundos ad audiendas altercationes ingredi, freda de quibulibet causis exigere, aut mansiones vel paratas facere, aut fideiussores tollere praesumeret.* Excm-

pla exstant innumera. Vid. MARCVLF. *Lib. I. fests. III. XXVII. XXVIII.* MIR. *donat. piar. Cap. XIX. diplom. Belg. Lib. I. Cap. VI. X. XI. Lib. II. Cap. II. X. donat. Belg. Lib. II. Cap. VII. XII. et alia passim.*

§. CCCCXLVII.

Burgun-
diones
non ad-
eo stri-
cte obli-
gabant
fideiuf-
sores.

Ceterum obligatio fideiussoris apud BURGUNDIONES erat ipso iure subsidiaria. Neque enim prius ille conueniri poterat, quam excussus esset debitor principalis, et si creditor prius pignora a fideiussore cepisset, quam a debitore principali, ille in duplum tenebatur. *LEX BVRG. addit. Cap. VII.* Quin sic tunc quidem abscisse obligatus erat, si debitor non solvendo esset, sed liberabatur, si illum creditori veluti noxæ daret. *LEX BVRG. tit. XIX. §. VII.* Multo minus ad heredes transibat fideiussorum obligatio, sed, iis iudicem interpellantibus, creditor cogebatur liberare fideiussoris heredes, aliosque fideiussores a debitore accipere. *LEX BVRG. tit. LXXXII. §. II.*

*) Ita et apud Langobardos fideiussor interpellatus poterat a debitore pignora capere, eaque offerre creditori, quæ si debitor vi surripuisset, ad *octogild* id est, non vel *LINDENBROGIO* *ingloss. hac voce* videretur, in duplum, sed in octuplum, tenebatur. *Octogild* enim est multa octupli, quomodo *modum nouigild*, multa, qua reus rei ablatae destinationem nomine præstare tenebatur. *CAR. DV FRESNE glossar. Lat. his vocibus.*

§. CCCCXLVIII.

§. CCCCXLVIII.

Paullo benigniores etiam fideiussoribus Immo
 erant Franci, qui optionem quidem faciebant nec
 creditori, fideiussorem, an debitorem prin- ^{Franci.}
 cipalem conuenire mallet: at, semel pulsato
 debitore, aduersus fideiussorem eiusue he-
 redem nullam amplius actionem dabant. CA-
 PIT. *Lib. VII. §. CCCXXXIV. edit. BALVZ.*
 Quod aliter se habere iure Romano, *ex l. 23.*
et l. 28. C. de fideiuss. docuit SCHILTER
Exerc. XLVIII. §. XXI.

§. CCCCXLIX.

Ast reliquae gentes Germanicae tantum Reliqui
 abest, vt vilo modo pepercerint fideiussori- Germa-
 bus, vt optionem darent creditori, hos, an ^{ni iis}
 debitorem principalem prius conuenire ^{non da-}
 mallet, non concessio fideiussoribus beneficio ^{bant be-}
 ordinis vel excussionis. Luctulenter hoc patet ^{um or-}
 ex constitutione Ottonis II. Imp. apud GOL- ^{dinis.}
 DAST. *const. imp. Tom. III. pag. 309. et collect.*
consuet. et leg. imper. pag. 166. quam emen-
 datioem protulit SCHILT. *Exerc. XLVIII.*
 §. XIX. et XXII. quippe quae fideiussorem
 non vult vti exceptione ordinis vel excuf-
 sionis, sed probare eum iubet, debitorem
 principalem soluisse. Vnde recte HERT.
paroem. iur. Lib. I. par. XCIV. huc refert
 illud *πολυθρύλλητον: Den bürger muss man*
würgen.

§. CCCCL.

Quod
princi-
pium et
Saxones
retinue-
runt.

Nec alia est IVRIS PROV. SAX. *Lib. VII. Art. LXXXV.* sententia, cuius verba sunt: *Wer bürgen setzt also, daß er selbst gelten will, oder seine bürgen vor ihm: muß ers vollbringen oder beweisen, daß er es selbst gegolten habe; er hat seine bürgen gelobt. Wer aber bürgen wird vor den andern, und gelobet ein bescheiden gold selbst zu gelten, das muß er vollbringen mit zeügen, daß er es gegolten hat.* Quae totidem paene verba repetuntur in WEICHB. *Art. XXXI.* Itaque vel debitor conveniri poterat; vel fideiussor, et neuter liberabatur, nisi liquido probaret, nomen esse expunctum. Beneficii vero excussionis nec vola nec vestigium extat in toto illo iure Saxonico.

§. CCCCLI.

Specula-
tor Ala-
mannus
et bene-
ficii or-
dinis et
diuisionis me-
minit.

Ast IVRIS ALAMANNICI auctor *Cap. CCCXXV.* vti beneficium diuisionis ex iure Romano in collectionem suam transtulit, idque tribuit *einem meister, der da hasset Adrianus, der landrechtes viel gemacht habe.* Ita non obscure, et beneficium ordinis competere fideiussoribus, tradit verbis: *und hat er nicht zu vergelten, des bürgen sie da worden sind, sie müssen selbst gelten.* Ita edicto MEICHSNERIANA, et GOLDASTINA *Cap. CCCXXVII.* In codicibus enim MSCC; ea verba desiderari, obseruat SCHILTER. *Exerc. XLVIII. §. XXV.* nec ea reperiuntur in

in editione BERGERIANA pag. 17. nec in SCHANNATIANA Cap. CLXIV. pag. 264. vt recte inde colligi posse videatur, voluisse quidem huius libri auctorem id ius peregrinum inuehere in Germaniam, sed id visum non esse publici saporis, ac proinde ea verba in plerisque codicibus esse omissa.

§. CCCCLH.

Progredimur ad OBLIGATIONEM ad OBSTAGIVM, Germanis propriam, qua vel se ipsum obstringebat debitor, vel vasallos suos, vt, nomine ante certum diem non expuncto, interpellati ingrederentur diuersorium publicum, neque inde prius exirent, quam creditori satisfacissent. Quam obligationem vocabant *das einlager, den einritt, die leistung, vel leistungsmahnung*, eaque tam digna videbatur Germanis, vt eam pignoribus et fideiussoribus longe anteferrent.

Obligatio ad obstagium qualis?

§. CCCCLIII.

De origine huius consuetudinis SCHILTERVS *de iure obsid. Cap. XI. §. III.* certiora adferre non potuit, quam quae reperit apud BESOLD. *thesaur. pract. voce leistung. p. 584.* vbi ex libello FR. IO. PAVLLI *schimpff vnd ernst tit. von den buhlern Cap. CLXI.* adducit locum: *Das recht erdacht vnd funden hat dem adel zu leyd hertzog Berchtold von Züringen: wann der adel ihm zween söhn mit gifft ertödt hat, vnd vergeben, die zu Soloturn im sarch liegen,*

za & Vrsula, als Felix Hemmertoin davon
Schreiber. *)

*) Quae FELIX MALLEOLVS ea de re scripserit, ignoro. Elias enim scripta, Basileae edita, non hanc addit. At FELIX FABER *hist. Saeuar. Lib. I. Cap. XIX. apud GOLDAST. script. rer. Saeu. p. 74.* ritum illustri Zaringensium familiae has paucis verbis describit: *Postea obiit Berchtoldus, et duos filios reliquit, quos nobiles minoris Burgundiae veneno peremerunt, et ita potestas illorum et nomen exterminata sunt.*

§. CCCCLIV.

Contra-
rium o-
stendi-
tur ex
moni-
mentis
coaeuis.

Sed quidquid haec de re frater ille JOHANNES PAVLLVS et FELIX MALLEOLVS scripserunt, nihil veri tamen inesse huic fabulae, facile potest demonstrari. Berchtoldus enim ille, qui filios, vxoris et ordinum Burgundicorum fecerere, amisit, fuit eo nomine quintus, idque accidit inter annum Dionys. MCCXV et MCCXVIII. GWILLIMANN. *Habsb. Lib. VI. Cap. II. p. 342.* At eodem tempore iam iuris ob-
stacii meminit SPECVLI SAXONICI auctor *Lib. II. Art. XI. Hätte er auch ienem gelobet davor einzureuten: er ist des einreutens ledig: aber nicht des geldes, noch der schuld, da er vor einreuten soll.* Nec minus iisdem temporibus, immo ante illa tempora, puta anno MCCXII. huiusmodi pacto obstagiali sese obstrinxerunt ipsi principes, Otto IV. Imperator Theodoricus, Misniae Marchio, Albertus, Marchio Brandenb. et Ludouicus, Dux Ba-
variae, ceu patet ex diplomatibus editis a IOACH. IOANN. MADERO in *antiquit. Brunsvic. num.*

num. X. XI. et XII. Quis vero crediderit, ius, in extremo Burgundiae angulo in odium nobilium inuectum, vno momento ita sese probasse Germanis omnibus, vt vbique in Germania, eodem fere momento, inolesceret?

§. CCCCLV.

Quin tantum abest, vt hac occasione, et ^{Nec non} ineunte demum saeculo XIII, in Burgundia ^{ex anti-} inoleuerit haec consuetudo, vt iam anno ^{quiori-} MCLXXX. monachos sese obstrinxisse ad ob- ^{bus.} stagium, notissimum sit *ex cap. 9. X. de iureiur.* Quin GVICHENONIVS in *bibliotheca Sebustienfi cent. I. n. XXIV.* exhibet exemplum, quinquaginta annis epocham illam anteuertens. Anno enim MCLVI. Guilielmus et Rostagnus de Sabrona Raymundo Berengarii promittunt iurati, *se venturos in huius potestatem, vel nepotis eius, vel eorum, qui locum eorum tenuerint, ad decem dies, ex quo ab illis commoniti fuerint, vel illud sciuerint, in Volubricis insula, sicut vndique circumclauditur Rhodano, ita tamen, quod ibi securi esse debeant a Raymundo, eiusue hominibus, per omnia, praeter OSTATICVM tenendum, sine huius enganno, quod inde aliquo modo non egrediantur, donec soluta sint decem millia solidorum Melgoriensis monetae, sine Raymundi enganno.*

§. CCCCLVI.

§. GOCCLVI.

Hic mos
non est
ex iure
manua-
rio.

Merito ergo dixeris, antiquissimam hanc esse Germanorum consuetudinem, nec rationem fuisse SCHILTERO *ibid.* Cap. XI §. III. et STRUVIO *hist. iur.* Cap. VI. §. XXXVI. huius moris originem referendi ad ius manuarium Germanorum, a saeculo XIII. potissimum gliscens, quocum nihil commune habet ius obstagii. Potius vera origo repetenda est ab incredibili Germanorum fide, qua omnibus aliis gentibus antecellere fudebant. *) (§. CCCLXXVII, 16.)

*) Et hinc nobiles potissimum, quibus promissum *by adlicher ebre vnd wort vel equaliers-parole* pro iureiurando erat, sese ad obstagium obstrangebant, quum plebei potius iureiurando, pignionibus constitutis, datisque fideiussoribus, securos praestarent eos, quibuscum, contraherent. Extant tamen et ciuitatum chartae, quibus haec ciues aliquot obligant ad obstagium. Talis est illa ciuitatis Francofurtensis, scripta anno MCCC. LXVIII. apud SENKENB. *select. iur. et hist.* Tom. I. p. 646. *sequ.* vbi senatus Iudaeis dat fideiussores (*bürgen vnd Gisel*), Sifridum de Paradiso, Scaltetum, Conradum de Glauborg, Iocobum Klobelauch, Conradum de Levenstein, promittiturque, *also wanne sie gemanit werden, von vorge-nannten Iuden, oder iren erben, odir iren boden zu huse odir zu haffe, odir munt wider want, sie solent zu stont vnverzeblichen binnan acht tagen nach der ersten manunge zu Menze insarten in gisels wis in ein offen herberge zu Menz, do se die vorgenannten Iuden inwisent.* etc.

§. CCCCLVII.

§. CCCCLVII.

Ceterum vel ipse DEBITOR se obligabat vel ipse ad obstagium, id quod potissimum eque- debitor, stris nobilitatis viri, immo et comites ali- vel fide- quando faciebant, ceu praeter exemplum iussores Guilielmi et Rostagni, paullo ante ex GVICHE- eius, vel NONIO adlatum, (§. CCCCLV.) docet di- vasalli ad obsta- plōma Dietmari de Witerstete apud SCHIL- gium obstricti. TER. *in addend. ad diss. de iure obsid. p. 153.* vel debitor vna cum fideiussoribus quibus- dam, quo pertinent exempla Balduini de Wenden apud MEIBOM. *not. ad Leu. de Northoue chron. Marcan. p. 411.* et SCHILTER. *ibid. p. 154.* vel denique vasallos suos ad obstagium obligabant, *) vti apud MADER. *ibid.* et SCHILTER. *Exerc. XLVIII. §. XXII.*

*) Eo iure inprimis gauifos esse superioris nobilitatis viros; recte obseruauit doctissimus IO. AD. KOPP *de iure pignor. §. II. p. 5.* idque probauit ex charta Fridrici, Reg. Rom. et Lupoldi, Austriae Ducis, anno MCCCXV. scriptae apud SENCKENB. *select. iur. et hist. Tom. II. p. 275.* *So sollen die vorgeschriebenen bürgen, wenn sie gemauet werden, von ime, oder von seinem gewissen botten, rechte geiselschafft laisten zu Reitlingen oder zu Newenstatt, zu Rottenburg alle, wann Graue Rudolff von Hobenburg, der soll zu Reitlingen laisten. Welcher auch der vorgennunten bürgen die herrn sein selber nicht laisten wolte, der soll einen erbaren knocht mit zweyen pferden legen ann sein statt.*

§. CCCCLVIII.

§. CCCCLVIII.

Obsta-
gium
coniun-
ctum
cum co-
missatio-
nibus.

Obstadium hoc cum maximo eorum, qui ad illud obstricti erant, incommodo erat coniunctum. Suis enim impensis in illo diuerforio viuere tenebantur, quod inuunt verba apud GVICHENONIVM: *sine vestro enganno.* Quia non modo ipsi ibi suis sumptibus viuebant, sed et quotidie cum illis pro lubitu epulabantur creditores, tam laute excipiendi a debitoribus, vt vel maxime huic oneri succumberent, et ad mendicitatem redigerentur. *)

*) Hinc idem FR. IOANNES PAVLLI, ex quo quaedam decerpisse BESOLDVM diximus, ait, *Köstliche mabl heissen gieselmabl, da man etwa auff ein stadt, oder auff einen edelmann, mit einem reisigen hengst leistet. Die essen köstliche mabl, damit dass groser kosten aufgang, dass man sie desto foerderlicher bezahl vnd außricht: warumb dann man leistet.* Et LEVOLDI A NORTHOVE cbron. comit. Marc. p. 380. catum hoc consilium est: *Et si quando ex quocumque vos oportet mutuum contrahere, caute vobis ab mutuis vsurariis, in quantum poteritis, et maxime ab illis periculosis mutuis, et dammosis, pro quibus vos oporteat multitudinem fideiussorum ponere ad COMESTVS, sicut in Colonia consuetum est fieri. Huiusmodi enim debita mortuorum debitores creditorum subiiciunt seruituti. Scriptum est enim in libro sapiëntiae: Qui accipit mutuum, seruus est foenerantis.*

§. CCCCLIX.

§. CCCCLIX.

Quemadmodum ergo Germani licitum sibi existimabant, se ipsos oppignorare pro aere alieno, *addit. Caroli M. ad LEG. SAL. §. VIII. LEX LANGOB. Lib. II. Tit. XXXIV. §. I.* seque vel ad carceres, vel ad obftagium, obligare, immo et famae atque existimationis periculo aliquid promittere: ita non mirum est, debitores creditoribus suis etiam dedisse potestatem inuadendi res suas, easque pignorandi, vel diripiendi, si in mora solvendi essent futuri. Quae ipsa est obligatio illa ad patiendam DEPRAEDATIONEM, quam supra, (§. CCCCLII.) propriam Germanis fuisse, monuimus.

§. CCCCLX.

Huius pignorum capionis mentionem passim faciunt leges Germanicae, sed ita, ut ob insignem abusum eam non aliter, quam auctore iudice, fieri patiantur. Vid. LEX WISIG. *Lib. V. tit. V. §. I.* LEX BAIUVAR. *Tit. XII. Cap. I.* LEX ALAM. *tit. LXXXV.* LEX LANGOB. *Lib. II. tit. XXI. §. I. sequ.* Sed id fortassis de eo casu est intelligendum, si quis creditori hanc pignorandi licentiam pacto singulari non concesserit. Alioquin enim vix dubium est, quin ante inuectum in Germaniae fora iuris Romani usum vnusquisque se huiusmodi pacto obstringere potuerit, quum id ne ipsi quidem Imperatores facere dubitarint, veluti Ludouicus Bavarus, teste charta A. MCCCXV.

MCCCXV. *) apud LERCH. von des reichs
ritterl. herkomm. Part. I. p. 5. et ill. de LYDE-
WIG. diff. iur. Rom. et Germ. de donat. diff. I.
Cap. IV. §. VI. p. 25.

*) Meretur ea et hic integra legi: Ich Gottfried Raider,
Vicedom an dem Rheine, des hochgebornen herrn,
herrn Ludewigen, des Römischen Königs, und herrn
Rudolffen, des edlen Pfalzgraffen bey Bayern,
und Hertzog in Bayern, verricht und hat laß
allen denen, die diesen brieff ansehen, oder hören
lesen, daß ich von meiner vorgehenden herrn
gegenhan gelobet Jacob Lerckeln von Dürrenstein sechs
pfund heller. Vnd so soll er ertzund umb
meinem vorgehenden herrn, dem Könige. Die
vorgehenden heller soll man dem vorgehenden
Jacoben geben auff sanct Georgen tag, der nu
nächst kompt. Geben aber dem vorgehenden
Jacob das vorgehandte geld nicht auff das
vorgehandte, so möchte vnd solt der vorgehandte
Jacob meinem vorgehenden herrn, den König,
PFENDEN, und die pfand treiben vnd führen
in meines herrn, Hertzog Rudolff vesten,
ohne seinen zorn, und ohne seiner armen
leuth zorn. Wäre es aber, daß der vorge-
handt Jacob meinem vorgehenden herrn, den
König, nicht möchte gepfenden, ohne alles
gebrdt, so solte er, vnd solte meinen
vorgehenden herrn, Hertzog Rudolffen,
ANGREIFEN (en depredationem) vnd
pfenden ohne seinen, und seiner armen
leuth zorn. Vnd darüber zu einem
vrkund, so gebe ich ihm diesen brieff
mit meinem insiegel versiegelt, der
ward geben, da man von Christi
geburt zehnt dreyzehen hundert
iahr, vnd darnach in dem
hundert zehenden iahr, an dem
nächsten diensttag nach Bartholomaei
tag. Plura huius generis mira
diligentia collegit doctissimus IO. AD. KOPP.
de iure pignoris, conuent. apud Germ.
vbi §. IV. ostendit, quodnam
discrimen sit inter IVS EMBATERICVM
Romanorum, de quo singularis
existat CHRIST. WILH. VOGELII
dissertatio, et hoc ius pignori
conventionale Germanicum. Deinde §. VI.
vsum huius

huius pignorationis ostendit in transactionibus, §. VII. in mutuo et hypothecis, §. VIII. in re-
trouenditionibus, §. IX. in emtionibus vendi-
tionibus, et euictionibus promissis, §. X. in loca-
tionibus conductionibus, §. XI. in conductioni-
bus villaribus, (*landfideleyen*.) §. XII. in con-
tractibus vitalitiis §. XIII. in donationibus
piis, §. XIV. in contractibus feudalibus, §. XV.
in delictis, ac denique insequentibus paragraphis
in *vsum* hodiernum huius iuris erudite inquiri,
omnia haec illustrans ex *chartis* et diplomatibus
medii aevi, quorum etiam mantissam haud poe-
nitendam sub finem adiecit. Prodiit doctissimum
hoc iuris Germanici specimen *Francof. ad Moen.*
MDCCXXXV.

§. CCCCLXI.

Si ergo ipsum Romanorum Regem tum Ad
non puduit, equestris nobilitatis viro, cui ne quam se
ex mutuo quidem, sed ob praestita seruitia, et priua-
summam mediocrem debebat, potestatem ti ob-
dare pignorandi, resque suas inuadendi di- strinxe-
ripiendique: (quemadmodum et Carolum
IV. Imp. non puduit ciuitati Geilnhufanae
sefe ad obstagium obligare: HERT. *de iurispr.*
cauente §. IX.) nemo profecto dubitauerit,
quin multo minus huiusmodi pactis se ob-
stringere dubitarint alii inferioris dignitatis
homines. *) Et huius quidem moris origi-
nem rectius, quam obstagii, repetere licebit
a iure manuario, quod iis temporibus et
priuati sibi adrogabant. KOPP. *de iure pign.*
conuent. §. IV.

*) Sane in ipsa etiam Gallia morem hunc pignorandi
manuque sibi ius dicendi inualuisse, patet ex frag-
mento regesti veteris Parliamenti apud CAR. DV

FRESNE gloss. Lat. voce guerra regia: Rex arreptum pro communi utilitate et necessitate regni sui statuit, quod, durante guerra sua, nulla alia fiat in regno, et si forte inter aliquos iam mota sit guerra, quod, datis treugis vel adsecrumentis, secundum consuetudines locorum duraturis, per annum, et anno finito, iterum continuentur et prorogentur, omnis aliae guerrae cessent, donec guerra regis fuerit finita. Item quod GAGIA BELLII nullatenus admittantur, sed quilibet in curiis regis et subditorum in suam via ordinaria prosequatur.

§. GCCCLXII.

Immo et ad infamiam, proscruptionem, infamiam, in ediam.

Itaque multo magis unusquisque se obligare poterat ad alias poenas conventionales, veluti INFAMIAE, PROSCRIPTIONIS, AMISSIONIS OMNIUM BONORVM. De poena conventionali infamiae iam supra quaedam monuimus, (Lib. I. §. CCCCXII. * et Lib. II. §. CCCCLIX.) quibus nunc addi possunt, quae ex charta Waltheri, pincernae de Limpurg, anno MCCXXXVII. scripta apud illustrem LVDEWIG. reliqu. MSSC. Tom. II. pag. 222. attulit laudatus IO. AD. KOPP. de iure pag. conuent. §. II. p. 4. quae sese obligat Waltherus, si quid contra datam fidem facturum sit, se futurum exlegem, quod in vulgari dicitur echtlos vnd rechtlos, et omnia bona sua, tam propria, quam feudalia, vacatura esse collectioni domini Imperatoris, et alia feuda, quae ab aliis habeat, reuersura ad ipsos dominos. Quin idem laudatus KOPPIVS adlato exemplo probauit, ad inedia et ferias esuriales sese aliquando obstrinxisse eos, qui securos alios esse vellent. *)

*) Id

*) Id quoque probavit ex diplomate vel decreto Henrici, abbatis Volkerodensis, scripto anno MCCLIX. apud illustrem a LVDEWIG *reliqu. MSSC. Tom. I. p. 361.* quo cauetur, *ut, qui secus fecerint, pro qualibet vice transgressionis suae una sexta feria sequente, sint in PANE et AQVA, dispensatione quacumque non obstante.*

§. CCCCLXIII.

Itaque ex his iam satis intelligitur, I) Germanos oppignorari res immobiles vix passos esse, nisi in iudicio, et accedente magistratus consensu. II) Eisdem fideiussores ad soluendum strictissime obligasse. III) Cuius licuisse, se ipsum vel ad custodiam, vel ad obstagium, obligare, nec non IV) creditori facultatem dare vel pignorandi, vel se depraedandi, si in mora soluendi futurus sit.

Confetaria quaedam de his conventionibus accessoriis.

§. CCCCLXIV.

Quemadmodum itaque Germani veteres vix oppignorari passi sunt res immobiles, nisi in iudicio, et accedente magistratus consensu: (§. CCCCLXII.) ita non mirum est, 1) idem et hodie requiri alicubi, veluti IVRE SAXONICO, *part. II. constit. Sax. XXIII.* Itemque IVRE LVB. *Lib. III. tit. IV. art. I.* IVRE HAMB. *Part. II. Tit. IV. §. IV.* et Vienne[n]si GAIL. *observ. Lib. II. Cap. XXV. n. X.* Nec minus inde reddetur ratio, 2) cur et in terris Prussicae ditionis hypothecae referendae sint in librum singularum iurisdictionum publicum, (*in das grund- und hypotheken-*
Y y 2 buch)

Pignora et hodie in rebus immobilibus constituuntur apud acta.

buch) et nisi id rite factum sit, eae nulla praerogatiua gaudeant. KÖN. PREVSS. HYPOTHEK VND CONC. ORDN. §. V. Cur, 3) omiffa ea sollemnitate, alibi plane nullius effectus fit hypotheca priuatim constituta, alicubi iisdem effectibus gaudeat, ac priuata, adeoque publicis omnino postponatur. *)

*) Sic in Saxonia electorali hypotheca immobilium, priuatim constituta, effectum habet aduersus debitorum eiusque heredes, non aduersus remanentem possessorem, immo nec aduersus reliquos creditores, qui eam querela nullitatis possunt impugnaré. CONSTIT. AVG. XXIII. Part. II. At iure Lubecensium hypothecam, priuatim constitutam, etiam a tertio possessum adhaerens fundum, statuit MEY. ad ius Lubec. ibid. n. 94. sequ. Quod et in terris Prussicis obtinere, nemo dubitat.

§. CCCCLXV.

Fideiuf-
foribus
passim
denega-
tum be-
nefici-
um ordi-
nis.

Quumque Germani fideiussores strictissime obligarint: (§. CCCCLXII, 2.) facile animaduertes, 4) cur et hodie beneficium ordinis vel excussionis ex multarum urbium statutis cesset. Sane 5) SCHILTERVS *Exerc. XLVIII. §. XXIII.* id non modo de foris mercatorum obseruauit, verum etiam 6) de statutis Veneticis, Florentinis, Lucensibus, Noribergensibus, Austriacis, Hispanicis, Dithmarficis, Lubecensibus: quamuis 7) quod ad ius Lubecense attinet, ei plane alium sensum tribuat MEY. ad Part. III. Tit. V. Art. I. n. XXXIV. sequ. ac 8) saltem Stralfundi

fundi, et in aliis Pomeraniæ ciuitatibus, quibus sanctior alioquin iuris Lubecensis custodia est, id beneficium fideiussoribus non denegari, obseruet.

§. CCCCLXVI.

Ex eodem principio reddenda est ratio, 9) cur ne SC. quidem Velleianum et *authentica si qua mulier C. de SC. Velleian.* in Germania vbique profit mulieribus, pro aliis, siue extraneis, siue maritis, intercedentibus. Id sane luculenter et ex instituto demonstrauit illustris a LVDEWIG. in *dissertationibus de SC. Velleiano in Germ. exsule. Halae MDCCXX. vbi dissert. II. diff. II. pag. 13. sequ.* eam in rem adducit statuta ac leges Noribergensium, Hamburgensium, Lubecensium, Coloniensium, Luneburgensium, Hassorum, Nordhusanorum, Mulhusinorum, Holfatorum, Seruestanorum, aliaque plura, quae veluti ex compacto mulieres denudant illo praesidio, easque non minus, ac masculos, si iustae aetatis sint, promissis stare iubent, tantum abest, 10) vt eorum, quae eo nomine soluerunt, repetitionem illis concedant.

§. CCCCLXVII.

Obstagia
quando
in Ger-
mania
sublata?

Quod rariores hodie in Germania sunt obligationes ab obstagium, non tam iuris Romani sanctionibus tribuendum est, quam insigni istius consuetudinis abusui. Virebantur enim bacchanalia, et sumtibus miseri debitoris quotidie epulis et comissionibus indulgebatur, eoque fieri non poterat, quin ille ad incitas redigeretur. *) Itaque hunc mos abrogatus est primum in Saxonia, *Parte II. constit. D. Augusti XXII.* deinde 12) quum antea in REC. IMP. anno MDXLVIII. tit. von wackerlichen contracten non obscure probatum esset illud ius obstagii, modo, qui se ad id obligauerant, non extra imperium euocarentur: 13) triginta fere annis post, nimirum in REC. IMP. MDLXXVII. tit. XVII. illud ex imperio plane proscriptum est.

*) Hinc in obligationibus ad obstagium diferte ea exprimebatur conditio, ne sumtibus parceretur. Vidimus iam supra, quid de coenis obstagialibus, (*von geißel-mahlzeiten*) scripserit frater IO. PAVLLI. Iam addimus ipsam formulam, qua se ad hos sumtus obligare solebant debitores, quam exhibet MOLLER. *semestr. Lib. III. Cap. XXX. n. VII. Daß sie ungedinget von mahlen zu mahlen, von knechten zu knechten, von pferden zu pferden, und obn auffbören leisten und zehren sollen and wollen, wie leistungs recht und gewonheit ist.* Simile quid apud Heluetios olim vsu obtinuisse, vt posita ante fores debitoris imagine, quam vocant *die maxen*, praetereuntes inuitarent, *daß sie solten bey demselben einziehen, und all sein hab und gut helffen verzehren*, ex MVNSTERI cosmographia obseruat

BEYER. *spec. iur. Germ. Lib. III. Cap. XII. §. XXXI.*

§. CCCCLXVIII.

Enimvero vti iurium et consuetudinum Eius patriarum tenacissimi sunt Germani: ita 14) consue- publica illa lege prohiberi non potuit, quo tudinis minus ius illud antiquissimum in Germaniae reli- aliqua parte, puta in Holsatia, saluum maneret, quia. et nobiles eius prouinciae impetrarent, vt il- lis haec consuetudo de nouo permetteretur. INSTR. PAC. OSNABR. *Art. VIII. §. V. Iedoch Weibt bey dem allen die Holsteinische constitution in ihrer gültigkeit.* *) Quin 15) et alibi hodieque valere pactum, quo debitor vel fi- deiussor promittit, se, in solutione cessantem, se stitutum in certo loco, et inde, antequam creditori satisfactum sit, non recessurum, modo commissationes absint, statuit MOLLER. *iiid. n. VI.* quod 16) et STRYK. *caut. contr. Sect. II. Cap. VI. §. XVIII. in fin. et vs. modern. Lib. XLVI. tit. I. §. XV.* admittit, modo promissio illa iureiurando firmetur, ob *cap. 9. X. de iureiur.*

*) Constitutio illa Holsatica primum edita est a CHRISTIANO IV, Rege Daniae et ADOLFO, Duce Holsatiae, per modum decreti iudicialis anno MDCIV. eaque cauetur, vt qui se ad obstagium obligarent, interpellati statim ingrediantur diuersorium, de quo conuenerit, sub poena infamiae, sin plures interpellent, eius qui primus interpellauit rationem habeant, et in diuersorio suis sumtibus viuant, nec egrediantur, *es sey dann, daß feuers, pestilentz vnd dergleichen vnuvermeidliche noth vor- stünde*, quo casu tamen, volente creditore, alio

locò se sistere debeant: vt porro in posterum essent omnes commissationes, et si campo vel familiaris eorum fidem sequi nolit, creditor in alium locum, attamen non domi suae, adfiget, et quotidie pro singulis nobilibus soluat *treyschilling Lubisch*, pro plebeis *ein weniger*, donec carcer aliquis publicus, (*ein schuld-ebner*) fuerit extructus. Prodiit et recentior constitutio CHRISTIANI IV. Regis Daniae, et FRIDERICI, Haecis Holsatiae, Rendsb, MDCXXX. quae prior illa confirmata, eidemque adstructum est, vt obstagio obstrictis non assignetur coenobium aliud, nec vxores eo rigore obstagiali vtantur aduersus maritos. Vtraque constitutio inserta est *der virdirten land-gerichts ordn. der Hertzogthümer Schleswig vnd Holstein Part. IV. tit. XIV. IV. p. 144. sequ.*

§. CCCCLXIX.

Et hodierna ratio.

Ceterum 16) quid hodie iuris sit circa obstagia, et quis procedendi modus in Holsatia obseruetur, accurate satis ostenderunt OTTO TABOR *de iure obstagii*, et FUCHS. *introd. ad prax. forens. Lib. I. Cap. XII. §. VII. et sequ.* Operam enim dederunt optimi sapientissimique principes, vt ius illud, quantum fieri poterat, a tot abusibus purgaretur: eoque in primis pertinent constitutiones Holsaticae, quibus ius illud anno MDCIV. et MDCXXX. certis limitibus circumscriptum esse, diximus.

§. CCCCLXX.

Depraedatio hodie omnino cessat.

Multo minus ergo existimandum est, 17) hodie locum esse obligationi ad ferendam depraedationem. Quum enim per tot saecula bellis priuatorum, ex quibus et depraedationes

tiones natae, miserum in modum lacerata adflictaque esset Germania: demum illis finem attulit MAXIMILIANI I. Imp. prudentia: ex eoque tempore et pignorationes ad certum modum redactae sunt, (de quibus exinstituto egerunt ANDR. GAILIVS *de pignorationibus*, et IO. AD. KOPP *de iure pignorandi conuentionali* §. XVI. *sequ.*) et quaecumque olim fiebant ab iis, qui sibi ius manu dicere conabantur, seueris sanctionibus et accuratiore disciplina abolita. Vid. GE. AD. STRVV. *de vindicta priuata*.



TIT. XVII.

QVIBVS MODIS OBLIGATIONES
SOLVVNTVR.

§. CCCCLXXI.

An Ger-
manis
fuerint
quasi
contra-
ctus?

SI ad Romanae iurisprudentiae veluti
mensuram exigendum esset ius Germa-
nicum: dicendum iam etiam esset de ob-
ligationibus, quae QVASI EX CONTRACTV na-
scentur. Sed merito dubites, an fictum il-
lum vel praesumptum consensum, ex quo
quasi contractus repetebant iureconsulti Ro-
mani, Germani vniquam agnouerint: quam-
uis contra nemo neget, maiores nostros,
aequitatis studiosissimos, vnumquemque,
qui vel alterius opera, vel cum eiusdem do-
mino, factus esset locupletior, vel alterius ne-
gotium gerendum suscepisset, tum ad resti-
tuendam rem, tum ad indemnitatem, et ad
rationes reddendas obligatum esse, statuisse.
Sed quum de his negotiis vel nihil omnino,
vel saltem nihil, a iure Romano diuersum,
iure antiquo Germanorum proditum esse re-
periamus: paucissima tantum de MODIS,
QVIBVS OBLIGATIO SOLVITVR, subiicie-
mus.

§. CCCCLXXII.

Modi
soluendi
obliga-
tionem
solutio
et com-
pensatio.

Et primo quidem SOLVTIONE, seu praesta-
tione eius, quod in obligatione erat, nec
non COMPENSATIONE sublatam esse omnem
obligationem, nemo dubitauerit. Sunt enim
hi modi tam naturae et rectae rationi consen-
tanei,

tanei, vt non possit non ea in re gentibus omnibus conuenire. Immo tantum abest, vt compensationem reiecerint Germani, vt eos, qui illam non admitterent, iure crediti priuarent. CAPITVL. *Lib. VII. §. CCCIII. edit. BALVZ. Si quis debeat alicui solidos decem, et illi, qui debet, de quacumque ratione debeantur a creditore suo solidi quinque, et veniens creditor totos decem solidos a debitore petat, si probauerit ille debitor, sibi ab eo quinque deberi solidos, qui illum in solidum pro totis decem solidis conuenit, causam perdat, qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumentis, et aliis speciebus. Sed haec ex iure Romano deprompta esse, facile vnusquisque animaduertet. *)*

*) Et quidem ex antiquo, quod ante Zenonem, Imp. et Iustinianum in orbe Romano viguit. Ait enim PAVLLVS *recept. sent. Lib. II. tit. V. §. II. Compensatio debiti ex pari specie et causa dispari admittitur: velut si pecuniam tibi debeam, et tu mihi pecuniam debeas, aut frumentum, aut cetera huiusmodi, licet ex diuerso contractu, compensare vel deducere debes. Si TOTVM petas, plus petendo CAUSA CADIS. Cui periochae in codice Alariciano subiicitur interpretatio, iisdem verbis, quae in capitularibus reperimus, concepta. Ex quo consequitur, vt Franci hic subtilitates iuris Romani anteiuustiniani de pluspetitione in fora sua receperint.*

§. CCCCLXXIII.

Sed de vtroque illo obligationes soluendi Singulare adhuc quaedam monenda sunt. Nimirum 1) moribus Francorum inualuerat, vt qui iusto tempore non solueret, is vel duplam

ria quaedam de solutione.

plam sortem praestaret, si illam sibi stipulatus esset creditor, (Culus rei exempla existant apud MARCVLPVM *Lib. II. Cap. XXV. XXVI.* et in eiusdem *adpendice Cap. XV.*) vel aliquid amplius, tamquam morae poenam, solveret. LEX SALICA tit. LV. *Et si per tres vices solem collocauerit, et si nec tunc reddere voluerit, aut fidem facere, super illos VIII. solidos, qui per tres admonitiones adcreuerunt, solidis XV. culpabilis iudicetur.* II. Mos erat apud Francos, vt, facta solutione, redderetur cautio, quod sibi discrete stipulari solebant debitores. *) MARCVLF. *Lib. II. Cap. XXVI. et XXVII.* et in eiusdem *adpend. Cap. XV.* et si illa fortassis amissa esset, alia daretur cautio, quam EVACVATORIAM vocabant, qua profitebantur, *si cautio villo vnquam tempore inuenta aut reperta fuerit, nullam eam obtenturam effectum, vacuam et inanem permansuram, et nec creditorem, nec vllum de heredibus eius, vel quemlibet de eius parte, nullo vnquam tempore debitori ex hoc calumniam facturum.* Exempla sunt apud MARCVLPVM *form. Lib. II. Cap. XXXV. et in adpend. Cap. XXXVI.*

*) Itaque ad probationem solutionis non solum fiebat apocha, quae illo aeuo SECVRTAS dicebatur, CASSIOD. *Var. Lib. XI. Cap. VII.* verum etiam reditio chirographi, quum ex eo et remissionem esse factam, ex ipsius iuris Romani principiis colligeretur l. ff. *de pact.* Ceterum *vacuare* veteres dixisse pro *liberare*, iam obseruauit BIGNON. ad *Marculf. p. 947. edit. BALVZ.*

§. CCCCLXXIV.

Id quoque notatu dignum videtur, III) Debito-
 apud Francos, qui minus soluendo essent, se res se-
 ipsos in solutum dedisse, idque in ipsis chi- ipsos in
 rographis promittere consueuisse debitores. solutum
 dabant.

MARCVLF. *formul. Lib. II. Cap. XXVII. Quod*
si exinde negligens aut tardus adparuero: licen-
tiam habeatis, sicut et ceteros seruientes ve-
stros, disciplinam corporalem imponere. Et
 paullo ante *Cap. XXV.* debitor et se, et he-
 redes suos, eo casu creditori eiusque heredi-
 bus vel cessionariis seruituros, spondet: *Quod*
si non fecero, et dies placitus mei praefinitus
transierit, pro duplum in crastinum me aut he-
redes meos, vos aut heredes vestri, aut cui
hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis
obnoxium. Et existat sane eiusmodi obnoxia-
 tio, quam vocabant, apud eundem MAR-
 CVLF. in *adpend. Cap. XVI. p. 446.*

§. CCCCLXXV.

Denique quod speciatim ad compensatio- An com-
 nem attinet, obseruandum est, IV) SCHILTE- pensatio
 RO *Exerc. XXVIII. §. XV. et XVII.* eam iure Sax.
 non videri agnouisse reliquos Germanos, ex admiffa?
 quo semel actio ab alterutro creditore esset
 instituta, sed eos compensare volentem re-
 misisse ad reconuentionem, conuentione fini-
 ta instituendam. *IVRE sane PROV. SAX. Lib.*
III. Art. XII. cauetur: Welcher mann auf den
andern klagt, und jener wieder auf ihn: der
vorerst klagt, der hat dem andern nicht zu
 antwor-

antworten, er sey denn erst ledig von ihm. Sed his verbis non compensatio reiicitur, quam omnino admiserunt omnes gentes, si debitum vtrumque esset liquidum, et certae aestimationis: sed tantum negatur, institutam reconventionem prius esse admittendam, quam finita conventionione, quod ius et multo post in Saxonia viguisse, et nec hodie plane extra usum esse, nemo ignorat. *)

*) Et hinc recte suspicatus est HERT. *parvem. iur. Lib. I. par. XXXIX. §. III. p. 451.* vere Saxoniam esse parvemiam: *Geld vor, recht nach*, quia, qui Saxonum iure utuntur, admittere non soleant reconventionem, nisi in causis connexis, et post litem, quae prius mota fuerit, finitam: eoque referendum esse locum illum IVR. PROV. SAX. *Lib. III. Art. XII.* Migravit ille iuris Saxonici articulus, eodem observante HERTIO, etiam in IVS LVBEC. in quo ille *Lib. V. Tit. III. Art. III.* paullo planius etiam ita legitur: *Wer erst geklaget hat, der darff dem andern auf seine gegenklag vnd reconvention keine antwort geben, er sey denn zuvorn von ihm mit recht geschieden.* Et tamen Lubecenses admittere exceptionem compensationis, nemo ignorat.

§. CCCCLXXVI.

CONFUSIONE apud Germanos quoque sublatum esse debitum, ne dubitari quidem posse videtur. Vbi enim idem simul est debitor, simul creditor: vix potest contingere, ut a se ipso aliquis petat, sibi que ipsi soluat. Hanc vero confusionem impediuisse beneficium inventarii, tanto minus credibile est, quanto certius constat, quantoque solidius

An confusione sublatam obligatio?

lidius supra probatum est, apud Germanos hoc non fuisse instar beneficii, sed generatim apud eos iuris fuisse, ut heres, etiam non confecto inuentario, ultra vires hereditatis non teneretur, dummodo, interueniente iureiurando manifestationis, indicem rerum hereditariarum (*eine eydliche specification*) edidisset. (§. CCCV.)

§. CCCCLXXVII.

Nec de DEPOSITIONE et OBSIGNATIO-
An de-
 positio-
 ne obli-
 gnatio-
 ne et rei
 interitu.
 NE PECVNIAE in legibus Germanorum quidquam me reperisse fateor, quamvis et hic modus soluendi obligationem tam sit aequus, ut eo in Germania etiam debitorem liberatum esse, nulli dubitemus. Quod an etiam de SPECIEI, quae debetur, INTERITV dicendum sit, non facile dixerim. Sane, quae supra diximus de extincto debito, si pignus amissum esset, (§. CCCXXI *seq.*) ea a principio illo, quod qui speciem debet, extincta specie liberetur, non parum alienae se videntur.

§. CCCCLXXVIII.

Ita et NOVARI debitum, et DELEGARI alium, Itemque
 nouatio-
 ne, dele-
 gatione
 accepti-
 latione.
 qui pro debitore soluat, et GRATIAM fieri obligationis, et eandem MUTVO DISSENSV dissolui potuisse, non est dubium, quamvis prioribus casibus et stipulationum ambages, et omnes reliquas iuris Romani subtilitates, non visas fuisse necessarias, facile sit ad existimandum.

§. CCCCLXXIX.

§. CCCCLXXIX.

In his omnibus hodie ius Romanum receptum, nisi quod stipulationes exsulent in Germ. Itaque quum leges Germanorum veteres haec paene insuper habeant, omniaque multo accuratius explicet ius Romanum: generatim obseruandum est, ex eo hodie omnia, quae de tollendis soluendisque obligationibus in quaestione sunt, definiti solere, praeterquam quod Germani nec in simplici *nouatione*, nec in *delegatione*, nec in *acceptilatione*, stipulationibus vtuntur, nec postremam ad obligationes, verbis initas, restringunt, adeoque nec STIPVLATIONE AQVILIANA vlllo casu indigere sibi hodie videntur.

FINIS TOMI I.

